

596h

A IV
23

Boffos
Nº 428 - Libr. A. 4.

UNIVERSAE CAMPANIAE FELICIS

ANTIQUITATES

A

MARIANO DE LAURENTIIS

ELUCUBRATAE.

PARS PRIOR.

NEAPOLI,

TYPIS RAPHAELIS MANSII

MDCCCXXVI.

REVERENDISSIMO, ET ILLUSTRISSIMO DOMINO

MICHAELI ARCHANGELO LUPOLI

ARCHIEPISCOPO COMPSANO.

PRAESUL AMPLISSIME,

Fuit quovis tempore in more positum apud scriptores, ut quoties aliquid operis in lucem edendum statuerent, Viris virtute praestantibus, et in Republica literaria pollentibus dedicarent. Atque id non alia de causa factum est, nisi ut horum virtutes, et auctoritas nonnunquam illos ab invidiae morsibus, atque Aristarchorum censuris indemnes praestarent. Quapropter cum vellem meos de Campaniae Antiquitate libros in lucem proferre, Tu Praesul Amplissime, mihi statim occurristi, cui dedicandos satagerem. Cui enim tua non dicta virtus, et in rerum philologicarum, et

sacrarum μέγιστη γνῶσις, dum tot annis non solum apud nostrates, verum etiam apud exteras gentes pro tuis doctis, et laboriosis operibus tam cognitus es, quantum praeteritis temporibus praeclari, et eruditi quique homines extitere?

Tu inter Praesules Neapolitani Regni doctissimus iam triginta prope annis sacra Infula donatus ab optimo Rege Ferdinando I Borbonio primum ad Ecclesiam Pelusianam regendam, deinde ad Archiepiscopatum Compsanum evectus fuisti.

Sub tanti igitur Viri auspiciis, ac tutela hoc opus, quod non paucorum annorum labore mihi stetisse fateor, securum laetumque lucem adspiciet. Ac sicuti Luna notho lumine splendet: ita hoc opus per se obscurum perpetuo maneret, nisi tuarum spectatissimarum virtutum fulgore, tuique Nominis radiis inlustraretur.

Excipe igitur, Praesul Amplissime, hoc tenue munus, quidquid, et qualecunque est, ac tuis suffragiis, tuoque patrocinio fove atque tuere.

Nomini tuo addictissimus

MARIANUS DE LAURENTIIS.

PRAEFATIO

IN CAMPANIAE REGIONEM.

In dubium vertendum haud arbitror, Italiam terrarum orbis praeclarissimam esse regionem. Heic enim dulcis aer, agrorum amoenitas, montium apricorum adspectus: haec quorumque civium urbanitas, ea morum est comitas, ut merito ac ratione cum ab antiquis, tum a nuperae aetatis historiographis ea una existimata fuerit, quae inter ceteros universi angulos regina veluti adsurgat. Et videtur Deum O. M. illam prae cunctis selegisse, quo aliis iam tum ex vetustissima tempestate leges, et populis sceptra ferret. Si enim priscos historiarum annales post hominum evolvamus memoriam, profecto illam (si duos e medio populos tollamus Hebraicum, Ægyptiumque) primorem e Graiis, aliisque celebratis populis fuisse reperiemus. Etruscos enim prae ceteris antiquiores esse, nullus adest qui nesciat.

Ea enim gens ante Romanorum rempublicam fuit adeo celebris, ut vetusti auctores maximam illorum praedicaverint potentiam, cum magnam Italiae partem possederint. Hinc apud illos ipsos artes, atque scientiae in magno fuere pretio. Postquam vero Etrusci in Italia sunt dominati, Romani deinde everso eorum imperio paulatim, illorum urbes in eorum pervenerunt potestatem, atque longe lateque vicinis dissitisque populis bellum intulere. Hinc Samnites per LXXX. prode annos quotidianis armis cum Romanis decertarunt, atque postea eorum ager Romanis adiunctus. Inde aliae exterae gentes, hinc Galli, Hispani, aliique

populi, totus oriens, et Africa ipsa Romanorum fuit in servitutem redacta

Prae ceteris gentibus adnumerantur Graeci, qui Romanorum adeo excoluere ingenium, ut ab ipsis ingenuae artes in agrestem Latium inlatae fuerint. Campani praeter omnes alios praeclariores prae ceteris vicinis populis existimantur. Ea gens profecto ad maximam evecta fuerat maiestatem, et celeberrimas per ea tempora urbes possidebat. Quid dicam de praeclaris illorum opidis, apud quae Romani immensos expenderunt sumptus? Earundem urbium non solum nomen, verum etiam monumenta usque ad nos pervenere.

Tot urbes tam celebres in toto Romano imperio penitus periere, et vix ad posteros illorum pervenit memoria. Iure merito celebrantur Corinthus, Athenae, Lacedaemon, totque aliae Graeciae urbes, et Ægypti, at ubinam florentes, atque nobiles eae urbes fuerint, nulla ad posteros pervenit memoria. Campaniae tantum urbes, uti prae ceteris Puteoli, Cumae, Neapolis, Capua, et praesertim Herculaneum, et Pompeii quaenam pretiosa servat in praesentiarum monumenta?

De tantis interim antiquis opidis cum nulla supersit memoria, Campania perquam ferax in antiquis est monumentis. Quantum ipsa clarior esse debet! Gaudeamus igitur, atque ovemus, cum unus hic prae ceteris terrarum orbis angulus a barbarorum manibus, et temporum colluvie cladem effugerit. Nos igitur quocumqne oculos vertimus, maiorum nostrorum vestigia, et rudera aspectamus. Dici potest solam Campaniam nunc temporis integras quasi antiquitatis reliquias servasse: nam prae ceteris ex quibus restant, Pompeii, et Herculaneum urbes integrae ad nos pervenere. Nostra Campaniae regio, utpote a Romanis plus aliis dilecta, sumptus permagnos, atque artem in aedificando praesetulit. Unus Lucullus omnium Romanorum ditissimus ingentes domos, villasque huc

illuc in solo Campano ex Asiaticorum immensis gazis ereptis condidit. Nihil heic memorem Caesaris, Pompeii, Tullii, Vedii Pollionis, aliorumque equitum villas ubique positas: nihil hic prodam templa, theatra, domos, aliaque permillia aedificia privata, et publica, quae immenso divitum procerumque sumptu condita fuere.

Quae cum ita sint, lector humanissime, nos heic de hisce peculiariter, et minutatim rebus agemus. Quapropter hoc nostrum elucubratum opus in quatuor dispertiemur libros. In primo de Campania in genere agemus, quinam eam incoluerint populi, quaenam urbs princeps illius fuerit: hinc de Oscis, de urbe Capua, de variis eiusdem vetustis ludis, de amphitheatro, theatro, templis, de fluminibus, de montibus, de viis, de aedificiis, ac ruinis simul, rebusque singulis dicemus; tandem de urbibus antiquis citra ultraque Capuam verba faciemus. In altero qui sequetur libro de Herculaneo, et Pompeiis nunc primum eruderatis, deque Vesuvio agemus. In tertio de nostra Parthenope, de eius origine, de antiquis aedificiis, de vetusto regimine, ac magistratu: tandem de eiusdem antiquo cultu, de Neapolitanorum moribus, deque decremento. In quarto tandem lectori repraesentabimus Puteolanum antiquum agrum cum urbibus Puteolis, Baiis, Cumis, Miseno, Literno, necnon et lacus, montesque, et Vulcanorum describemus conflagrationes: hinc de opidorum origine; hinc de incremento, de maiestate, de decremento, et hinc quid tandem ad nostra usque tempora devenerint, verba faciemus. Atque haec profecto sunt quae lectoris ob oculos exponemus.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Campania Felici in genere.

REGIONEM quam incolimus tum antiqui, cum nuperi scriptores *Campaniam Felicem* non ab hominum felicitate, sed ab arboribus campisque vulgo salutarunt. Hinc Plinius lib. III. c. 5 iure meritoque sic tradit: *Hinc Felix illa Campania est: ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles.* At vero undenam huic *Felicis* cognomen? Cl. Mazochius de Amphit. Camp. c. 1 sic dictam autumat, quod olim a Sylla Felice fuerat constituta colonia in hac regione, quae ab auctore cognomentum desumpsit.

Ea vero regio Latium inter, Samnium, Picentinos, Inferumque mare est posita, ut Strabo prodit lib. V. Geograph. pag. 167 edit. Amstelod. 1707 Πεδίον εὐδαιμονεστάτον τῶν ἁπαντῶν, idest *omnium fertilissima est regio*, quippe cuius etiam γεωλοφίαι εὔκαρποί, *colles maxime frugiferi.* Sanfelicius de Situ Campan. pag. 3 edit. Neap. 1726 eosdem fines Campaniae assignat his verbis: *A Liri flumine ad Sarni ostium pertinet, sexaginta passuum millibus excurrente planitie, quae ab ipsa camporum laxitate facta est Campania. Hi amnes, eius duo latera constituunt: hic ab ortu, ille ab occasu. Boream versus montibus cingitur: Samnites et Irpini excludentibus, quartum vero latus mare possidet. Latitudo eius varia, ut tamen qua maxime panditur, triginta non excedit milliaria. Quod si totius ambitus subducatur ratio, colliges ad centum et sexaginta passuum millia.* Iisdem fere verbis fusius Campaniam describit Cluerius Ital. Antiq. lib. IV. c. 1.

Fluminibus rigatur Savone, Vulturno, Clanio, Sarno, aliisque minoribus, ut Sebetho. Montibus coronatur

Massico, Falerno, Gauro, Apenninorum catena, campis Phlegraeis, ac Leboriis, et Vesuvio praesertim monte, qui veluti Rex adsurgit maiestate, et proceritate ceteris vicinis supereminet. Lacus celebriores adnumerantur Fundanus prope Caietam, Acherusius, Lucrinus, Avernus, Anianus, aliique.

Campaniae vero nomen fertilissimam designat Italiae regionem, in qua ut belle testatur Plinius loco ante citato *Summum est Liberi Patris, Cererisque certamen*, a patentibus campis, in quibus sedet. Eam etiam veteres terram *Laboris* nuncupavere, ut vel a Leboriis campis, quos idem Plinius lib. XVIII c. 2 Capuae vicinos commemorat, vel ob agrorum fertilitatem, quippe qui ad culturam maxime sint apti. Hinc agri ubertate, collium amoenitate, marium portuumque opportunitate, perenni aquarum adfluentia, quin et ingeniorum felicitate longe fortunata fuit, quae ad omnes liberales artes a Deo O. M. facta aestimetur. Variis hinc eam laudibus exornant passim veteres auctores et prae ceteris Florus lib. I. c. 16 hoc modo: *Omnium non modo Italiae, sed toto terrarum orbe pulcherrima Campaniae plaga est: nil mollius coelo, denique bis floribus vernat; nihil uberius solo, ideo Liberi, Cererisque certamen dicitur; nihil hospitalius mari. Hic illi portus Caieta, Misenus, et tepentes fontibus Baiae, Lucrinus, et Avernus, quaedam maris otia. Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, et pulcherrimus omnium Vesuvius Ætnaei ignis imitator. Vrbes ad mare Formiae, Cumae, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, et ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata.*

Vrbes. In hoc igitur tam parvo beatoque solo plures urbes, et opida celeberrima extitere. Ea quidem fuerunt dubio procul quadraginta tria, ut praetereamus florentissimos vicos, villas innumeras, aliasque incerti nominis urbes. At undenam in hoc tam parvo telluris spatio tot ac tanta opida, nisi ex soli, coelique foecunditate atque ubertate, quae inter terrarum orbis angulos illi regioni a na-

turae auctore bona donata fuere? Iure meritoque memoratur Promissae Terrae, seu Palaestinae in sacris Literis foecunditas, quae lacte atque melle manavit ubique; tot urbes in eo solo quondam extiterunt, sed illam praeter totius mundanae universitatis regio nulla adcrit quacum nostram Campaniam ausim comparare.

Ager vero Campanus floribus quarumcumque abundat specierum, et rosis praesertim. Campanas enim praecipue, aeque ac Paestanas laudat Martialis lib. IX. Epigr. 61. Hiberno praesertim tempore tanta erat rosarum, aliorumque florum in Campania ubertas, ut Ægyptum aemularetur. Merito vero haec regio *Felix* dicta. Campanorum enim felicitatem longo tempore perdurasse testatur Livius lib. XXIII c. 2 cum de oppugnatione urbis Neapolis ab Hannibale instituta verba facit. Hinc etiam tot laudibus ab antiquis praedicatur. Tullius orat. II contra Rullum num. 28 sic scribit: *Agrum Campanum orbis terrarum pulcherrimum, et Capuam urbem amplissimam, atque ornatissimam esse*: Livius lib. VIII. Campanos commendat *quod agrum Italiae uberrimum, et urbem agro dignam possiderent.* Ita etiam Silius lib. VIII. ne ad ravim usque dicam. Quod si tot encomia agri Campani in medium afferre vellem, profecto rem historicam in longum protraherem; quare de fructibus, et aliarum rerum copia, et abundantia raptim verba faciemus. Flores.

Neminem fugit quantum ab antiquis Falernum vinum fuerit laudatum. Et re quidem vera hoc vel maxime ab illis, et praecipue a poetis fuit aestimatum: unus prae ceteris canit Virgilius Georg. II. v. 96. Vinum Falernum.

. . . . . Et quo te carmine dicam
Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis.

Neminem etiam praeterit hoc vinum plus quam ceteris per plures annos ab antiquis conservatum. Hinc quo annosius erat Falernum, eo pluris aestimabatur, et illud quod paucos per annos servabatur, minoris habebatur. Quid vero dicam de Coecubo Falerno forsitan praestantius, et generosius? de hoc innuit Plinius lib. XIV.

c. 6. Quin idem ibidem scribit, vinum illud quod expressum fuit sub consule Opimio, qui consulatum gessit anno V. C. DCXXXIII. perquam celebre, et edentulum fuisse ad CC. fere annos conservatum, illudque post tam longaevum tempus in speciem mellis esse redactum. De hoc etiam Petronius Satyr. c. 34 mentionem facit. Quid etiam praedicabo de Surrentino, cuius meminit Strabo lib. V. Georg. aitque illud fuisse optimum, et maximo in pretio habitum apud Romanos, aeque ac Falernum, et Gauranum!

Castaneae. Adhaec castaneae laudatissimae, et frequentissimae in Campania fuerunt, quamvis Martialis lib. V. Epigr. 79 ad quendam scribens Turanium haud corpori benefacere sentit.

Oleum. De agri Campani oleo fit mentio quam frequentissime apud veteres. Campanus enim ager non solum Baccho, Cerereque ac pascuis, verum etiam oleo fuit feracissimus. Oleo abundavit Venafranum praecipue solum prae Liciniano; nam hoc, cuius ager Venafrano propinquus erat, Italiae praestantissimum aestimabatur.

Frumentum. At ne silentio quidem praetereundum est, Campanam regionem fuisse etiam abundantem frumento, hordeo, et leguminibus; hic enim ager aestate scatet perpetua, et a natura huiusmodi abuntantiae donis fuit cumulatus, ut prae cunctis orbis angulis unus hic usque fuerit praedicatus. Constat enimvero Romanos saepe annonae caritate oppressos in hos agros misisse, qui sibi frumenta compararent. Anno enim praesertim CCLXI. ab V. C. Geganio Macerino, et P. Minutio Coss. Romanum Senatum legatos in Etruriam misisse, et Campaniam, et in agrum Pomptinum, quo coemerent maximam frumenti copiam. Tullius etiam Orat. contra Rullum n. 2 de frumentis omnium specierum agri Campani mentionem facit.

Ostrea. Nunc tandem de ostreis sermo capessendus. Nihil heic dicam de vivariis tam celebratis a scriptoribus, et praecipue Licinii Muraenae, Hortensii, Luculli, Sergii

Oratae, aliorumque. Hunc autem Oratam ostrearum vivaria invenisse in Baiano litore narratur aetate Lucii Crassi oratoris ante Marsicum bellum, quod accidit anno V. C. DCIII. nec gulae causa, sed avaritia: magna vectigalia ex tali ingenio percepit, et optimum saporem ostreis Lucrini adiudicavit, quamvis Valerius Maximus lib. III. c. 3, ipsum aedificiis spatiosis, et excelsis, deserta per eam tempestatem ora Lucrini lacus pressisse, quo recentiore usu conchyliorum frueretur, sentit. Hinc Lucrinus postea celeber, ostreisque copiosus evasit eo modo ut Romanae reipublicae quam magno foret emolumento

Infinitum autem esset si nobis singula in medium producerentur, quae ex agro Campano percipiuntur. Hoc unum satis dictu est, illum quovis tempore adeo rebus omnibus foecundum fuisse, quae sunt necessaria ad vitae rationem, ut Italiae cunctae fruges cuiuscunque generis subministrarit.

Hactenus totius agri Campani fertilitatem in rebus omnibus in medio attulimus. Neapolitanus vero ager e cuncta Campania fortasse principem locum occupat in omni rerum abundantia a natura comparata: at fructuum exquisitissimorum, et cuiusque generis ubertate dubio procul omnibus terrarum angulis, et praesertim ipsi Campaniae praecellit.

Excussis quae ad agri Campani foecunditatem attinent, sermo nunc de vetustis populis, qui eandem incoluere regionem, instituendus erit.

CAPUT II.

De Campaniae incolis, et praesertim de Osca gente de illorum moribus, atque lingua.

Ex historia discimus, quo celebrior fuit populus, et quo uberiorem incoluit agrum, eo magis nunc in unam, nunc in aliam pervenisse manum. Quid igitur mirum, si Campania Felix utpote prae ceteris amoenissimus

angulus tot habuit dominos, quot erant illius aevi viciniores non solum, verum etiam dissitae nationes. Norunt interim eruditi vetustissimam Campaniae historiam esse adeo confusam, ut quidquid de ipsa antiquae, nuperaeque aetatis praedicarint auctores, sint omnia prorsus incerta. Per eam enim tempestatem Italiam incolebant adhuc gentes silvestres barbaraeque, ac nobis incognitae. Hinc quinam mores, quaenam religio, historia usque modo nulla nos perdocet, cum nullus adsit auctor, qui rerum historicarum annales ad seros tradiderit nepotes; vel si fuerit, tempus edax omnia surripuerit.

Omnium primos Campaniam habitasse veluti humanae voluptatis certamen Oscos, Auruncos, Ausones, Samnites, Vmbros, Cimmerios, Campanosque ipsos per historiam constat. Strabo lib. V. Geogr. ab Opicis habitatam fuisse eam regionem narrat, qui iidem atque Ausones existimantur. Ferunt alii cum ea loca quondam Opici, Ausonesque tenuissent, fuisse ea deinde ab Osca gente occupata, quae a Cumanis pulsa deinde fuit, quos rursus Etrusci eiecerunt: etenim cum duodecim habitarent urbes, quarum una quasi caput esset, ea de causa Capuam nuncuparunt. Cum vero per luxuriam ad mollitiem se tradidissent, Samnites nacta occasione Campanos in servitutem subiecere. Hinc Romani vicinis paulo post subactis gentibus Campaniam occuparunt. Iisdem ita verbis tradit hanc historiam Polybius. Vide quaeso, quot gentes eam regionem diversa tempestate per orbem occuparunt. Vna vero eademque gens Osca (1) fuit isthaec,

---

(1) Ennius, et Verrius apud Festum de Verb. Sign. Oscos, Opscos et Opicos eosdem fuisse dicunt. *Oscos, quos dicimus, ait Verrius, Opscos antea dictos, teste Ennio cum dicat: de muro rem gerit Opscus.* Alii vero distinguunt eos populos a Graeis, a Latinis Oscos dictos. Theodorus Rickius Dissert. de primis Italiae incolis idem asserit. Hinc iidem duo populi eosdem habuere mores, linguam, atque domum. Sanfelicius De Orig. Camp.

ut diximus, quae variis fuit nominibus salutata, nempe Ausones, Aurunci, Opici, qnorum vocabulum postmodum a Romanis contractum in duas fuit syllabas, et Opsci, vel potius Obsci, ac tandem Osci audivere.

Hae vero gentes quamnam postea Campaniae incoluerint partem, nunc videndum. *Oscorum montes a Strabone descriptos nullos alios esse, quam id iugum, quod orientali latere duo sustinet opida Suessam nempe Auruncorum, et Theanum Sidicinum*, ait Cluerius lib. III. c. 9 Ital. antiq. ad quam sententiam comprobandam scribit, omnem Opicam gentem fuisse etiam Oscam appellatam: pars Campaniam inter, et Volscorum fines Aurunci sunt dicti. Quod autem ad Oscorum, sive Opicorum attinet mores, dicendum est, hos inter cetera quosdam edidisse ludos, comoediasque tam ridiculas, incultasque quoad gestum et verba, ut flagitium potius essent nuncupandae, uti narrat Tacitus Annal. lib. IV. c. 14. Et Tullius fuisse risui quosdam Arpinates senatores in senatu ob gestum et linguam scribit epist. lib. VIII. 1. Hosque ludos fabulas Atellanas appellatas tradunt passim historici, quippe quod Atella Oscorum urbs fuerit.

Has autem gentes Oscos nempe in Campania habitasse ante Troianum bellum canit Virgilius, qui quidem eos Æneae facit contemporaneos, quamvis nullas sedes urbesve illis certas assignet. Servius Capuae urbis ori-

---

Oscos Opicorum genus fuisse arbitratur, et ad hoc demonstrandum Strabonis affert auctoritatem lib. V. Geogr.

Hi vero Ausones in varias regiones sese diviserunt sedemque fixerunt, et pro diversitate regionis, quam incolebant, Osci, Opici, Aurunci, et etiam Sidicini fuerunt compellati. Pellegrinius Disc. I. opinatur, eos Ausones dominatos esse circa Vulturnum, et Sarnum, eamque regionem dictam Opicam ab Opicis, sive Oscis, et Sidicinos, Auruncosque ab urbibus quas incoluerunt: hinc tota ea regio Ausonia quoque fuit vocitata, ut Mantuanus canit vates Æn. XI. v. 39. Eos vero populos Servius in Virgilium credit, primos fuisse Italiae habitatores.

ginem ex ipsius Virgilii auctoritate Æn. XI. v. 145 cuidam Troiano Capy attribuit. At quomodocunque res se habet, alii recentiores Capuam Oscorum urbem fuisse tradunt, qui originem ab Etruscis trahebant, ut ante diximus; et res isthaec per se probabilior est, cum ex Livio compertum sit lib. XXIV. c. 19, *Medituxticum* (1) appellatum fuisse summum Campanorum magistratum. Campanos eosdem ac Oscos fuisse persuasum est etiam Silio lib. XIV cum canit:

. . . . . *Osco memorabilis ortu.*

Mamertinos innuens Campanos, qui illam sceleste occuparunt, qui sub Opicorum quoque nomine in Campania siti, iidem ac Osci fuere. In eandem sententiam it Cluerius, qui Campanos fuisse Oscos ex Samnitica credit origine, de quibus testatur Livius lib. IV. c. 9 fraudulenter Capuam ab Etruscis occupatam C. Sempronio, et Q. Fabio Vibulano Coss. quod accidit anno V. C. CCCXXX. Hinc ait laudatus Cluerius Ital. Ant. lib. III. c. 9 *Campani ab Samnitibus orti illud habuere vocabulum Medituxticus*, Samnitium vero linguam eandem ac Oscam fuisse prodit Livius lib. X. c. 20. Cum enim narrasset Romanum Consulem L. Volumnium ex condicto quosdam exploratores illius linguae peritos ad exercitum misisse Samniticum, qui Falernum campum populatus erat, ait quosdam *gnaros Oscae linguae exploratum quid agatur, misisse.*

Capuam, et Campanam regionem in Etruscorum potestatem redactam, linguam, illorumque mores conservasse fama est etiam, cum in Romanorum inciderunt manus, cum adhuc, et multum post tempus et ludi Osci, Atellanaeque fabulae in more fuerint positae, postquam gens illa penitus fato fuerat extincta.

---

(1) Medituxticus fuit Oscae gentis summus magistratus, qui a Tyrrhenis fuit dictus *Merriss*, et *Tubtiks*. At Ignarra Palaestra Neap. pag. 264 ex tabula marmorea Herculanei detecta, asserit hoc nomen *Medituxticum* scriptum esse MERRISSTUBTIKS.

At equidem existimo aliarum gentium linguas citra Romam (cum essent omnes unius corporis) omnes fuisse aequali modo Oscae linguae nomine vocatas, et Campanorum sermonem fuisse Romanis risui atque ioco plus aliis speciali modo, aut ob locorum vicinitatem, aut ob eius poeticarum vocum formam atque modum. Illud vero certum est, Oscorum linguam a Romana prorsus differentem esse. Affertur antiquus Titinnii versus, qui sic habetur: *Qui Osce et Volsce fabulantur: nam Latine nesciunt.* Theodorus Rickius de primis Ital. inc. ait Oscorum linguam vocabula, et characteres (1) habuisse, qui nec Latini, nec Graii, nec Hebraei fuere: hinc laudatus auctor quasdam vetustas voces ex veteribus excerptas affert grammaticis, quas heic referendas censeo, ut *Casnar* senex, *Cascus* vetus, *Dalivus* insanus, *Famel* servus, *Gela* pruina, *Maesius* Maius, *Mamers* Mars, *Medituxticus* summus magistratus, *Mulcta* poena, *Quiens* quiescens, *Patera* quatuor, *Pipatio* clamor plorantis, *Pitpit* quidquid, *Sollo* totus, *Veia* plaustrum, *Vngulus* annulus: et apud Sabinos *Ciprum* bonum, *Creperum* dubium, *Curis* hasta, *Nar* sulphur, *Herna* saxa, *Nero* fortis, *Cuestre*, quaestor, *Theze* Theseus, *Apulu* Apollo, Vluxxe Vlysses, *Menrra* Minerva, *Laucina* Lucina, *Pultuce* Pollux, *Turan* tyrannus, aliaeque huiusmodi Etruscorum, Oscorum, Sabinorumque voces in Latiarem sermonem versae fuere.

Hac vero lingua Osci illas Atellanas, fabulas cudere coeperunt ridiculas, quas in comoediis postea passim usurparunt. His adde quod apud eam gentem in loquen-

---

(1) Iam diu est, ex quo Abellae eruderatus fuit lapis nunc in aedibus Seminarii Nolani prostans Oscis elementis a Remondinio Hist. Nol. tom. III. c. ult. allatus. Re sane vera ex characteribus qui asservantur, res digna visu est: nam ipsimet sunt omnino ignoti, et nullam praeseferunt literam, quae vel latiari, vel Graeco conveniunt idiomati.

do usus invaluit, ut ore uterentur distorto; ut declarat Varronem Scaliger commentans lib. VI. Ex Livio lib. VII. c. 2 testatum habemus in ludis Romae haberi solitis vetusto aevo histriones ad sonum saltasse mutos; Romana hinc iuventus versus ridiculos Fescenninorum instar invexit: postea Livius Andronicus fabularum immixtione, et tandem Osci fabulas fecerunt Atellanas. Ex Macrobio Saturn. lib. VIII. c. 9 constat Nonium, et Pomponium fuisse celebres actores, et post illos diu iacentem artem Atellanicam suscitasse Mummium.

Eas tandem fuisse fabulas satis honestas, quamvis ridiculas, scimus ex eo cum apud Romanos iam a rerum primordiis introductae fuere, eaeque ad extremos usque Caesares viguere. Norunt hinc eruditi, Romanis eas summo studio, et delectationi fuisse, quod quo tempore nondum recti mores deperditi, et cum adhuc militaris maxime floreret disciplina, tunc vel maxime Atellanae fabulae in more fuere positae. Haud vero audiendus aliquis Aristarchus, vel pseudo-Cato, qui scribit Romanos hisce fabulis delectatos maxime, quod oblectationem saperent: nam hoc falsum, cum ex Valerii Maximi testimonio contrarium evincitur lib. II. c. 9 de Spect.

Atque haec de Osca gente, deque moribus, origine, lingua, et Atellanis fabulis.

CAPUT III.

In quo agitur de antiqua urbe Capua Campaniae metropoli, de eius fundatione, de deditionibus, Colonia, Praefectura, incremento, maiestate, de illius eversione, et tandem de eius situ.

Capuam olim extitisse metropolim totius Campaniae, pluresque (1) urbes habuisse in potestatem redactas

(1) Campanus ager fuit satis dives, ac patens; hinc pleris-

consentiunt cum veteres, tum recentes historici. Ea vero in amoenissimo Campaniae loco fuit aedificata, et quasi mille passus a Tifata monte, nunc *monte di S. Nicola* dissita, et a Vulturno flumine duo milliaria, et a mari XIV. supra viam Appiam. Quo vero tempore haec urbs fuerit condita, dissentiunt iidem; quidam autem ante Romam urbem, aliique post tria saecula aedificatam in sententiam ierunt.

Quinam vero urbis huiusce conditor, nunc enucleandum. Etruscos (ut superius dictum est) hac regione dominatos esse, et hanc urbem aedificasse quidam me-

---

que urbibus fuit dominata ipsa Capua metropolis. Ex his memoratur Casilinum, Calatia, Acerra, Atella, Suessula, Cumae, campus Stellatis, et ipse Falernus mons, ut scribit Cluerius Ital. Ant. lib. III. c. 5. Hinc etiam cunctam Italiae partem quondam possedit, quae ad Rhegium ipsum extendebatur, nempe usque ad Siciliam citra Pharum. Ex quo vide quam ditissima et potentissima ea fuerit Respublica, quae Cumanis, Sabinis, et Romanis ipsis bellum inferre est ausa. Livius lib. IV. c. 10 haec de quodam Gneio Magio Atellano scribit: *Servitiaque et plebem promiscue armabat, ut castra Romana invaderet.* Hinc Ausonius haec de Capua cecinit de cl. urb. VI.

Nec Capuam pelago, cultuque, penuque potentem
Deliciis, opibus, famaque priore silebo.

Ex quibus narratis vide quaeso quaenam cum hominum, tum camporum fuerit ubertas, ut Hannibal hanc urbem imperii caput statuendam designarit.

Ex tot ac tantis Campanorum divitiis in tantam vitiorum colluviem sensim cives adeo irrepsere, ut temporis progressu illorum intemperantia eo pervenerit, ut cunctae gentes in Campanorum luxuriam declamarint: hinc ad vitia cuncta animos addixere, et sequiori aevo in morbum pessimum inciderunt *Campanum* vulgo dictum, cujus Horatius meminit Satyr. lib. IV. ubi rixam describit scurrarum Sarmenti, et Cicerri;

. . . . . *at illi foeda cicatrix*
Setosam laevi frontem turpaverat oris
Campanum in morbum.

Vide in hunc locum doctum Lambinum Horatium commentantem.

*

moriae prodidere. Quamobrem ut ipsa aliarum urbium fuit caput, inde Capuam a *capite* dictam arguit Pellegrinius Appar. Camp. disc. 1. Alii suum etymen (ut mollius mihi videtur) ab Etrusca voce Capy derivarunt. Virgilius Æn. X. v. 145 canit, hunc Capym Capuam aedificasse.

Et Capys hinc nomen Campanae ducitur urbi.

supra quem versum Servius hunc Capym urbis conditorem fuisse adnotat; at Patavinus historiographus lib. IV. c. 37 hunc fuisse Etruscorum ducem scribit. Laudatus auctor eam urbem antea *Vulturnum* etiam dictam tradit loco citato.

Deditiones.

Subactis inde vicinis populis, qui Capuam per plura occuparunt saecula, Romani omnia in sui potestatem reduxerunt; hinc iure belli Campanus populus, necnon agri, deorum delubra, divina humanaque omnia in Romanorum ceciderunt dominium. Quae quidem deditio accidit anno CCCCXI ab V. C. Valerio Corvo tertium et Aulo Cornelio Coss. Duos post annos in Consulatu Plautii secundum, et L. Æmilii Mamerci Romani responsum Samnitibus dedere legatis, Campanorum nempe aliam esse conditionem, qui non foedere, sed per deditionem in fidem venissent. Postea Campani temporis progressu societatem cum Romano populo pepigere paulo ante Samniticum bellum, et quo tempore Romanorum exercitus per Furculas transiit Caudinas, iam societatem cum Romanis inierant.

Campanorum fortuna florens.

Ita urbs inde Capua evasit adeo celebris, ut invidiae longe aliis foret populis: et eo res rediit, ut cum Hannibal in Italiam descendit, omnesque subegit populos, Capua fuerit potitus luxuriante longa felicitate, et indulgentia fortunae. Cui ipse hanc urbem Italiae totius caput, et principem facturum spopondit. Quo tempore tantae erant huiusce illecebrae, ut Hannibalis exercitus, qui innumeras Romanorum fregerat legiones, mollitie, luxuria, otioque captus fuerat, pauci vix milites ex interneoione erepti fugatique ad Carthaginem confugerint.

Audiatur Marcellus apud Livium lib. XXIII. c. 45 milites alloquens, dum Hannibal cum ipso congreditur ad Nolae portas, ubi verba facit de Campanorum luxuria, et de Hannibalis copiis iam pristino animo deperdito. *Non omnes esse in acie, praedantes vagari in agro, sed qui pugnent, marcere Campana luxuria, vitio, scortis, omnibusque lustris per totam hiemem confectos: abiisse illam vim, vigoremque; dilapsa esse robora corporum, animorumque, quibus Pirenaei, Alpiumque superata iuga, reliquias illorum virorum vix arma, membraque sustinentes pugnare. Capuam Hannibali Cannas fuisse: ibi virtutem bellicam, ibi militarem disciplinam, ibi praeteriti temporis famam, ibi spem futuri extinctam.* Idem auctor ita describit huius urbis maiestatem fortunamque ibidem: *Prona semper civitas in luxuriam, non ingeniorum modo vitio, sed affluenti copia voluptatum, et illecebris omnis amoenitatis maritimae terrestrisque; tum vero ita obsequio principum, et licentia plebis lascivire, ut nec libidini, nec sumptibus esset modus, ad contemptum legum, magistratuum, senatusque etc.*

Luxus autem, totque divitiarum origo, ut sileam soli ubertatem (de qua dixi) dubio procul commercio est tribuenda, quod Campani iam a suae urbis incunabulis cum vicinis dissitisque etiam exercuere populis. Capua enim posita erat in felicissimo Campaniae Felicis angulo, et parum distabat a Vulturno, per quem merces in urbem invehebantur. Ditissimae propinquae urbes Graiae ut Neapolis, Cumae, Herculaneum, aliaeque cum Graecis ipsis transmarinis commercium habebant opportunum, et cum Siculis, Carthaginiensibus, aliisque qui merces in maritimas Campanas introducebant urbes. Hinc Capua cum cunctis hisce gentibus facillime commercium exercebat, atque haec causa divitiarum. Mores hinc tot gentium dissitarum Capuam saepe advenientium et commorantium ad maximum florentissimumque luxus magnificentiaeque statum illam perduxere.

Paculus Calavius, et Perolla cives Campani.

Celebre est illud facinus quod secundo Punico bello in hac accidit urbe de Pacullo Calavio Campano cive. Hic enim nobilis, et popularis homo et senator, quo tempore Hannibal urbem ingressus, domo hunc ducem excepit, eique convivium satis lautum paravit (iam urbs in Romanos socios defecerat, quin imo quam maxime in eos saevierant cuncti Campani). Unus Perolla Paculli filius adolescens, et Romanis addictissimus, cuius animus vere eximius haud vinci potuit, et in parentem ipsum institit; nam haud ad epulas adesse voluit. Cum parens quare ad illas non accederet, sciscitaretur, in secretum eo adducto, reiecta toga gladium nudat: *Iam ego*, inquit *sanguine Hannibalis sauciam Romanum foedus: te id prius scire volui, si forte abesse, dum facinus patratur, malles.* Ita describit Patavinus auctor lib. XXIII. c. 9. Difficile dictu est quot preces pater adhibuerit, quo filii a tanto facinore patrando animum amoveret.

Decius Magius.

Perollae exemplum secutus est Decius Magius vir nobilissimus, qui maximum ob odium in castra vinctus est ductus, quo Carthaginem mitteretur. At Cyrenas ipsum tempestas detulit, ubi ad Ptolomaeum Ægypti Regem a custodibus deportatus, ibique vitam duxit privatam. Livius ibidem.

Capuae obsidio, et ruina.

Paucos post annos Poenorum in Italia res paulatim fractae: Capua ipsis fuerat causa. Romani interim viribus collectis, cum ipsis saepe congrediuntur. Eo tempore Hannibal in Apulia morabatur; tunc ei nuntii allati fuere, qui dicerent Capuam obsidione cinctam esse. Poenus hinc dux magnis itineribus cum exercitu ad illam defendendam accurrit. Cn. Fulvius Centumalus, et P. Sulpicius Galba Coss. cum exercitu prope muros cum hostibus congrediuntur, ubi ferox praelium obortum. Eo die caesa fuisse octo millia hominum de Hannibalis exercitu, ex Campanis tria millia scribit Livius lib. XXIII. c. 9.

Eo vero Campanae obsidionis anno Medituxticus erat Seppius Laesius obscuro loco natus homo. Quum perti-

nacius Campanorum odium in Romanos crevisset, rati in se ipsos saevituros Vibius Virius Campanus senator, qui defectionis ab Romanis auctor fuerat, senatum pro concione habet, persuadetque urbem haud ipsis tradendam, quin cives omnes ferro venenove potius seipsos trucident. Eo die apud ipsum sumptuose epulatum: post epulum venenum omnes sumpserunt. Horum pars domos redeunt; pars alia apud Vibium manserunt. Postridie omnes antequam Romani urbem occuparent, sunt mortui. Adeo igitur haud nobiles hosce fallebat viros, Romanos capta Capua, crudeliter asperrimeque in ipsam animadversuros! Re sane vera postera die Iovis porta aperta est: per eam intromissa est legio cum C. Fulvio legato. Hic primum arma omnia ad se ferri iubet: inde dispositis per omnes urbis portas custodiis, Punicum primum occupat praesidium. Senatum inde catenis vinctum ad castra pergere iubet. In ea urbe auri pondo LXX. argenti tria millia pondo fuit repertum.: Adhaec describit idem Patavinus auctor c. 16 ibid. hoc modo; *Tercenti ferme nobiles Campani in carcerem conditi, alii per sociorum Latini nominis urbes in custodias dati, variis casibus interiere: multitudo alia civium venundata. De urbe agroque reliqua consultatio: quibusdam delendam censentibus urbem praevalidam, propinquam, inimicam.*

Capta urbe, et rebus inde, restitutis nihilominus primatum ceteras inter Campaniae urbes retinuit; quae cum antea fuissent Romanorum praefecturae (1), fuerunt, ni

Capua Praefectura, et Colonia.

(1) Praefecturae eae in Italia fuerunt, in quibus et ius nundinaeque agebantur, parvamque habebant reipublicae formam, neque magistratus aderant: in eas praefecti quotannis mittebantur. Harum genera duo fuerunt: alterum in quas ibant quatuor praefecti: alterum in quas ibat praetor urbanus quotannis. Toto eo tempore, quo Capua fuit Praefectura, maximas utilitates et commoda percepit eo modo, ut pristinum in statum fuerit restituta.

fallor, sub eodem regimine, nempe Praefecto, qui quotannis Roma mittebatur. At tandem Caesar (1) cum consul primum fuit anno ab V. C. DCXCIV legem tulit ut Campanus ager plebi divideretur, suasore legis Pompeio; et ita circiter viginti millia civium eo adsportati, et ita ius ab iisdem restitutum post annos circiter CLII. quam a Punico secundo bello ab Romanis Capua in Praefecturae formam erat redacta. Idem Caesar XX. viros creavit, ut divisionis haberent curam. Ita eo tempore quo Capua fuit colonia, ad maximum magnificentiae statum fuit redacta: nam Romani tunc plura condiderunt aedificia. Haud ita vero evenisse Corintho, et Carthagini cum captae fuere, narrat historia. Iure igitur merito Caesar idem haud dubitavit, quin Capuam amplissimam et frequentissimam deduceret Coloniam. Et Augustus post debellatum Sext. Pompeium, novos adiunxit colonos, quo factum est, ut rursus nobilis, atque conspicua evaserit. Si ergo denuo celebris fuit, Caesari incrementum debuit, qui illam *Iuliae Felicis* nomine dedicavit. Hinc aedificia ibi erecta fuere tam magnifica, ut cum Romana possent maiestate utique decertare. Testatur enim hoc amphitheatrum adhuc marmoreum, quod magnificentiam praesefert.

Antiquae urbis situs.

Antequam manum de tabula, dicendum restat, quo in loco fuerit olim sita haec urbs, et de novae auctore. Livius lib. XXVI. ad Tifatam montem sitam declarat; *Hannibal in valle occulta post Tifatam montem imminentem Capuae consedit.* At videndum quinam heic sit Tifata

---

(1) Duas Campanae Coloniae deductiones ante Caium Iulium enumerat Mazochius de Amph. Camp. c. 1. Quas quidem deductiones non magno intervallo inter se in Ciceronis iuventute accidisse existimat idem auctor. Una est illa M. Bruti, cuius saepenumero idem Tullius meminit in Agrar. et praecipue num. 34. Altera est L. Cornelii Syllae, qui primus militaribus Coloniis Italiam replevit, et Capuam praesertim.

mons; quandoqnidem Capua in huiusce montis plano fuit ad orientem; quo in loco magnifica adhuc rudera, atque amplae aedificiorum restant ruinae, necnon innumera veteris sculpturae, et artis opera per multam tempestatem disiecta sunt. Qui locus ubi Capua fuit, nunc incolitur quibusdam vicis satis cognitis, *S. Mariae* a templo Virgini dicato, et a Campano Episcopo Symmacho S. Paulini Nolani contemporaneo aedificato, qui fato functus est anno CCCXXXV. a Partu Virginis. Alius prope *S. Mariam* est *S. Petrus in Corpore* ab alio vetustissimo templo SS. Apostolis Petro, et Paulo olim dicato. Hoc in loco sita fuit antiqua Capua, a nova vero duo dissita milliaria.

Vetusti pagi Capuae vicini.

Praeter hos hodiernos pagos, ad lectoris eruditi oculos quosdam alios vetustos suppingemus ad Capuam quondam pertinentes, quorum memoria obliterata, vixque ad posteros illorum pervenit nomen. Primum omnium occurrit pagus Iovius, hodiedum *Casa Iove*, vel potius *Casa Nova*. Huic pago nomen inditum putarim a celebri Iovi templo dicato, vel in ipsa urbe vicina Capua, vel in hoc vico. Ipsius extat mentio in duobus vetustissimis marmoribus Capuae repertis, et a Mazochio recitatis Amph. Camp. c. 8 in quorum primo legitur pagus Herculaneus, et pagus Iovis. In alio vero pago Herculaneo, nunc *Recale* Herculi templum dicatum esse probatur ex epigraphe a Reinesio allata Class. I. num. 64. Fuit alius prope Capuam vicus Apollinis, puta ab huiusce Dei aede, cuius nulla in praesentiarum rudera snpersunt. Hodiedum pagus hic ab indigenis *Casapulla* dictitatur. Ab ipso procul aberat alius vicus, nunc *Marcianise* Martianisium a Martis templo dictus. Pagus Camilli proximus est, nunc *Camigliano*; intra huius ruinas Mercurii ex aere statua fuit reperta anno MDCCLII. et heic quondam extitisse templum ex Pratillio constat de Via Ap. lib. III c. 1. Fuisse autem prope Capuam Veneris pagum, et proprie in Stellatis campo constat ex ara huic numini dicata. In Veneris templo Gratias sorores cultas putarim, utpote pa-

gus hic hodiedum salutatur *Grazzanise.* Cereris vicum quoque ad Capuam pertinuisse putatur, qui nunc ab accolis dicitur *Casa Cellola*: heic olim vetustas fabricas effossas creditur.

Capua nova. Haec urbs tandem nova a Campano Comite Landone fuit condita, ubi olim vetustum adsurgebat Casilinum anno DCCCLVI. Temporis progressu celebris evasit arx fortissima, ut nunc conspicitur, dum nempe tota muro circumvallata est, et Vulturno flumine munitur. Vrbs haec variis temporibus longas fuit experta obsidiones, et fame potius fuit capta, quam armis.

CAPUT IV.

Describitur Amphitheatrum Campanum, uti hodiedum existit, deque eius partibus.

Ad magnificentissimum amphitheatrum Campanum describendum nunc veniamus. Haec enim a Campanis ipsis excitata moles aedificii maximae fuit oblectationi (1). Ipsam autem celeberrimam fuisse neminem profecto latet. Nam hodie eius rudera fidem adhuc faciunt Campanae maiestatis, quae quidem conspersa huc illuc conspiciuntur. At nihilhominus tantae magnificentiae aedificium

---

(1) Verbis haud dici potest, quantum Campanus populus ludis gladiatoriis fuerit delectatus. Hanc ob causam illorum in ludos studium eo pervenit, ut nulla mensa lautior haberetur, nisi paria gladiatorum committerent. Hinc Patavinus auctor lib. IX c. 40 de Campanis sic indicat. *Campani ab superbia, et odio Samnitium gladiatores* (quod spectaculum inter epulas erat) *eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt.* Hinc ex eo originem duxit ludus Samniticus. Ad hoc ea civitas nobilissimum excitavit amphitheatrum, circum, gymnasium, et alia aedificia, ut nempe hisce ludis identidem delectaretur.

nihil obstantibus Barbarorum cladibus flammisque, nihil ipsis incolis, nunc tamen quasi manet integrum vetustatis monumentum.

Hoc amphitheatrum sicut illud quod Romae, Veronae, Pompeiis, Puteolis, aliisque restat locis, rotundum vel ovali potius forma esse constat. Illnd vero Campanum fuit variis nominibus appellatum. *Cavea* primum dictum quia illud undique erat clausum, vel in miram quandam exurgebat sublimitatem. *Colisaei* quoque nomen ei datum, ut etiam Romano, uti autumat Cl. Mazochius de Amph. Camp. c. 7 nam Κολοσσὸς dictus est: παρὰ τὸ κολουεῖν τὰ ὄσσε, *ab imminuendis, et decurtandis oculis.* Lipsius de Amph. c. 1. Colisaeum ab Neronis colosso in vicinia reperto dictum putat. Sed laudatus Mazochius loco cit. a veritate penitus errasse Lipsium scribit, cum hoc aedificium ab eius immensa mole, et a colossaea celsitudine doctissime nuncupatum probat. Illud tandem *Berelais*, sive *Berolasis* usque adhuc ab ipsis Campanis, et praesertim ab incolis dicitur *i Vorlasci*, cuius originis etymon ab eodem Mazochio clare aperitur, illud vocabulum esse affirmante, septentrionalium linguarum, et ad hoc probandum longam affert auctorum segetem: praesertim adest Erchemperti auctoritas, qui nono scripsit saeculo, et qui de quodam sic narrat Guaifario Hist. Langob. c. 41; *Adveniens Berelasis*, hoc est amphitheatrum: ab eodem auctore illud saepe hoc nomine significatur. A Langobardis vero in arcis formam fuit hoc amphitheatrum redactum, postquam vetusta Capua IX a Saracinis saeculo fuit eversa. Moles externa quadratis magnis convestitur silicibus: circa amphitheatrum fuisse gradum affirmat idem Mazochius. Tota moles structa saxis terno porticuum ordine in orbem erigebatur. Columnae vero variis ordinibus sunt constructae. Super fenestras dispositas corona marmorea erat scalpta. Supra aedificii huius extremitatem foramina in orbem aderant, per quae antennae demittebantur, quibus funes ad vela sustinenda ligabantur. Qui mos

inducendi Theatris umbram (1) a Campanis primum originem ducens ad Romanos temporis progressu derivavit. Fuere etiam imagines fornicibus adhaerentes. Lipsius de Amph. c. 4 in arenae plano Iovi Latiari aram, aut Plutoni sacram extitisse credit.

In amphitheatri vero plano fuisse liquet imas portulas per orbem positas, quae quidem erant foramina, vel ostiola, ex quibus ferae emittebantur. Amphitheatri vero area arena (2) consterni fuit solita; unde recte *ad arenam descendere* ab antiquis in amphitheatri planum venire, et ad aliquid capessendum fuit usurpatum. Praeter haec supradicta ostiola fuere et alia duo: quorum alterum erat *Libitinense*, ex quo mortui educebantur gladiatores: alterum huic e regione positum, de quo silent auctores. Supra has portulas *Podium* erat columellis per orbem circumseptum, et hoc pedis instar aliquantulum prodibat.

Post podium locus erat ad spectandum destinatus, isque aliis ceteris dignior habebatur, ibique Imperatoris erat suggestus, et constitutum tribunal, et magistratus, et Vestales, nobilissimique adsidebant viri. Statim supra hos alia subsellia quatuor, vel quinque per gradus distincta sequebantur, in quibus erant senatores, eaque

---

(1) Campanorum utpote luxuriante urbe per longam tempestatem, luxus ingens usque perduravit: hinc velorum in amphitheatro usus ad ipsos Romanos pervenit, ut nos docet Valerius Maximus lib. II. c. 6. Hinc in summi amphitheatri circumferentia partim foramina erant, quibus mali ad sustinenda vela immittebantur, si solis aestus urgeret, vel pluvia ingrueret. Ea vela vel serica, vel purpurea erant. De hisce velis ad theatrum praesertim, vel amphitheatrum opacandum cecinit Lucretius lib. VI v. 108.

(2) Hinc temporis progressu ad eam magnificentiam est perventum, ut Caligula chrysocollam et minium in amphitheatro spargi curarit, et Nero cinnabarim adiecerit, ut scribit Tranquillus in eorum Vita.

Ὀρχήστρα vocabantur. Supra senatum quatuordecim gradus equitibus assignati. Hinc *sedere* (1) *in quatuordecim* pertinuit ad equestrem ordinem. Reliqui gradus populo dabantur; unde *popularia* dicebantur, qui plures erant, iique gradus in imam, mediam, summamque tribuebantur caveam. Ima cavea erat omnium honestissima.

In amphitheatro vero fuere tres *praecinctiones*, seu baltei, nempe gradus latiores ita interiecti, ut primus gradus orchestram ab equitibus, alter a popularibus, tertius universam divideret caveam. Hae vero praecinctiones non erant ad sedendum factae, sed graduum ingressus; in his aderant *Vomitoria*, vel aditus, ostiola nempe quaedam, ex quibus ab externis porticibus quisque ad suas perveniebat sedes.

In cunctis subselliorum ordinibus aderat graduum angustorum series ad ascendendum a praecinctione ad locum occupandum, quae dictae fuere *Viae*, seu itinera, vel scalaria. Vltima amphitheatri pars *Cathreda* fuit appellata, quae quidem erat porticus opere arcuato, quaeque totam amphitheatri supremam occupabat extremitatem. Heic foeminae a viris divisae in suis sedebant sedibus. Lipsius de Amph. c. 13 heic etiam sedere pullatos homines credit, idque probat ex Suetonio in Octav. c. 44.

Sunt qui scribunt, hanc immensam aedificii molem continuisse ad nonaginta prope millia hominum, ut declarat Carlettus, Storia della Regione Brugiata nota 31. Hinc ad tantam hominum frequentiam amplexandam, et ad publicam tranquillitatem variae leges latae fuere, quo rectus servaretur ordo, et praesertim quo senatoribus honor tribueretur.

---

(1) Hic vero usus ad sedendum invaluit, ut senatoribus, virisque dignitate praestantibus pulvinus daretur. Id e Tullio compertum habemus epist. ad Trebat. lib. VII. Reliqui vero ordines, populares nempe nudo insidebant lapide, ut apud Garios in Theatro mos idem obtinuit. Adisis Bulengerum de Theatro.

Ludi vero in amphitheatro vel ab Imperatoribus, vel a senatu, vel ab aliis edendum assuetis identidem fiebant; hisque habendis nulla temporis praescriptio erat, sed pro re nata, vel pro aliqua victoria, vel pro aliquo festo ingruente iidem edebantur.

Hactenus dicta spectant ad antiquam amphitheatri Campani historiam. Quid aevo sequiori huic evenerit, per auctores vix compertum habemus. Credibile enim est, Barbaris in Italiam saepe advenientibus, omnia fuisse redacta in extremum statum. *Berolasis* nomine post Romani Imperii excidium amphitheatro imposito Campano, nihil aliud significatur, quam *Arx*. Mazochius de Amph. Camp. c. 7 affirmat, Gothorum aevo Campano in amphitheatro ludos, et gladiatoria spectacula magno fuisse in pretio. At Langobardi postea, qui Gothis successere, plures igne concremarunt urbes, quas inter Capua ab iisdem incensa, quo tempore amphitheatro damnum etiam maximum fuit allatum.

Hoc vero insigne antiquitatis monumentum, quod decertare poterat cum diuturna saeculorum longaevitate, a Barbaris igne consumptum, et in arcis postea formam ab ipsis fuit redactum, ut paulo ante diximus.

Hoc tandem monumentum, ut affirmatur a Mazochio loco ante cit. Campanam erexisse Coloniam liquet; nam in coloniis suum cuique fuit aerarium, quemadmodum et ipsi Romae. Capua enim ditissima habebatur, et redditus habuit maximos; Leucogaeos praesertim possedit colles in agro Leborio, aliasque innumeras possessiones vel principum liberalitate, vel privatorum. Adhaec portoria, et vectigalia, quibus Augustus suas ditavit colonias, in quibus Capua fuit, ut ex Suetonio constat in eius vita c. 46. Hinc mirum non esse debuit, si hanc immanem amphitheatri molem erexerint Campani, qua *vix* subiungitur a Mazochio loco ante cit. *maior conlatis regum opibus attolli possit.* Hoc tandem amphitheatrum erectum fuisse creditur ante Vespasiani aevum, de quo confersis quaenam Cl. auctor ibidem opinatur.

CAPUT V.

De Theatro, Templis, Catabolo, ludo Gladiatorio, Circo, Gymnasio, Thermis, de Foro Seplasio, Albanoque; de variis vicibus; de Christiana Religione, de vetustis Capuae nummis, aliisque monumentis.

Postquam de amphiteatri Campani maiestate, deque omnibus quae ad illud spectarunt, breviter diximus, nunc antequam ad alias urbes describendas accedamus, rei ratio postulat, ut primum cetera antiqua, quae restant urbis aedificia, lectoris ob oculos proponamus.

Campanos ludis studiosissimos fuisse quondam ante diximus. Hi enim fuere delectati praesertim de rebus theatralibus: hinc molem istam condiderunt prope turrim S. Erasmi, cuius adhuc rudera supersunt prope Cryptoporticum, nunc *le Grotte di S. Francesco,* hodiedum ad regiorum stabulorum usum inservientem. Locum ipsum describit Pratillius Via Ap. lib. III. c. I. Hinc Theatri pars adhuc Mazochii aevo restabat: magna enim illius hemicycli pars fuit disiecta ob causam figulinae ibi exercendae, quo patentior explicaretur area. Hoc vero Theatrum sub Caesaribus fuit aedificatum, et fortasse a Campana colonia, sed post Augusti aevum excitatum. Theatrum.

In hac urbe plura fuere templa, inter quae Iovis illud, quod conditum fuisse creditur e regione cuiusdam civitatis portae. Alterum Dianae Tifatinae in parte occidentali eiusdem montis. Quod quidem magnificum fuit erectum in loco, qui olim appellabatur S. Michaelis Archangeli Ecclesia, et nunc S. Angeli. Huiusce templi Velleius Paterculus lib. II. c. 25. meminit. Prostat Capuae marmor, in quo legitur: *Sacrum Dianae Tifatinae Triviae.* Hoc templum fuit in occidentali parte Ti- Templa.

latae (1) montis, unde *Tifatinae* nomen impositum.

Ex Patavino historico lib. XXII. c. 8. compertum habemus Capuae etiam fuisse Fortunae, et Martis templa. Quo vero urbis loco ea fuerint, nulla ad nos usque vestigia tradita. Fuisse etiam aliud Neptuno dicatum ex marmore, quod Capuae servatur, clarescit. Praefatum templum fuisse in eo loco, ubi olim dicebatur *Fossa Neptuni*, ex Instrumento anno MCCLXIX. a Campanis Sanctimonialibus exarato probatur. Prope turrim S. Erasmi fuisse erutam lapidis partem cum columnis narrat Pratillius de Via Ap. lib. III. c. I. ubi olim fuit Mercurii aedes.

Praeter alia aedificia publica, quae quondam Capuae erecta fuere, memoratur Capitolium a Suetonio in Tib. c. 40. Hoc ab eodem Imperatore dedicatum nihil aliud fuit, quam Iovis Tonantis aedes Romanae instar, quamvis minor. Silius lib. XI. v. 266. huiusce etiam mentionem facit. Hinc recte intelligitur Taciti Annal. lib. IV. c. 57. textus narrantis eundem Tiberium Capuae hoc Iovi templum sacrasse: *Tandem Caesar in Campa-*

---

(1) Tifati montes, et mons Tifata est supra Capuam veterem, qui ut docet Festus, nomen hausit ex ilicibus; hinc apud eundem: *Tifata iliceta.* Nobilis vero evasit hic mons Romanorum aevo; in eo enim fuit *Dianae Tifatinae* templum, ut supra diximus, et aliud *Iovi Tifatino* sacrum. Hic insuper mons memoratur ab antiquis, et praesertim a Livio lib. VII. c. 29 et lib. XXIV. c, 7. Silius etiam hunc memorat lib. XII. v. 48 de Bello Pun.

In vertice huius montis prope Nolam (nam Tifata mons est montium catena) hodiedum stat adhuc vastum saxorum stupendae molis septum, quod dubio procul Hannibal super hos montes tendens extruxit. In tabula Peutingeriana locus iste his indicatur verbis. CASTRA HANIBALIS.

Ex alia parte iuxta Mazochium de Amph. Camp, c. 1 locus hic ex laeva nempe parte, Theodosii Imperatoris tempestate *Addiana* fuit vocatus a Dianae templo; ex dextera vero parte fuit *Iupiter Tifatinus.*

niam specie dedicandi templum apud Capuam Iovi, apud Nolam Augusto, sed certus procul urbe degere. Hoc vero Capitolium, sive Iovis templum Capuae non solum, sed in aliis quoque praeclaris urbibus fuisse ex historia liquet. Adhaec templum Veneris extitit, ut ex quodam constat marmore, et Cybelis ex statua reperta in loco, ubi nunc adsurgit S. Lazari aedes.

Apparent non longe ab amphitheatro cuiusdam triumphalis arcus ruinae non procul a porta Casiliensi, qui quidem arcus erectus fuit in Appiae viae medio, quae per mediam transibat urbem. At quinam eiusdem auctor, adhuc sub iudice lis est. Sunt qui putant, hunc erectum fuisse multum post tempus a Iulii Caesaris fato. Facile enim credi potest, hunc dedicatum Augusto Octaviano fuisse, qui hanc coloniam illustravit, et magnificentiorem reddidit. At ex inscriptione a Pratillio lib. III. c. I. recitata, quae mentionem Hadriani Imperatoris facit, credi potest, hunc arcum in eiusdem memoriam dicatum. Nam hic Imperator plura praestitit Campanae coloniae beneficia, et praecipue amphitheatrum restauravit, ut patet ex marmore a Mazochio de Amph. Camp. c. 8. reperto, atque perpetuo Commentario inlustrato. Arcus triumphalis.

Non longe ab eodem amphitheatro etiam fuisse *Catabolum* indicat Mazochius de Amph. Camp. c. 4 cuius rudera supersunt prope Ecclesiam S. Mariae Gratiarum in vico S. Mariae, qui locus vulgo ab indigenis *Catavolo* dicitur in praesentiarum. Hoc vero aedificium ad bestias (1) detinendas, et ad crudelitatem in bestiarios acuen- Catabolum.

(1) Mazochius loco supra citato in Campano Catabolo non proprie feras, sed equos circenses detineri fatetur. Locus vero in quo bestiae in ludorum usum detinebantur, proprie *Vivarium* vocabatur, ut ipsemet probat ex quodam lapide Romae reperto anno MDCCX. Consulsis etiam Ducangium Lexic. Med. Lat. artic. *Catabolum*, Vossium Etymolog. Pitiscum Diction. Antiqq. Rom. aliosque viros doctos. Verum apud Romanus usu-

dam fuit erectum. In hoc autem loco alebantur bestiae, quae quidem prout festum aliquod, vel publici ludi ederentur, emittebantur, quo populo spectacula darent. Earum vero ferarum numerus eo excrevit, ut ad quatuor vel quinque millia in amphitheatro, vel alio publico loco pervenerit. Hanc ipsam narrationem ex Tranquillo in Tito c. 7 accipimus, qui scribit, una die quinque millia ferarum omne genus ludorum edidisse. Eaedem vero bestiae, quae per longum tempus in eodem alebantur Vivario, plerumque eo mansuetudinis perveniebant, ut identidem currus vel in Circo, vel in Amphitheatro traherent.

Hoc Catabolum insuper fuit repertum a Pellegrinio, ut testatur Pratillius de Via Appia lib. III. c. 1 qui narrat hoc reapse esse prope Mariae Gratiarum Ædem, et subterraneum esse locum duodecim palmos Neapolitanos latum, et sexdecim altitudine. Per hunc bestiae in amphitheatro ducebantur. In aliquibus Instrumentis ab eodem Pratillio allatis legitur; *Ad Scollia prope Catabolum ad occidentem*, ubi *ad Scollia* nihil aliud esse creditur, quam vicina gladiatorum schola, qui cum bestiis in Catabolo manentes sese exercebant. Hae tandem subterraneae caveae viam habebant in ipsam amphitheatri arenam.

Ludus Gladiatorius.

Prope etiam amphitheatrum ex Mazochio fuisse accipimus *Ludum Gladiatorium*, ut ex variis ipse veterum aedificiorum arguit ruinis. Capuae olim celeber fuit hic ludus, ex quo anno ab V. C. DCLXXX. Servile bellum in Romanis fastis fuit conflatum duce Spartaco, ut fuse narrant Velleius Paterculus lib. I. c. 30 Florus lib. III. c. 20 aliique. In hoc autem ludo quid agebatur, quaenam gladiatorum munia, quaenam vitae ratio, videsis Roman. Antiqq. scriptores.

---

venit Cataboli nomine significari non solum equos, aliasque bestias ad onera vehenda, sed etiam alendas silvestres, uti leones, tigres, aliaque id genus animalia.

Prope Catabolum fuit etiam Circus, qui celeber evasit Ludis (1) Campanis, ut patet ex lege Codicis Theodosiani lib. XV. tit. 10. Huius occurrit mentio in quibusdam Medii Ævi instrumentis a Pratillio lib. III. c. 1 allatis: in quodam anni MXCI. sic legitur: *In pertinentiis villae S. Erasmi, et proprie ubi dicitur ad Circum.* Idem auctor affert mutili lapidis partem, in quo fit mentio de Campanis ludis Circensibus. Circus.

Adhaec nonnulla Campanae antiquitatis monumenta huc illuc partim in vico S. Mariae, partim in illo S. Petri in Corpore sparsa adspectantur, ut praecipue Thermarum ruinae, quae hodiedum mutato nomine militibus ad Capuae defensionem inserviunt. His tandem adde veteris aquaeductus, et Gymnasii reliquias, quae adhuc integrae sartaeque manent a temporum colluvie, et a Barbarorum manibus ereptae, quaeque veluti venerandae antiquitatis monumenta eruditis viris commonstrantur. Capuae vero fuisse Gymnasium, et Thermas ediscimus ex Mazochio Amph. Cam. c. 7 qui affert lapidis fragmentum, quod apud Casampullam in suburbano olim Camilli Pellegrinii aderat: in hoc marmore occurrit de Thermis praecipue mentio. Gymnasium, et Thermae.

Fuit in hac urbe platea, sive forum nomine *Seplasia*, in qua μυροπῶλαι, idest *unguentarii* negotiari solebant, quique heic unguenta adeo pretiosa conficiebant, ut Cam- Seplasia.

---

(1) Certum est ex Pratillio lib. III. c. 1. hanc urbem postquam ibi Caesar Coloniam deduxit, fuisse satis amplam. Nam ipse iuxta Appianum lib. XIV. deduxit viginti millia hominum. His adde gladiatorum scholam, quos Caesar habebat eosque in familias divisit. Eorum numerum Cicero ad Attic. lib. VII. 14 narrat fuisse usque ad quadraginta millia. His superadde Campanos ipsos cives, ex quibus licet coniectare, hanc urbem fuisse frequentissimam: hinc urbis antiquae moenia fuere satis ampla. Et re sane vera ex ruderibus quae restant, plures vicos occupant, ut ante diximus: vide igitur tunc temporis, quam lata et nobilis fuerit Capua!

paniae aliis opidis, quin et aliis longinquis venunda ren t Hinc factum ut ipsi Campani, qui longe lateque luxurias, atque illecebras inter usque palantes, unguenta isthaec efficerent, quo mensas inter, vinum, scorta, aliaque id similia semper odorem effluerent. Plures ex vetustis auctoribus Campanorum hoc vitium adnotarunt. Inter alios Tullius num. II. Pisonis vitia increpans haec scribit: *Seplasia mehercule, ut dici audiebam, te ut primum adspexit Campanum Consulem repudiavit.* Et paulo post de Gabinio Duumviro haec tradit; *Gabinium denique si vidissent Duumvirum vestri illi unguentarii, citius agnovissent: erant illi compti capilli, et madentes cincinnorum fimbriae, et fluentes, cerussataeque buccae, dignae Capua, sed illa vetere.* Vide quaeso ad quem ineptiarum gradum pervenerant Campani, ut non solum ipsi, sed magistratus etiam Capuae degentes, ad civium mores seipsos accomodarent. Id omne derivavit ex illorum fortuna; et in eum inciderunt luxum, ut quae olim de Crotone, Sybarisque traderentur, longe ea tempestate Campani superarent. Videsis quae scribit Livius de illorum luxuria lib. XXIII. c. 46. De iisdem unguentariis si plura cupis, legesis Pellegrinium Disc. III qui fuse de ipsis agit, ubi inter alia monumenta lapides quosdam recitat, in quibus eorum occurrit mentio.

Forum Albanum.

Extitisse aliud forum in hac urbe celebre, et fortasse a Seplasia haud dissitum nomine Albanum confirmatur ex Tullio Orat. contra Rul. II hoc modo: *Iam vero qui metus erat tunicatorum illorum, et in Albana, et Seplasia, quae concursatio percunctantium, quid praetor edixisset?* Hoc forum Pratillius lib. III. c. 1 de Via Ap. haud longe ab Albana porta nomen desumpsisse arbitratur, a qua parum distat vicus *le Curti.*

Variae vicis.

Haec insuper urbs celebris evasit, atque nobilis, quae post plura stetit saecula florentissima respublica, et aemula Romanae magnificentiae, et maiestati, et magistratibus ipsis, quaeque tot bella gessit, quaeque cum vicinis, tum dissitis gentibus invidiae semper fuit, quae-

que usque luxuriavit diuturna Saeculorum longaevitate. Everso hinc Romanorum Imperio, per Barbarorum manus misere corruit. Gensericus enim anno CCCCLV. ut narrat auctor Historiae Miscellae lib. XVI. Gothorum Rex primum Capuae urbi ruinas attulit, et per id temporis in parte fuit restaurata a quodam Posthumio Campaniae Consulari (1), ut patescit ex marmore reperto prope amphitheatrum.

Adhaec Langobardica vigente dominatione, quo tempore Radelchisius Beneventanorum Princeps Campanis infensissimus, quod hi Siniculpho Salernitanorum Principi essent accepti, Saracenos sibi accivit, et adiunxit, *Capuam primariam redegit in cinerem*, ut narrat apud Cl. Muratorium anonymus Cassinensis tom. II. Rer. Italic. Et Paulus Diaconus lib. V. Hist. Langob. sic etiam

---

(1) Iuvat heic breviter adnotare a quonam, et quando instituti fuerint Consulares viri. Ex Plinio Hist. Natur. lib. III c. 5 primum certiores facti sumus, Augustum circiter annum V. C. DCCXXVIII. Italiam in undecim divisisse regiones, et fortasse singulis magistratus Proconsulum nomine ad cuiusque regimen adsignasse. Verum sequiori aevo Hadriano nempe Imperium moderante rursus mutata, et in quatuor regiones, provinciasve divisa, Consularis vir cuique datus. Id omne narrat Spartianus in eius vita. At quinam eo tempore Italiae fines, per auctores incertum quidem est. Ex pluribus quae restant monumentis, scimus Campaniam suos habuisse Consulares. Mutata per eam tempestatem Italia, Campania nostra quos haberit fines, haud est compertum. Pellegrinus Disc. I. part. VII. et Pratillius *de Consularibus* hanc regionem cum Irpinis, et Samnii parte ad Apuliam usque extensam autumant, quamvis alii hanc novam ab Hadriano factam divisionem credunt de provinciis Italiae meridionalibus tantum. Haud nostra interest scire, utrum divisio isthaec ad totam pertinuerit Italiam, ac an regiones meridionales.

Qua vero Campaniae urbe Consularis suam habuerit sedem, incertum: probabile est, Capuam magistratum hunc excepisse. Quae vero iisdem fuerint munia, haud constat: mutata republica, et moribus, tales magistratus per id temporis alteros fuisse Reges creditur, quibus illimitata esset potestas.

de Capua scribit: *Relicta urbe, per Campaniam Vandali, Maurique effundentes, cuncta ferro, flammisque consumunt. Quidquid superesse potest, diripiunt, Capuamque nobilissimam civitatem ad solum usque deiiciunt, captivant, praedantque.* Iuvat heic advertere, eo tempore Campanos Comites incensa urbe alium in locum commigrasse, sedemque fixisse super Triflisci, et Palumbarae colles, ubi castrum fuit conditum nomine Sicopolis, et ubi novam aedificarunt Capuam.

Temporis progressu diviso Beneventi principatu a Salernitano, Lando Capuae Comes erat, sub cuius potestate plures erant urbes, Sicopolis nempe a Sicone paulo ante aedificata, eaque caput erat: Berelais, ut ante diximus, a Campano amphitheatro nomine desumpto, per ea tempora vetusta significabatur Capua: urbs Vulturnum, Suessa, Teanum, Casāmirta a veteris Saticulae fortasse ruinis condita, Calvum, Calinum, vel Carinula a Calibus nomine mutuato, Venafrum, Aquinum, Arx, Sora, aliaeque cum vicinis vicis Campano parebant Comiti.

Christiana Religio.

Quo vero tempore Capua urbs fide fuerit imbuta, ea ipso tempore fuisse autumarim, quo D. Petrus Apostolorum Princeps, fundata prius Tarentina, Beneventana, et Neapolitana Ecclesia, Romam ad suam cathedram stabiliendam perrexit. Antiquissima enim traditio, et templa eidem dicata, et pagus ipse S. Petri in Corpore id nobis confirmat. Constat S. Priscum (unde temporis progressu vicus eidem Divo dicatus) unum ex LXXII. Christi discipulis Campanae urbis praesulem a B. Petro sacratum. Id nos docet Michael Monachus in Sanctuar. Camp. qui ex vetustis illius Ecclesiae monumentis eruit. Confersis etiam quae scribit Petrus Natalis lib. VIII. c. 18 et Pellegrinius Disc. II. c. 18. Hunc autem D. Priscum Capuae martyrii laurea donatum testatur Romanum Martyrologium.

Veteres nummi.

Antequam ad alia progrediamur (quoniam de singulis rebus, quae ad Capuam spectant, diximus) iuvat

hac nonnulla adnectere de nummis Campanorum vetustis. Franciscus Danielius librum exaravit anno 1802 et typis edidit Neapoli Italico sermone: *Monete antiche di Capua*. In eo quidem decem et octo prodit Campanorum nummos, ubi erudite probat, eos omnes ab ipso collectos ad Capuam urbem spectasse. Ex his cunctis ab eo allatis sex Iovis effigiem praeseferre constat, in quorum primo ex antica parte Iovis adspicitur barbatum caput, et laurea donatum cum duobus stellis. Ex postica parte adest aquila, ex cuius pedibus fulmen emittitur. Sex alios ad Dianam, alios ad Cererem, duos ad Palladem, et ceteros ad Herculem pertinuisse satis elucet, prout videre est ex singulis nummis typis editis ab ipso Danielio. Ex his igitur decem et octo citatis constat Campanos praefatorum numinum cultui maxime addictos fuisse, qui et templa, et numismata eisdem dedicarunt. Crediderim Campanos alios habuisse nummos: nam ex his, quae diximus ante, et rempublicam satis divitem, et multo nobilem fuisse liquet: hinc eam ob causam alia fuere cusa numismata, quae haud ad nostram pervenerunt aetatem, cum fortasse Barbarorum causa, et temporum colluvie utpote quae fuerint deperdita.

Ad calcem dicendum, Capuam fuisse quorundam virorum celebrium patriam, quos inter alios vetusto aevo memoratur Cn. Naevius poeta Atellanarum, Oscarumque fabularum scriptor, qui primo Punico bello fecit stipendia, ut scribit Ennius. Ipse tanta in scribendo libertate usus est, ut nobilium factione, et praesertim Metelli, et Scipionis Africani opera Roma pulsus, Uticae diem obierit extremam, uti in Chronico Eusebiano tradit D. Hieronymus ad Olympiadem CXIV. Campanus fuit etiam Cl. Camillus Pellegrinius, necnon laudatissimus usque Symmachus Mazochius, Pratillius, aliique docti Viri.

Atque haec satis sint, quae de veteri Capua, deque rebus ad illam spectantibus erant dicenda.

CAPUT VI.

In quo agitur primum de Appia via, de monte Callicula, de opido Casilino, deque eius obsidione, de Butilini copiis prope Casilini pontem a Narsete per fractis, de Calvis, de Sidicino et agro Falerno.

Cum satis prata biberint, et cum fuerimus locuti de rebus, quae ad veterem Capuam pertinuerunt urbem, nunc sermo vertendus ad alias urbes, quas olim antiqui incoluerunt Campani. Antequam vero alio progrediamur, heic primum de illa nobilissima viarum regina Appia nempe agemus. Quid interim hoc incundius, quam magnificas Campaniae urbes, pagosque percurrere, vias, fluviorum origines, et cursum, hominum mores, cuiusque loci naturam, et montes agnoscere? Quae cum ita sint, singulas urbes invisemus, deinde de cuiusque dicemus origine, quis deinde sedes occuparit, et ad quos transierint. Tandem de rebus, necnon et antiquis aedificiis adhuc extantibus verba faciemus.

Nemo ex eruditis adest, qui inficias ibit, quantum Romanus populus in privatis, et praesertim in publicis constituendis aedificiis fuerit usque laudatus. Nam ipsemet ad grandia sane natus pereximia artis opera ubique terrarum extruxit. Et re quidem vera tantarum magnificentiarum (et ut ita dicam) miraculorum adhuc extant passim, et vicatim monumenta. Hic vero populus ditissimus fuit aestimatus: nam propter illam bellicam virtutem, quam huic quidem naturae auctor fuit elargitus, cunctas bello gentes tunc cognitas subegit, et ex hisce quasdam thesaurorum pondera immensa possidentes perdomuit: hinc ex ereptis spoliis ditissimi prae ceteris evaserunt Romani. Temporis progressu pace gentibus parta, commercioque promisso, et ad magnifica animum manumque appulerunt. Hinc perplura publica condideunt aedificia cum Romae, tum aliis passim locis. Mitto tot

templa, theatra, circus, aquaeductus, et alia id genus, quae undequaque per urbes singulas excitarunt iidem. In his enim quam magna, et eximia artis opera in exstruendo praesetulere! At prae cunctis aliis unum profecto, propter quod Roma sibi gloriam maximam comparavit, et ad magnitudinis veluti fastigium pervenit, fuit Appia nempe via, ad quam sternendam sumptus insumpsit permagnos. Haec enim ut alias praeteream, fuit quovis aevo celebrata.

Appia via.

Primum isthaec laudibus exornatur a cunctis vetustis scriptoribus qui passim illam magnificam, et nobilem salutarunt: inter ceteros, qui de illa mentionem fecere, fuit Strabo lib. V. Geogr. qui hanc praeclarissimam appellat, et Statius lib. II. Silv. c. 2 v. 12 sic canit:

. . . . . *Qua limite noto*
Appia longarum teritur regina viarum.

Huiusce viae auctorem iuxta omnes Appium Claudium Coecum nomine fuisse memoratur, qui a suo nomine *Appiam* fecit. Extat apud Gruterum pag. MCI. lapis, ex quo Appium Claudium ipsius viae auctorem fuisse eruitur. Haec vero via incoepta est anno CCCCXLI. V. C. Iuxta Tacitum Annal. lib. II. c. 30 aliosque nonnullos ab eodem Claudio Appio creditur, hanc Capuam usque silice stratam fuisse, non vero Brundusium. Haec enim via eo quidem tempore fuit aperta, quo Samniticum adhuc bellum persaevum exardescebat, cum non ultra Capuam tunc temporis Romani protenderentur fines; hinc ne reipublicae status alienis patesceret gentibus, huc usque fuit producta. Sunt qui scribunt, ut e ceteris Plutarchus in Craccho hunc reapse confecisse. Alii Caesarem Augustum perfecisse contendunt, sed Suetonius in eius Vita c. 30, hunc Imperatorem opus absolvisse testatur. Lipsius in II. Tac. Annal. c. 74 utrum a C. Craccho, an a Caesare Augusto Appia a Capua ad Beneventum usque producta fuerit, dubitat. At Lecterius Antich. di Suessola part. I c. 10 ex eruderato marmore milliario in hortis Maffeianis prope pagum vulgo *Forchia* clare eruit, a

Caesare Augusto hanc viam silicibus constructam esse.

Alii narrant idem, ut Strabo loco cit. quem ceteri sequuntur. Illustrissimus Lupolus Iter Venus. Clas. II. pag. 300 alios Imperatores, hanc viam fuisse prosecutos autumat. Quamvis ergo haec diversos agnoscat auctores, non inde colligendum, hanc illorum nomen usurpasse, sed Appiae semper retinuisse.

Laudatus Lupolus duas distinguit vias ante Traianum (1) Imperatorem (hic enim etiam viam restauravit, et perduxit ad Brundusium fortasse) et ad hoc demonstrandum Tullii Ep. ad Attic. lib. VIII. 14 auctoritatem affert, quo id probet, ac iter Horatii lib. I. Satyr. 5 Brundusium usque, ubi poeta eandem viam perductam esse usque ad eam urbem narrat. Strabo lib. VI. fuisse duplicem viam demonstrat, qua Benevento Brundusium usque perveniri facile erat, per Peucetios nempe ab eodem Venusino poeta descripta, et per Daunios altera, quae Appia dubio procul ipsamet fuit, et per Venusiam Brundusium eundum erat.

Quoad vero Appiae maiestatem et magnificentiam spectat, legendus est Procopius de Bello Goth. lib. I. c. 14 qui hanc mirandum in modum describit. Iuxta vero Pratillium CXXIV. milliaria a Roma ad Capuam extendebatur Appia, et ad Brundusium CCXCIII. qui quidem existimat, hanc viam latam fuisse in quibusdam locis viginti sex pedes, et in aliis minorem, quod certe tribuendum arbitror variis locorum incommodis. Ea vero inci-

---

(1) Eandem vero viam a Benevento ad Brundusium usque instauratam esse a Nerva Traiano Imperatore constat ex quadam Columna milliaria a Grutero pag. CLI. recitata, et apud Asculum reperta. Hanc etiam viam temporis progressu multis abhinc saeculis vetustate senescentem restauratam fuisse ab aliis Imperatoribus probatur ex alio marmore a Lecterio recitato, ex quo quidem satis eruitur, Theodosium Imperatorem refecisse, quamvis ipsa semper Appiae nomen retinuerit.

piebāt a Capena porta, quae hodiedum Romae dictitatur *porta di S. Sebastiano*. Eo loco incipiebat milliare primum, quod *Aureum* fuit appellatum. Ab hoc loco Brundusium usque olim super hanc viam passim ab utroque latere adsurgebant publica, et privata aedificia.

Pratillius librum elucubravit *de Appia Via*, in quo affert infinita monumenta, quae olim erant super Appiam viam dispersa. Hoc unum addendum restat, ut de tantis, ac praeclaris monumentis, nihil aliud nunc temporis supersit, quam in quibusdam locis pauca vestigia, et ut ita dicam, vix Appiae nomen ad posteros pervasit: tot enim saecula, hominumque barbarorum colluvies Italiam a fundamentis evertentium, coeli aerisque inclementia, tot bella, caedesque, terraemotus, atque humanae vicissitudines locorum faciem penitus adeo inverterunt, ut de Appiae maiestate lacrymabile nomen ad seros nepotes vix tradiderint.

Postquam de Appia via verba fecimus, ad singularum nunc Campaniae urbium descriptionem accedamus oportet. At iuvat heic advertere, auctores antiquos, et recentes pauca de his memoriae prodidisse. Nos igitur quoad in nobis erit situm, de illis diligenter, duce historia, ac lumine pauca appingemus, cum heic potius Daedali Labyrinthum ingredier fatemur.

Omnium primum occurrit ad alteram Vulturni (1) Mons Callicula,

(1) Quoniam heic Vulturni occurrit mentio, aliquid de hoc fluvio pro re nata appingere curae sit. Hic a Sanfelicio de Origine Camp. pag. 5 *maximus omnium fluviorum*, a Polybii interpetre *Athurnus* lib III. dicitur. Quidam autumant, Vulturnnm *divisorem* significare, quippe quod Samnites a Pelignis, et Campanis seiungeret agris. Pellegrinius Disc. II a *volvendo* vult dictum ob varios, dubiosqne cursus. Huiusce fluminis fontes sunt in Samnio in Caracenorum finibus, ut etiam scribit Sanfelicius loco citato. Per Venafrum hinc decurrit, Alifas, Telesiam, Calatiam, Casilinum (nunc novam Capuam) alluit, atque inde in Tyrrhenum se exonerat mare in eo loco, qui dicitur: *Castell' a Mare di Volturno*, qui sane cursus est LXXX prope milliaria.

ripam mons Callicula, qui Campano ab agro Formianum dividebat: mons hic hodiedum *Baronia di Formicola* dicitur, et *Monte Maggiore*, et *S. Salvadore*, qui quidem a propinquis Calibus nomen fortassis usurpavit. Extenditur a Massico Monte, et a Savone amne ad Vulturnum usque. Iuxta Savonis laevam ripam Hannibalem transisse putat Cluerius Ital. Antiq. lib. IV. c. 7. Quin imo certum est ex Livii auctoritate lib. XXII. c. 15 per hunc locum ipsum traiecisse, et a Fabio Maximo Casilinum apud fuisse obsessum.

Hannibalis callidita.

Celebris est illa super hoc monte Hannibalis calliditas: cum enim a Q. Fabio Maximo Dictatore circumdaretur, nec unde se eriperet, haberet (cum inclusus in hisce vallibus ipsius exercitus esset) hostem ita frustratur. Undique ex vicinis agris virgarum fasces, atque arida collecta sarmenta iubet bobus alligari, qui ad duo millia ferme effecti. Noctis silentio ubi ad radices montium, et vias latebrosas ventum est, dat signum ut accensis cornibus armenta in adversos concitentur montes. Calor hinc, ac flamma stimulatos agit boves. Rumor in hostium campos affertur, ad arma concurritur; Fabius ipse quid hoc sibi velit miraculum inscius, atque perterritus: tum boves per agros, perque montes palantes in fugam concitantur. Sic Hannibal traducit totum agmen incolume per saltum, atque Fabii manibus se eripit. Ita rem cunctam iisdem prodit verbis Livius loco supra citato.

Casilinum.

Casilinum opidum supra viam Appiam fuit situm, ubi hodie stat nova Capua, et a veteri duo dissitum milliaria super Vulturnum fluvium, utramque respiciens ripam. Hinc est apud Livium lib. XXII. c. 15. *Fulvius Casilinum occupat modicis praesidiis, quae urbs Vulturno flumine dirempta, Falernum a Campano agro dividit.* Strabo lib. V hanc urbem etiam supra viam Appiam ponit. Coloniam deductam a M. Antonio esse declarat Tullius Philipp. II. 40.

Urbis obsidio.

Ea vero urbs quo tempore Hannibal in Italiam de-

scendit, cunctisque domitis populis, atque opidis, Romanisque pluries in acie copiis perfractis, et Capua ipsa in Poeni ducis potestatem adducta, haec haud unquam in illius pervenit potestatem. Hinc factum, ut longam potius passa sit obsidionem, quam in ipsius manus perveniret, et res eo venit, ut fame horrenda civibus adductis, alimenta defecerint. En ut a Livio lib. XXIII. c. 14 id aperte ostenditur: *Postremo ad id ventum inopiae, ut lora, detractasque scutis pelles, ubi fervida mollissent aqua, mandere cogerentur; nec muribus aliove animali abstinerent.* Et Plinius scribit Hist. lib. VIII. c. 57 *venisse murem ducentis denariis, Casilinum obsidente Hannibale.* Eandum iam suo aevo narrat pene eversam idem auctor.

Butilini copiae prope Casilini pontem a Narsete perfractae.

Celebris est insuper historia quam narrat Paulus Diaconus de Gestis Langob. lib. II. c. 2 et Agathias lib II de Butilino Alemannorum, Francorumque duce. Hic enim anno DLIII. Gothicis rebus iam conclamatis, cum ingenti armatorum agmine in Italiam descendit cum Leuthari fratre, quo Gothis suppetias ferret. Iam cuncta ferro, flammis, et internecione extincta erant: urbes captae, populatae, eversaeque per Barbaros erant. Leutharis ad Padum fusus cum copiarum parte a Narsete iam erat. Butilinus interim per Samnium in Campaniam pervenerat, ubi castra ponit ad Casilinum. Heic praelium horrendum gestum: Narses enim haud procul a Butilini castris cum Graecorum exercitu tendebat. Excursiones prius factae inter utrosque non procul a Vulturno in eo loco, qui Casilini pons dicebatur. Narsetis milites prius turrim a Barbaris supra pontem factam evertunt; haec exitialis praelii causa fuit. Hinc Graeci cum Barbaris congredientes adeo acriter pugnarunt, ut cuncti ad internecionem redacti sint: nam ad triginta prope millia eo die caesi fuere.

Cales.

Non procul a Calibus fuit Stellatis ager, nunc *territorio di Carinola*, quem memorat Tranquillus in Caes. c. 20. *Campum Stellatem a maioribus consecratum, agrum Campanum ad subsidia reipublicae, vectigalem relictum.*

In eodem agro fuere urbs Cales, quae nunc *Calvi* dicitur, septem millia passuum a Capua dissita, secus viam Latinam. Livius lib. VIII. c. 10 hanc urbem ab Ausonibus olim habitatam esse credit. Ipsa vero nobilis evasit in Romanorum historia ob diversas vicissitudines: memoratur praecipue ob quandam aquam ab antiquis laudatam, cuius mentionem fecerunt Valerius Maximus lib. I. c. 18 de Mirac. et Plinius lib. II. c. 103. Nobilissima quoque vina protulit Calenus ager: quorum Venusinus poeta meminit lib. I. od. 20.

In ea urbe Romanorum aevo erecta fuere varia templa, ut adhuc videre est ex pluribus, quae restant ruinis. Fuit heic Mercurio aedes dicata; supersunt adhuc urbis antiquae moenia, et in ruinis adhucdum vasa, numismata, signa, aliaque id genus passim effodiuntur. Paucis abhinc annis reperta fuere marmora quaedam a Matthia Zona, recitata Storia di Calvi c. 16. Ex immensis etiam vetustarum fabricarnm ruderibus clare patescit, in hoc opido Circum fuisse, et amphitheatrum. Videsis laudatum Zonam c. 8. Fuisse etiam balnea ex aliis ruinis indicat idem auctor.

Anno V. C. CCCCXIX. C. Tito Valerio, et M. Attilio Regulo Coss. subactis vicinis gentibus, Samnitibus, Frentanis, Auruncis, aliisque, Ausones, et Sidicini nondum in Romanorum manus pervenerant. Hinc a Patribus Conscriptis id belli negotium datum illis. Cales tunc Sidicini incolebant urbem munitissimam, murisque cinctam. Tunc Consul Valerius ad illam appropinquavit. Militum ardor is erat, ut iam scalis ad muros vellent succedere; at Consul ab incoepto voluit desistere, et aggerem, et vineas muro admovit. Forte fortuna accidit, ut quidam Romanus miles M. Fabius nomine, qui captivus ad Cales erat, per custodum negligentiam, dum cives festo, vinoqne essent sepulti, per murum ipse reste religata manibus suspensus se demiserit, et cum ad imperatorem pervenisset, hostes monuit vino epulisque sopitos iacere. Hinc statim urbs capta. Id omne nar-

rat Livius lib. VIII. c. 16. Praeda ingens facta est, deque illa triumphatum; posteaque coloniam illic deductam tradit laudatus auctor. Inde municipium evasit, quod memoratur a Tullio epist. lib. IX. 13. Tandem temporis progressu paulatim decidit.

Everso antiquo opido novum adsurrexit *Calvum*, seu *Calinulum* nomine, quod incoeptum ab Atenulpho Campano Comite, a Laudone fratre fuit absolutum. Postea a Langobardis ad Normannos transiit. Varios eventus est passa urbs, et in praesentiarum sedem habet Episcopalem. Calvum, seu Calinulum.

Iuvat heic advertere cnm doctissimo Grimaldio, Annali del Regno di Nap. tom. III. epoc. II. Italiam, cunctas provincias, et Campaniam praesertim ex eo tempore, quo Langobardi, aliaeque gentes sequiori aevo in Neapolitani Regni provinciis sedem fixerunt, eversis et populatis pluribus vetustis opidis, novas urbes, et vicos aedificasse, novis eisdem datis nominibus.

Sequitur Sidicinum super viam Latinam, nunc *Teano*, a Capua duodecim milliaria in via, qua Casinum ducit, et a Neapoli octo et viginti distans. Hanc ab Etruscis aedificatam sentiunt nonnulli. Hinc a Mazochio Opusc. tom. II. pag. 143 ex nummo quem affert, Etruscam, vel Oscam esse creditur, cui assentit Capacius lib. I. c. 12 Hist. Neapol. Ea vero fuit appellata *Teanum Sidicinum* ad alterius differentiam nomine *Teanum Appulum*. Horatius lib. I. Ep. v. 86 ipsius mentionem facit. Frontinus lib. de Col. in hanc urbem coloniam deductam scribit. Hoc opidum celebre fuisse dicit Patavinus auctor lib. II. c. 3 hoc modo: *Reliquas si ei compares, opida sunt, excepto Teano Sidicino, quae urbs est magni nominis.* Idque confirmat Strabo lib. V. Geogr. Sidicinum.

Urbis agrum fuisse olim aquis mineralibus celebratum narrat Plinius Hist. Nat. lib. XXX. c. 2. *In ea Campaniae regione Sinuessanae aquae sterilitatem foeminarum, virorum insaniam abolere produntur. In Ænaria insula calculosis mederi, et quae vocantur acidulae ab Teano Sidicino quatuor millia passuum.* Ubi vide hanc miraudam a-

quam Pliniano aevo sub *acidulae* nomine venire: haec nunc temporis ab indigenis, vocitatur *L' acqua delle caldarelle*. Huius etiam mentionem facit Vitruvius lib. VIII. c. 3.

Haec vero a Romanis urbs pluris habita, ut videre est etiam ex suis quae restant ruderibus, quaeque antiquam commonstrant maiestatem: ibi enim et Circi, et Amphitheatri, aliorumque ruderum visuntur Romanae magnificentiae monumenta. Ex quodam marmore a Pratillio recitato lib. II. c. 3 de Via Ap. fuisse olim aram, vel templum Iunoni dicatum eruitur. Duo alia mutila marmora ab eodem auctore allata mentionem faciunt de Thermis, Theatro, et Amphitheatro. Et re quidem vera restant horum aedificiorum adhuc nonnulla rudera. Fuisse etiam ibi Cereris templum ex alio ostenditur lapide.

Urbis huius tandem Ævo Medio nulla extat memoria; crediderim post Romani Imperii lapsum Barbaros ruinas huic attulisse, ut ceteris evenit. Sequiori aevo Comitibus fuit subiecta. Re sane vera memoratur Landonulphus Landulfi Campani Episcopi nepos huiusce Comes, quem memorat Erchempertus Hist. Lang. num. 21. Hodiedum sedem habet Episcopalem, quam a saeculo usque tertio decoratam fuisse creditur. Urbs recens ab antiqua parum distat, ubi plurima extant opidi rudera.

Ager Falernus. Non longe ab Sidicino fuit campus, vel ager Falernus, qui fuit ad Appiae viae sinistram fluvium inter Savonem, et Calliculam montem. Ager hic fuit occupatus olim ab Ausonibus, vel Auruncis, postea a Pelasgis: ad alias gentes transiit, et inde ad Etruscos.

CAPUT VII.

Describuntur variae urbes, uti Suessa Pometia, Ulubrae, Suessa Auruncorum, Sinuessa, Rus Petrinum, Trifanum, via Domitiana Suessula, eiusque fatum; hinc Argentium, S. Agatha Gothorum, et Vulturnum opidum. Fit mentio tandem de fluvio Savone, deque Massico monte.

Plures urbes sub Suessae nomine appellatas ex antiquis historiographis, et geographis compertum habemus; quarum vera historia adeo difficilis, et obscura est, ut permille de ipsismet fabulas tradiderint auctores. Quapropter nos apes veluti argumentosa, quae ex arboribus succum percipit purum, obscura quaeque relinquentes, historiam, et scriptorum auctoritates veras ex singulis, quae ad nostram faciunt rem, depromemus.

Suessa Pometia, et Vlubrae.

Primum omnium occurrit urbs, quae sub Suessae Pometiae nomine super viam Latinam venit. Cluerius Ital. ant. lib. III. c. 8. Halicarnassaei auctoritate, qui hanc urbem eodem nomine appellat, populos Pometinos, seu Pomptinos ex hac derivasse arguit. Hosce vero populos eam urbem incoluisse aperte declarat citatus Halicarnassaeus. A Strabone lib. V. Geogr. ipsam urbem Volscorum principem fuisse affirmatur. Patavinus auctor lib. I. c. 20 id ante confirmarat. Et re sane vera istius situs a Cluerio ponitur in Latii finibus loco ante citato; hinc ita indicat: *Patet igitur ex his ipsam Pometiam haud procul Latii finibus sitam, scilicet prope Cosam, atque Velitras . . . . tota ista planities, quae Velitris, Cosae, Norbae, Sulmoni, Setiae, atque Priverno subiacet, ad Terracinam usque qua Pomptina palus erat, campus sive ager Pomptinus appellatus fuit.* Sanfelicius De Camp. pag. 26 tandem hoc opidum corruisse scribit propter paludes ipsas Pomptinas, a quibus fuit absorpta. Non parum ab hac urbe fuisse Ulubras, et proprie circa Velitras, et

Suessam Pometiam certum est. Horatius de hoc opido mentionem facit.

Suessa Auruncorum. Sequitur Suessa Auruncorum, in presentiarum *Sessa* super Appiae viae ramum. Livius lib. VIII. c. 15 ab Auruncis totam hanc regionem, quae Volscos inter erat, et Campanos, habitatam et conditam prodit, et anno ab V. C. CCCCXVIII. C. Sulpicio Longo, et P. Ælio Paeto Coss. orta seditione, belloque Sidicinos inter Auruncosque exardescente urbem deletam fuisse ab iisdem narrat hoc modo: *Auruncos metu opidum deseruisse, profugosque cum coniugibus, ac liberis Suessam commeasse, moenia antiqua eorum, urbemque ab Sidicinis deletam.* In eandem postea Coloniam deductam ex eodem sic accipimus lib. IX. c. 19 *Suessam, ac Pontiam eodem anno Coloniae deductae sunt.* Tullius Epist. lib. VIII. eam Municipium postea evenisse declarat.

Ipsam insuper fuisse nobilem satis ostenditur ex ruderibus, quae restant, ut Theatro, Crypt oporticu, et nonnullis sepulchris. Ex numismatibus vero, quae olim eruderata, Apollinis, Mercurii, aliorumque deorum imagines visuntur.

Haec insuper urbs fuit patria poetae Lucilii Satyrarum scriptoris, de quo Iuvenalis Satyr. I. v. 21 sic canit:

Cur tamen hoc libeat potius decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus.

Eandem temporis progressu a Romanis restauratam creditur, quamvis nullum adest ad probandum monumentum. In Ecclesiae tandem Christianae fastis de ipsa occurrit mentio; sedem inde habuit Episcopalem iam ab anno CCCCXCIX. Memoratur Fortunatus eiusdem urbis Praesul, qui interfuit Romano Concilio.

Sinuessa. Ad mare versus super Appiam viam (ubi nunc ab indigenis dicitur *Montragone*) sita erat Sinuessa sic dicta, quod erat in opidi Vesciae sinu: huius urbis meminit Livius lib. X. c. 21 qui asserit, hanc Graecam fuisse Synopem antea dictam, Romanosque colonos, qui eam

incoluere, Sinuessam nuncupasse. Idem lib. IX. c. 16 asserit, hanc olim ad Ausones pertinuisse. Abundare serpentibus eandem colligitur ex Ovidio Metam. lib. XV. et hodiedum locus hic, ubi etiam est Regia venatio, quam maxime serpentibus, viperisque abundat.

Plinius Hist. Nat. lib. II. c. 103 laudat huius urbis aquas, quae foeminarum auferebant sterilitatem, et virorum insaniam. Tacitus Annal. lib. XII. c. 66 de Sinuessanis aquis ita prodit: *In tanta curarum mole Claudius adversa valetudine corripitur, refovendisque viribus coeli mollitie, et aquarum salubritate Sinuessam pergit.* De iisdem aquis sermonem instituit etiam Strabo lib. V. Geogr. Cluerius hanc urbem ita describit; *Tot stadia conficiunt millia decem. Minturnarum locum ab Formiis novem millia abesse supra indicatum est; tantundem intervalli, si porro in litore progrediaris, incides in ingentia veteris urbis vestigia, portusque ruinas sitas sub castello, cui vulgaris appellatio: Rocca di Monte-dragone, a monte quaesita, in cuius extremo ad duo millia passuum a dictis ruinis id conditum.* Martialis lib. VI. Epigr. 42 Sinuessanos laudat fontes, et Sannazarius Ecloga II. v. 86 huius maris memorat rhombos. Adest Capuae marmor a Capacio Hist. Neap. lib. II. c. 19 allatum, ex quo Sinuessanos Matidiae Augusti parenti posuisse constat.

Falsum vero est illud, quod quidam tradunt, Sinuessam vel locum ubi hoc opidum fuit, olim hoc nomine appellatum, et hodiedum *Montragone*, fuisse quondam Petrinum nuncupatum, cum nihil aliud sit, quam mons, et campus, hodieque locus hic ab indigenis salutatur *Torre de' bagni*, et olim Petrinum. Ex parte vero orientali montis, qui Campaniam respicit, sulphuris vena est, cuius meminit ante laudatus Sannazarius Eleg. lib. I. Petrinum.

Sinuessam inter, et Minturnas locus quondam extitit *Trifanum* dictus, a tribus fortasse fanis appellatus, aut a trium deorum fano, in Auruncorum regione, quae Volscos inter, et Campanos olim media. Hunc autem lo- Trifanum.

cum fuisse ultra Lirim creditur. Patavinus auctor lib. VIII. c. 2 hunc ita memorat: *Huic agmini Torquatus consul ad Trifanum (inter Sinuessam, Minturnasque is locus est) occurrit.* Diodorus Siculus lib. XIV. c. 91 Trifanum hoc prope Sinuessam ponit.

Via Domitiana. Prope Sinuessam erat via Domitiana ita dicta, quod ab hoc Imperatore fuit restaurata. Haec a Sinuessa prope mare Puteolos usque protendebatur. Livius lib. XXIII. Consulem Sempronium hac iter instituisse narrat, cum Hannibalis exercitum prope Linternum profligavit. Hanc vero viam pluribus abhinc annis vetustate conlapsam, et prope deperditam, et inviam rotabilem fecisse Domitianum liquet, unde postea *Domitiani* via dicta fuit. Statius Silv. lib. IV. carm. 3. eandem describit.

Suessula. Urbs Suessula est Campaniae antiquissima super viam Nolanam, et eo fuit sita, ubi nunc dicitur *Sessola*, et *Castellone*, seu *Torre di Sessola*: quatuor milliaria ab Acerris dissita Nolam inter, et Capuam. Eandem ab Etruscis aedificatam fama est: hinc habitata primum ab illis fuit, postea ab Oscis. Strabo lib. V. et Plinius lib. VIII. ipsam ponunt in Campania; quam urbem Samnites etiam olim occuparunt. Cluerius Ital. ant. lib. IV. c. 5 sic eam describit: *Haud procul Acerris erat antiquissimum itidem opidum Suessula, cuius locus nunc etiam vocatur Castel di Sessola, ubi antiqui opidi quaedam adhuc visuntur ruinae.* Et Sanfelicius De Sit. Camp. pag. 31 de ipsa etiam scribit hoc modo: *Acerrae finitimae Suessulae: opidum ipsum interiit relictum a civibus, qui eadem coeli intemperie, circumfusis Clanii aquis, obsidente palude, patriis sunt coacti excedere laribus.*

Fines vero agri Suessulani ad occidentem extendebantur ad Calatiam usque, ut arbitratur Pellegrinius de App. Camp. disc. II. par. 26 at ex meridie ad Nolam usque, quod confirmatur ex geographis, et vetustis Itinerariis, et praecipue ex Peutingeriano. Sanfelicius idem scribit ibidem; *Suessulanum agrum excipiunt Nolanorum populeta.* In eandem sententiam descendit Ambrosius Leo Hist. Nol. lib. I.

Haud longe ab antiqua Suessula montes erant, quos inter ille memoratur, qui ab accolis dictitatur *Cancellus* qui mons idem est, ac ille a Livio lib. XXIII. descriptus sub nomine *Castrorum Marcelli*, seu *Castrorum Claudianorum* super Suessulam. Patavinus hinc auctor Marcellum narrat Consulem, anno ab V. C. DXXXVI. postquam Nolam est ingressus, et ibi postquam senatum, et populum rursus sub Romanorum redegit potestatem, consedisse, et supra Suessulam castra posuisse.

Ad radices meridionales huiusce montis *Cancelli* oritur unus e Clanii fontibus: alius est Nolam inter, et Abellam. Hic vero fluvius Clanius et Liternus est appellatus: nam ubi decurrit, fuit ab antiquis Clanius proprie vocatus, et ubi ad mare pergit, seu ubi sunt ostia, Liternus fuit salutatus ab urbe Literni, quae celebris sequiori aevo evasit ob Scipionis Africani nobile exilium. Agri prope eundem amnem ob fertilitatem commendantur, et praecipue a Virgilio Georg. II. v. 224.

Livius narrat confecto bello cum Latinis, et hac gente subacta, urbem Suessulam (qnod foederata ante semper cum iisdem fuerat) ius Romanae civitatis adeptam, aliisque rebus esse potitam. Postea haec Municipium fuit, et ius civitatis acquisivit Romanae, ut ante tradidimus, et ut a Livio loco supra citato compertum est. Inde praefectura evasit, quod tempore secundi belli Punici e Romana defecerat republica, et saeviter in illam fuit animadversum. Post aliquod vero tempus Suessulani in meliorem formam, et conditionem pervenerunt, cum a Romanis Colonia fuit deducta, quae legibus quidem Romanorum regebatur.

Suessulani Cererem prae ceteris deam coluere, illique numini addictissimi fuere. Vicinorum enim agrorum ubertas ea fuit, ut magnam frumenti copiam p ropinquis subministrarent populis. Suessulani hinc ut prae ceteris excultiores Cererem veluti patronam, ac terrae dominam sunt venerati. Coss. M. Silvano, et L. Norbano, quod accidit Tiberii Imperatoris anno sexto, Suessulae Duum-

viro Cn. Publilio Falerino, ea urbs quae erat una ex triginta quinque Romanis tribubus *Falerina* fuit salutata. Romanis enim in more positum erat in lapidibus saepe tribuum nomen, ad quas erant adscripti, indicare. Cluerius Ital. ant. lib. IV. c. 5 haec scribit: *Ex Falerno, et Stellate agris duae tribus Falerina, et Stellatina cognomenta accepere.* Stellatina tribus non a Campaniae, sed ab Etruriae campo sic fuit dicta, ut Panvinius de Vrb. Rom. c. 50 ex Festi restituto colligit loco. Hic vero Cn. Publilius Cereri aedem restauravit, quo die Suessulano populo datum fuit epulum. Ob tantae igitur gratitudinis memoriam Suessulanorum respublica marmor erigendum curavit. Ita Lecterius Storia di Suess.

Herculi aliud templum erexerunt cives, ut ex marmore liquet a patriciis, et populo erecto in duumvirata M. Iunii Severiani ob felicem ex Asia Imperatoris Septimii Severi Pertinacis reditum, qui incidit in annum CCII. post natum Christum. Fortunae quoque aedem dicatam ex alio legitur marmore a M. Pompeio Novio Stellatinae tribus ex illustri Suessulanorum familia.

Eversa vero Romanorum fortuna per assiduas et longas senatus, populique factiones, Barbaris saepius in Italiam descendentibus, mutata religione deorum inanium cultus fuit eversus, et mores penitus diversi evasere. Postea sedes Episcopalis fuit, et in eo statu perdiu permansit. Barbaris vero Italiae faciem vertentibus (nam ipsa variis novis principibus fuit subiecta, et praecipue Beneventanis, qui per ea tempora celebres evasere) urbs Suessula in illorum potestatem fuit redacta, quae etiam in principatum fuit conversa. Lando enim Landulfi filius anno DCCCCLVI. urbem Suessulam in principatum mutavit. Variae inde huic evenere diversis temporibus vicissitudines, donec per Saracenos anno DCCCCLXXX, ut tradit Erchempertus Hist. Lang. n. 48 pluribus aliis nobilibus Campaniae opidis populatis, et incensis, isthaec misere flammis, populationibus, fatoque corruit.

Argentium. Haud procul ab antiquo everso opido adsurgit nunc

temporis Argentium, vel Arentium, vulgo *Arienzo*, qui vicus est in Campania, et a Neapoli dissitus quindecim milliaria. Post eversam Suessulam Oscorum urbem anno DCCCCLXXX. Suessulani in montibus S. Angeli ad Palumbaram et Castellum confugerunt, ubi arcem condiderunt, quam Argentium vetus nuncuparunt, ut scribit Telesinus auctor lib. III. c. 33, qui credit eo quondam Dianae templum dicatum. Quidam autem putant, Argentii originem antiquiorem fuisse, et derivatam a quodam Capuae Curatore Brittio Argentio nomine, sed Lecterius Stor. di Suess. lib. II. ab Argentio potius fuisse vetustam Campanam familiam opinatur.

Suessulani vero primum hoc castrum aedificarunt anno MCXXXV. Rogerius illud vetus everterat; incolae nunc novum Argentium dicunt *Terra Murata*, qui pagus situs est in valle peramoena, et fructibus exquisitis abundat.

Haud longe ab hoc loco, nempe quatuor milliaria exsurgit S. Aghata Gothorum urbs Episcopalis, quae ab Neapoli distat viginti circiter milliaria. Iustinianus Dizion. del Regno di Nap. tom. VIII. hanc urbem eandem ac Saticulam iure meritoque fuisse sentit ex pluribus detectis rerum vetustarum monumentis, et praecipue ex sepulchretis quae passim eruderantur in dies. Idque etiam probat ex Hannibalis itinere per Suessulanum agrum, Trebulanumque. Quando autem haec nova urbs S. Agathae fuerit aedificata, haud constat; circa annum DXLIII. fortasse, vel a Gothis, qui eidem nomen mutuarunt, vel a vicinis alicuius eversi opidi incolis creditur. Celebrantur aevo medio urbis huiusce Comites, quos inter Rodoaldus, aliique. S. Agatha Cotherum.

Non longe ab ante descripto Sidicino duo decurrunt flumina Vulturnus, et Savo. Ad Vulturni oram eiusdem nominis Vulturnum opidum aderat, *Castell' a mare di Volturno* parum dissitum a ponte, quem exstruxit Domitianus. Plures ex antiquis eam urbem memorarunt, ut Plinius Hist. Natur. lib. III. c. 5 et Strabo lib. V. Eam Vulturnum urbs.

primum parvum opidum exteris mercatoribus conditum fuisse arbitratur Pellegrinius Disc. II. part. 13. A Livio lib. XXV. c. 20 narratur hanc pro opportuno commercio reaedificatam, et amplificatam fortissimis moeniis a Romanis fuisse secundo Punico bello causa vectigalia commeandi, quae a Sardinia, Etruriaque proveniebant, in Casilinum deducebantur, et tandem ad castra, dum Capua obsidione cincta erat.

Ex eo tempore a Romanis Coloniam effectam, ibique tercentos homines deductos prodit idem Pataviuus historicus lib. XXXIV. c. 45. Frontinus lib. de Col. sic etiam indicat: *Vulturnum muro ductum, Colonia iussu Imperatoris Caesaris est deducta.* Hinc ea urbs celebris evasit, ibique postea via Domitiana silice fuit constrata. Pellegrinius loco ante cit. plures recitat lapides, ex quibus probat, hanc reapse extitisse, suosque habuisse magistratus.

Hoc opidum tandem extitit usque ad S. Gregorii Magni Pontificatum, cuius ipse meminit in quibusdam epistolis; perdurasse usque ad hoc tempus ipsius magnificentiam constat, cum sedem etiam Episcopalem habuerit, Langobardi ea urbe dominati fuere. Vetustate postremum, aeris inclementia, et a Barbaris Italia igne ferroque vastata, et populata fuit.

Savo fluvius. Savo nunc *Savone* ex Auruncorum oriens montibus duo milliaria a Vulturno distat flumine. Eius cursus ad octo et decem millia circiter passus extenditur, et in Tyrrhenum se exonerat mare. Statius Silv. lib. IV. car. 3 et Plinius Hist. Nat. lib. III. c. 5 mentionem faciunt. Super Savonem pons aderat Campanus ita dictus, qua Capuam adibatur per viam Appiam Suessam inter, et Popilii Forum, qui pons exurgebat adhuc circa finem quarti saeculi.

Mons Massicus. Non procul ab hoc flumine est Massicus mons, ad cuius radices fuit urbs Sinuessa, nunc *Montragone*; mons ab incolis in praesentiarum dicitur *Monte Maggiore*, in quo fiebant optima vina, quae Campanis postea vasis

reposita, in multas servabantur aetates. Martialis de eo mentionem facit Epigr. lib. XIII.

CAPUT VIII.

Describuntur urbes Formiae, Minturnae, Caietà, Ciceronis Formianum, Fundi, Amyclae, Lautulae, lacus Fundanus, Liris fluvius, Pandataria cum aliis insulis in sinu Caietano.

Formiae.

Nullus est qui inficias ibit ex auctoribus, Campaniae Felicis singulas urbes amoenissimas fuisse; praesertim illae quidem adnumerantur, quae erant ad mare positae. Ex hisce celebrior praedicatur illa, quae sub Formiarum nomine salutatur. Ea nunc dicitur *Mola di Gaeta*, et quondam Formiae super viam Appiam nuncupatae quatuor millia passuum ab Caieta dissitae. Locus hic ab antiquis celebratur, et huius urbis rudera restant adhuc eo loci, qui dicitur *Castellone*. Strabo lib. V. hanc urbem a Laconibus conditam fuisse affirmat. Ea olim Romanorum deliciae, et inter praecipuas Campaniae Felicis apud Florum lib. I. c. 16 adnumeratur. Alii a Lamio Neptuni filio conditam scribunt, qui Ælius Lamius a Venusino vate memoratur Od. lib. III.

Viciniores gentes huius urbis amoenitate illectae hanc occuparunt: ex hisce qui ea potiti sunt, adnumerantur Volsci, Samnitesque qui reapse urbem possederunt, sed poenam improbi dedere. Ea enim tempestate Formiani cum Romanis societatem foedusque inierant. Appius inde Claudius praetor, et L. Volumnius proconsul cum Samnitibus dimicarunt prope Stellatem campum, ubi ad sexdecim millia, et tercenti enecati fuerunt, et ad duo millia captivi effecti. Id omne aperit Patavinus historicus lib. XXXVIII. c. 37. Temporis progressu Formiani Romanis semper studio addicti, et hinc municipium urbs evasit, ut declarat idem ibidem.

Formianum vinum maximi ab antiquis commenda-

tur, et praecipue ab Horatio lib. I. Od. 20. Et Martialis laudat aeris clementiam Epigr. lib. X. 30. Hinc multi ex Romanis casas, villasque in eo solo excitarunt. Hadrianus ipse locum hunc selegit: marmor hinc repertum in ipsius honorem excitatum.

In hac urbe plura adhuc supersunt antiquitatis rudera. Visuntur Hadriani aedificia, amphitheatri, theatrique ruinae, aliaque id genus monumenta, quae Formianam patefaciunt magnificentiam, adiunctis aquarum scatebris, quae pluribus frigidae fontibus manant. Haec urbs olim sedem habuit Episcopalem, ut narrat S. Gregorius Papa lib. I. ep. 8 quae per aliquod temporis mansit, ac tandem Ecclesiae Minturnensi fuit adiuncta, usquedum Gothi Italiam occuparunt, quo tempore urbs fuit direpta. Saraceni postremo anno DCCCXLV. sub duce Ducibile eam cremarunt, et penitus everterunt. Vitruvius Romanus architectus in hac urbe ortum duxit.

Ciceronis Formianum.

In agro Formiano fuit Ciceronis villa, ut ipse pluribus testatur epistolis, quamque Formianum appellat. Huius mentionem praesertim facit ad Atticum lib. III. ep. 8 *In Formianum volumus venire Parilibus; inde quoniam putas praetermittendum nobis esse hoc tempore Cratera illum delicatum, Kal. Maii de Formiano proficiscemur.* In ea villa fama est, ut narrat Appianus lib. IV. 55 fuisse iugulatum hunc praeclarissimum virum eloquentiae parentem post Caesaris necem a Laena centurione, C. Pansa, et A. Hirtio Coss. anno aetatis suae LXIV. Non procul igitur ab Appia, et a mari uno milliario dissitum fuit Ciceronis hoc Formianum. Illuc enim ipsum confugisse, cum horrende Triumviratus desaeviit, narrat historia, ibique occisum. Hinc cum ultimum suae vitae fatum imminere animadverteret, tunc in Graeciam fugit: at factum est, ut cum e Caieta solveret, a ventis et tempestatibus agitatus, iterum in Formianum commigrans, secus viam in lectica a sicariis trucidaretur prope ipsum locum. Ita narrat Seneca Suas. VII.

Hoc sepulchrum iuxta Gesnaldium Osserv. sulla via

Appia pag. 418 in eo fuit loco, quem *Acervara* appellant incolae, eo quod olim in ea vicinitate plura vetustae fabricae extabant monumenta, inter quae nonnulla marmorum frusta, in quibus *Acerba Ara* erat insculptum, unde nomen loco factum *Acervara.* Praefatum Ciceronis sepulchrum pyramidis instar est, ut e schemate quod exhibet loco citato laudatus Gesualdius, videre est, cuiusque pyramidis, sive turris pars superest in superiori montis parte. Non procul etiam ab eo sepulchro restant nonnulla insuper vetustae fabricae rudera, praesertim aquaeductus, idque genus alia, quae ad eandem villam pertinuisse fama est.

Non procul a Formiis erant Minturnae super viam Appiam in eo loco, qui dicitur *la Scafa del Garigliano.* Hoc Samnitium quondam fuisse opidum quidam scribunt auctores: Ausonum alii. Anno vero V. C. CCCCXXXIX. in Romanorum ius transiit. Utraque ripa Minturnae habitatae fuere medio Liri interfluente amne. Ea urbs tam celebris evasit, ut moenia habuerit fortissima. Hinc Livius lib. VIII. c. 10 prodit, Latinos ex fuga Minturnas se contulisse. Haec vero quamvis nobilis fuerit, tamen ob vicinum fluvium Lirim paludibus circumdabatur. Idem auctor lib. XIX. c. 10 ibi coloniam deductam scribit, quod confirmat Velleius lib. I. c. 14 aliique auctores. Minturnai.

Huiusce opidi ruinae stant adhuc, et praesertim amphitheatri, et aquaeductus. En ut a Cluerio lib. III. c. 10 It. ant. omne describitur: *Hodieque ingentes visuntur in sinistra maxime ripa reliquiae, quatuor fere M. P. a mari, et ostio amnis remotae, in quibus praecipue sunt aquaeductus, amphitheatrum, tum murorum, turriumque magna rudera, praealti quidam formices, aliaque splendidorum aedificiorum fundamenta solidissima.* Ex lapidibus repertis unus affertur a Grutero pag. 252 Matidiae Augustae dicatus.

Postremo hanc urbem Episcopalem sedem habuisse scribit D. Gregorius Papa lib. I. ep. 8. Everso inde vetusto opido adcurrexit pagus ille, qui nunc ab indigenis

vocatur *Traietto* sic dictus a traiiciendo ex una ad alteram Liris ripam. Urbs eversa fuit sexto Ecclesiae saeculo, eaque extabat adhuc Procopii aevo.

Propinquum mare hodiedum exquisitis abundat omne genus piscibus; quin imo Romanorum tempore celeberrimum fuit illud mare, praesertim illis piscibus, quos *locustas* vocant, eaeque tanto fuere in pretio, ut Romanorum luxuriosissimi hisce iugiter vescerentur: eaeque Smirnensibus, Alexandrinisque sapore praestabant. Martialis lib. XIII. Ep. 86 squillas pisces commemorat in Liri amne abundantes. Vicini montes, collesque vinis pretiosis scatent; iique colles satis ab antiquis commendati fuere; mitto Massicum, Falernum, Gaurumque, quorum adhucdum manet memoria.

Caieta. Caieta urbs a Formiis quatuor aberat milliaria super viam Appiam, a Neapoli quinquaginta duo, a Capua triginta tres. A Strabone lib. V. asseritur, Formiarum fundatores Lacedaemonas fuisse. Diodorus Siculus alios tradit. Virgilius Æn. III. v. 1 Æneam amissa nutrice hoc super litore illam tumulasse, ex eiusque nomine Caietam nuncupatam fabulatur:

Tu quoque litoribus nostris Æneia nutrix,
Æternam moriens famam Caieta dedisti.

Hanc vero urbem ante Formias aedificatam produnt nonnulli, eamque saepenumero cum Formiis ipsis confundunt: et revera Tullius ad Attic. epist. 2 et 3 aliquando Formianum pro Caietano usurpavit, qui ibidem villam habuit. Aliam villam aedificasse Tiberium Imperatorem ex parte, ubi dicitur *Sperlonga* ex ruderibus quae restant, liquet: aliamque Faustina M. Aurelii Imperatoris uxor excitavit, eaque ab urbe parum distabat. Aliam ab Antonino Pio Imperatore erectam ex lapide ibidem reperto confirmatur.

In montis vertice turris adsurgit, quae vulgo *Orlandi* dicitur, quam sexdecim annos ante Christum aedificatam, et L. Munatii Planci sepulchrum fuisse constat, qui heic villam habuit amoenissimam ad montis

radices, uti narrat Gesualdius contra Prat. c. 1 pag. 34. Adhaec quidam triumphalem heic arcum Sempronii Atratini olim cum Serapidis, et Iani aede, aliisque huc illuc sparsis antiquitatis ruderibus fuisse, ut aquaeductum, et thermas aedificatas scribunt. Caietae vero portus ab antiquis laudibus exornatur, et praecipue a Tullio pro lege Manil. n. 12. *An ignoratis portum Caietae celeberrimum atque plenissimum navium?* Haec autem urbs, eversa Romanorum fortuna, sicut et alia Campaniae opida in Barbarorum manus inciderunt, praecipue Langobardorum, qui pluribus annis dominati fuere: postremo nunc in unam, nunc in aliam pervenit manum. Hodiedum Neapolitani regni arx munitissima, et propugnaculum fortissimum existimatur, quaeque longas pluries obsidiones fuit passa.

Non parum ab Caieta nempé sexdecim M. P. et a via Appia novem sunt Fundi, nunc *Fondi*, quam urbem ab Hercule aedificatam, cum Caccum latronem necavit, fama est. At utrum ab Hercule an ab alio sit condita, litem eruditis enucleandam relinquimus. Illud pro certo est a Patavino historico Municipium evasisse, ut scribit lib. XXXVIII. c. 36. Frontinus lib. de Col. in eandem urbem Coloniam deductam esse ait. Ad Ausones urbs haec olim pertinuit, et male a quibusdam Mamurrum opidum (1) ortum creditur; quamvis ipsam Fundi,

(1) Miror equidem patriorum auctorum partem putasse supra laudatam Mamurram urbem olim Formiis propinquam fuisse; quod quidem falsissimum est; ea urbs haud unquam extitit. Venusinus vates id nos clare docuit, ut ex Satyr. V. lib. I. v. 34 colligitur, ubi iter Brundusium usque describit super Appiam:

Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae.
Praetextam, et latum clavum, prunaeque batillum.
In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus.

Per *Mamurrarum* vocabulum nihil aliud heic innuitur, quam Mamurrae familia, et gens, quae Formiis erat. Fuit autem hic

ubi Itrium fuit, extitisse alii falso crediderunt. Ipsa etiam fuit nobilis, ideoque amphitheatrum, Circum, Iovis, Apollinis templa, aliaque id genus aedificia condiderunt heic Romani, ut adhuc videre est ex ruinis, quae restant. Temporis progressu alia eruderata fuere monumenta, ex quibus magis illius commendatur celebritas. Aliud magnum aedificium fuit effossum, quod quidam thermas esse credunt; in eo plures adhuc integrae adspectantur camerae. Haec urbs etiam celebrata fuit ob fortissima moenia, quorum adhuc pars superest. Ex quadam inscriptione a Grutero pag. 168 recitata, quaeque legitur in arcu portae ad septentrionem, huius portas, turres, murosque ab aedilibus ex S. C. aedificatos esse constat.

Haec insuper urbs vetusto aevo variorum nobilium virorum fuit patria, ut Sergii Galbae Imperatoris de quo Tranquillus agit in eius Vita c. 4. Postremo hoc opidum Barbarorum Italiam devastantium in manus pervenit, et praesertim Saracenorum, qui anno DCCCXLV. eam flammis cremarunt; anno vero MDXXXIV. horrende fuit usta ab Ænobardo Solimani II. Duce.

Haec olim Campaniae pars ager Coecubus est nuncupatus, qui extendebatur Formianos inter, Fundanosque colles. Coecubum vinum a poetis, et praecipue ab Horatio saepe laudibus exornatur. Strabo lib. V. et Martialis lib. XIII Epigr. 115 etiam eiusdem meminerunt.

Amyclae. Fuisse prope Fundos vetustissimam urbem Amyclas sentit Pratillius lib. II. c. 2 de Via Ap. eamque collocat eo in loco, qui adhuc dicitur *a Micano* quasi *ad Amyclanum*. A Fundis fuit dissita decem, et a Terracina duo circiter milliaria. A Laconibus conditam fuisse scribit Polybius lib. V. Plinii et aliorum scriptorum aevo, ipsa

---

Mamurra eques Romanus fabrorum praefectus C. Caesaris in Gallia, quem primum Romae parietes domus marmoris crusta operuisse prodit Plinius lib. XXXVI. c. 6. De hoc Mamurra memorat etiam Tullius ad Attic. lib. VI.

iam interciderat; qua enim tempestate id evenerit, per auctores haud constat. Virgilius Georg. III. v. 89 et Silius lib. VI. v. 310 ipsius faciunt mentionem. Prope hunc locum antiquam fuisse viam credit idem Pratillius ibid. quae a Terracina fortasse ad Caietam extendebatur.

Prope etiam loca isthaec fuerunt fortasse Lautulae: Livius lib. VII procul a Terracina locum hunc esse narrat. *Cohors una cum haud procul Anxure esset, ad Lautulas, saltu angusto inter mare, et montes consedit.* Lautulae.

Lacus Fundanus.

Iuxta antiquam urbem Amyclas est lacus Fundanus piscibus maxime spectabilis, et copiosus. Plinius Histor. Nat. lib. III. c. 9 hunc commemorat. Lacus hic ad novem milliaria extenditur. Non parum ab eo lacu erat Spelunca; nunc locus hic *Sperlonga* dicitur, cuius meminit Tacitus Annal. lib. IV. c. 59.

Liris.

Liris (1) quem hodie *Garigliano* dictitamus, interfluit hasce ex occidente regiones, agrosque, Volscorum nempe regionem, et Auruncos; ex oriente vero agrum Vescinum, qui fluvius ex Soranis ortus montibus ad mare decurrit. Hunc vero vario appellarunt nomine veteres auctores; inter alios Strabo lib. V. ipsum Glanim appellat, et Plinius lib. III. c. 3 sic etiam scribit: *Colonia Minturnae, Liri amne divisa, Glani appellato.*

Antequam manum de tabula, de singulis insulis in

---

(1) Quid sibi velit Liris, indicat Mazochius Diss. Tyrren. 1 Diatr. qui vocem ab orientali vocabulo derivat *ad Rivum*. Sequiori aevo fluvius hic *Garilianus* dictus fuit. Gesualdius Osserv. etc. c. 11 autumat nomen hoc fluvio impositum saeculo decimo, vel paulo ante. Sunt qui falso scribunt nomen a Gauro monte datum. Pellegrinius App. disc. II. c. 7 a *Massa Gariliana* potius vult appellatum. Verum hic fluvius potius a Gariliano medio aevo castello etymon desumpsit, ut ex Luitprando probatur c. 12 et 13 ubi narrat Saracenorum horrendum haud ab Liri amne proelium gestum, et ubi occurrit mentio de *Gariliano monte*, et *Garilliano castro*. Videsis Cl. Muratorium Dissert. Medii Ævi tab. Chorogr. num. 125.

sinu Caietano aliquid appingere non abs re erit. Plures sunt eaedem, quae quondam etiam ad Campaniam pertinuerunt; celebriores sunt Pandataria, Pontia, Palmaria, et Sinonia. De hisce raptim sermo.

Pandataria. Primum occurrit Pandataria insula, vulgo *Ventotiene*, quae a Pontia distat quatuordecim milliaria. Hanc primum Volscos occupasse, posteaque Romanos rerum dominos coloniam deduxisse testatur Livius lib. V. Hodiedum haec male perditis hominibus est receptaculum, et hanc ob rationem deserta, et sterilis. Sunt qui arbitrantur, eandem Romanorum aevo celebrem evasisse: ideoque aliqua aedificiorum vetusta rudera in quibusdam insulae locis commonstrant. Haec administrata fuit a quodam Metrobio, et praefectura evasit, et statua eidem collocata, ut constat ex quodam lapide ibidem reperto. Restant adhuc plura alia vetustatis monumenta, et pleraque rudera, ut balnea, domus, et templum, quod Iovi dicatum fortasse fuit.

Evasit nobilis eadem insula ob quorundam illustrium virorum exilium: Augustus enim ibi filiam Iuliam, et neptem relegavit (1), utque in bona essent custodia omni conatu enixus est, uti Tacitus narrat Annal. lib. I. c. 53. Id prodit etiam Paterculus lib. II. c. 100. Tiberius in eandem insulam nurum Agrippinam post viri obitum exilio multavit, quae post flagra septem dierum inedia decessit. Nero Octaviae uxoris consuetudinem aspernatus, ut sterilem dimisit, ut idem prodit Tacitus Annal. lib. XIV. c. 63. Praeter laudatos viros ac mulieres nobiles in eandem insulam e Christianis perplures in exilium sunt

---

(1) Verum enimvero ne in mendacium incidamus, dicendum Augustum Imperatorem etiam exilio multasse neptem in insulam Trimerum, *Tremiti*, quod impudice viveret. Eaque etiam sub Iuliae nomine venit, sed neptis, et non illa alia Iulia supra memorata, et in Pandatariam relegata. Id omne ex Tacito Annal. lib. IV. c. 17 liquet.

missi ob Christianae Religionis odium ab ethnicis Imperatoribus.

Vulcanicas materias effudisse quondam ipsam insulam creditur. Parum tandem abhinc annis insula fuit habitata, cum antea deserta erat: parvum habet portum, et incolae piscatu, et agricultura vivunt.

In eodem sinu obiacet insula Pontia, quam *Ponza* dicimus. Haec in finibus est Neapolitani regni non procul a Circeio promontorio, habetque quindecim millia passuum in circuitu, estque feracissima. In eandem Coloniam deductam ex Patavino historico ediscimus lib. IX. c. 29. Sequiori aevo celebratur ob varios tum nobiles Romanos, tum Christianos ibi relegatos ab Imperatoribus. Inter ceteros a Nerone exilio fuit multatus Germanicus nepos, qui ibidem voluntariam oppetiit mortem. In eandem fuit pulsus Silverius Pontifex Theodorae Augustae iussu, ibique obiit. Ibidem Nereus, et Achylleus cum Flavia Domitilla, cuius erant eunuchi, ubi longum pro Christo exilium passi, et tandem capite sunt plexi. Duas insuper fuisse Flavias Domitillas, quae exilii poena fuere multatae narrant Ecclesiasticae historiae scriptores: altera Flavii Clementis uxor, Domitiani Imperatoris neptes, quam in Pandatariam religionis causa relegavit: altera eiusdem Flavii ex sorore neptes, quae in Pontiam fuit missa. Pontia.

Plura adhaec antiquitatis rudera ibi effossa, et praesertim numismata. Re sane vera restant adhuc ruinarum aedificia: incolae appellant *Bagni di Pilato*. Ab iisdem indigenis ostenduntur adhuc S. Domitillae cryptae, ubi habitavit. Insula portum habet, et arcem validam.

Anno vero DCCCXIII. Saracenos insulam praedatos esse ex historia compertum habemus. A variis postmodum gentibus sequiori aevo fuit populata, et occupata a Turcis praesertim anno MDXXXII. Hodiedum sterilis est, et vix pauci incolunt, qui piscatoriae arti sunt addicti. Vicinum mare exquisitis abundat piscibus. Plinius Hist. Nat. lib. III. c. 2 mentionem facit piscis cuiusdam nomi-

ne *Pernae*. Fuisse quondam insulam Vulcanum autumant nonnulli, ut ex vestigiis videre est.

Palmaria. Palmaria insula est in eodem posita sinu: haec parva est, et nunc *Palmeruola* dicitur, cuius in Martyrum Actis saepe occurrit mentio: eaque nunc sterilis est, et vix habitata. Eas omnes descriptas insulas memorat Plinius lib. III. c. 7. Palmaria ad Volscos, aut ad Latinos olim pertinuit, non vero ad Campanos: et utrum fuerit habitata Romanorum aevo, an non, incertum per auctores. Sequiori aevo, et praecipue Medio ad Benedictinos pertinuit, ut probat Mabillonius Annal. Bened. tom. IV. A Pontia quatuor circiter milliaria abest, et eius longitudo tria millia passuum est. Fuisse eandem Palmariam multo ampliorem quam nunc est ex eo probatur, quod in dies horrendis maris fluctibus circumroditur. Iacet nunc deserta, et habitatoribus vacua.

Sinonia. Palmariae alia parva adiacet insula Sinonia nomine, nunc *Zannone*, quae longitudinem habet unius milliarii. Ea ad Volscos, aut ad Latinos pertinuit, et Medio aevo ad Benedictinos, qui Monasterium condiderunt, quod postea praedonum causa reliquerunt. Hodiedum perpauci heic habitant, qui piscatu, aucupioque vivunt coturnicum, quae in Italiam quotannis trans mare advolant circa aequinoctium autumnale, et Vernum, ut scribit Varro de Re Rust. lib. III. c. 5.

Hactenus de urbibus Caietam prope, deque insulis in Caietano sinu.

CAPUT IX.

Fit mentio de aliis ultra Capuam urbibus, ut Casino, Aquino, Fregellis, Arpino, Sora, Atina, Venafro, Alifis, Callifis, et Telesia. Describitur Varronis Museum, et insula Sora.

Casinum occurrit super viam Latinam, qua viator e Roma Arpinum ducebatur, ubi haec urbs posita erat ad radices montis, in quo adsurgit Casinatium S. Benedicti Coenob'um. Ea vero in Latio quondam erat. Sunt qui putant eam ad Samnites pertinuisse, at hoc falsum; Plinius Hist. Nat. lib. III. c. 5 eandem Latinis adscribere videtur, et Strabo lib. V. ipsam etiam iisdem clare tribuit, cum ante eiusdem scriptoris tempus ad Volscos pertinuit. Hanc nobilem fuisse ab eodem memoratur. Anno vero ante Christum CCCXIII. in Romanorum manus pervenit. Casinum.

In hanc Colonia fuit deducta eodem tempore, quo Suessa quoque fuit Colonia, quod accidit anno V. C. CCCCLXI. L. Papirio Cursore, et C. Iunio Bubulco Coss. quamvis ea deductio facta est anno insequenti Coss. M. Valerio, et P. Decio, qui annus fuit ille idem, in quo Appius Claudius censor Appiam viam silice stravit. Id omne liquet ex Livio lib. IX. c. 29. Reperta fuit olim inscriptio Casini, ex qua confirmatur in hanc urbem Coloniam deductam. Eiusdem mentionem facit idem auctor lib. XXII. c. 23 cum describit Hannibalis transitum per viam Latinam, ut Romam pergeret ad eam oppugnandam. Nihil aliud nunc de eadem restat, quam vix amphitheatri, et cuiusdam aquaeductus per agros rudera: necnon templum olim ignoto numini dicatum, quod sequiori aevo in Christianorum Ecclesiam fuit conversum. Conlapsa Romanorum fortuna, et Barbaris Italiam populantibus, Theodoricus Gothorum Rex Casinum devastavit, quod temporis progressu penitus fuit eversum.

Varronis Museum.

Non procul a Casino M. Varro villam habuit, ubi se a rebus urbanis eliminavit, et cum ibi vitam ageret tranquilliorem, multa elucubravit, et praecipue Rerum Rusticarum libros. Ipse enim sic de sua scribit villa de Re R. lib. III. c. 5 *Cui ego: cum habeam sub opido Casino flumen, quod per villam fluat, liquidum, et altum, marginibus lapideis latum pedes LVII. et e villa in villam pontibus transeatur longum pedes DCCCCL. directa ab insula in Museum, quae est ab Vinio fluvio, ubi confluit alter amnis ad summum flumen, ubi est Museum.* Cluerius Ital. Ant. lib. III. c. 8 hunc fluvium putat nomine Vinium corruptum, creditque Varronis textum corrigendum *ab vicino fluvio.* Hodiedum ab incolis ostenduntur adhuc Varronis Musei reliquiae. Tullius vero qui huius praeclari viri mentionem facit lib. I. Quaest. Acad. Marcum Antonium reprehendit, quod istius domum ob immoderata dedecora profanarat.

Aquinum.

Super viam Latinam adsurgit Aquinum a Neapoli dissitum sexaginta milliaria. Hoc opidum ad Campaniam pertinuit, quamvis alii Volscis, Latinisve tribuunt. Cicero Phil. II. c. 41 municipium frequentissimum fuisse scribit, et Tacitus Hist. lib. II. c. 63 Coloniam etiam fuisse prodit.

Sexto Ecclesiae saeculo Aquinum fuit eversum. Nonnulla adhuc ipsa servat vetusta monumenta, quae antiquam praeseferunt magnificentiam, et praecipue amphitheatri ruinas, quae nunc appellantur ab indigenis *Le grotte de' Pagani*, sic dictae, quod olim a Saracenis fuerint habitatae. Fuit etiam in hac urbe Theatrum, ut ex ruderibus quae supersunt, videre est, haud procul a via Latina. Restant etiam duorum templorum ruinae, quorum alterum Herculi dicatum creditur.

Secundo Punico bello urbem plura passam creditur. Conlapso Romanorum imperio, Gothi primum, Langobardi deinde in miserum statum eandem reduxerunt. D. Gregorius Dialog. lib. III. c. 8 horum temporum mentionem faciens de hac urbe sic scribit: *Cuncti*

habitatores civitatis illius, et Barbarorum gladiis, et pestilentiae immanitate vastati sunt. Anno vero DCCCXL. Beneventi principe Sicone trucidato, et in eiusdem locum Radelchisio suffecto, Sinoculfus quo Siconis mortem ulciscereturr, Saracenos in Italiam ad eius suppetias vocavit, qui Aquinum, Arcem, et vicina praedantur loca, et igne concremant, ut scribit Anonymus Cassinensis apud Pellegrin. Hist. Lang. Sequiori aevo non semel, sed pluries hoc opidum fuit obsessum (nam adhuc moenia habebat fortissima) his adde motus terrae, et praecipue pestem, quae accidit anno MCXL. quo tempore perplures fato functi; ita urbs paulatim decidit.

Hodiedum satis est parva, paucos habens incolas. Immensa ruinarum rudera, quae in eius supersunt solo conspersa, satis testantur, opidum quondam Volscorum magnificum fuisse. Quin aer ipse, et pauca aedificia recentia humilem, et vix ullius nominis urbem praeseferunt.

Tandem praeclarorum quondam virorum patria fuit, ut Iuvenalis poetae, Pescennii Nigri Romani Imperatoris, et praecipue Angelici Doctoris Ecclesiae S. Thomae.

Haud procul ab urbe iam descripta fuerunt Fregellae nunc *Pontecorvo*, quod opidum ponitur Suessam inter, et Formias prope Lirim amnem. At illud procul dubio ad Latium pertinuit: nunc vero est in Campania Felici non procul ab Aquino. Strabo lib. V. narrat Lirim Fregellas interfluxisse, ita ut urbs supra utramque sita esset ripam. Livius lib. VIII. c. 22 in hanc Coloniam deductam aperte declarat. Ipse etiam narrat lib. IX. c. 12 Coss. Q. Publilio, et L. Papirio anno V. C. CCCCXXXIII Samnites, Satricanosque simul post Caudinam cladem hanc urbem noctu occupasse. Vtrosque timor ad lucem usque tenuit; mane autem ut illuxit, pugna utrinque orta, quam Fregellani sustinuerunt. At Samnites fraudulenter praeconem per urbem mittunt, qui nuntiet, *incolumes abituros, qui arma posuissent.* Hoc nuntium ab incautis opidanis creditum, urbem iam esse captam, sicque arma deiecerunt. Alia civium pars

Fregellae.

armata per aversam portam erumpit : pars alia quae arma deposuerat, a Samnitibus circumdata, igne crematur.

Quo vero tempore Hannibal in Italiam descendit, Fregellae cum paucis aliis in Romanorum fidem restitere. Quin imo idem Patavinus prodit historicus lib. XXVI. c. 9 tantam fuisse Fregellanorum fidem in Romanos, ut cum Hannibal eorum urbem adpropinquavit, pontem vastarint, quo eidem iter negarent. Temporis progressu Fregellani a Romanis descivere, nescio qua de causa, qui miseram perfidamque urbem fato ultimo dedere, cum illa penitus excisa ab iisdem fuerit, ut Tullius describit ad Heren. lib. IV. c. 15. Idque evenisse crediderim anno V. C. DCXXX. quo tempore ab Opimio Consule opidum dirutum.

Arpinum.

Arpinum urbs super viam Latinam Campaniae Felicis ultima, sexaginta duo millia passuum a Neapoli dissita. Ea primum ad Volscos pertinuit, ut innuere videtur Tullius Orat. pro Planc. et Iuvenalis Satyr. VIII. v. 245 ubi de Mario Arpinate sermonem instituit. Deinde Samnites tenuerunt; Romanorum tempore Municipium evasit, quamvis Festus eam praefecturam fuisse scribit. Anno ab V. C. CCCL. L. Genusio, et Q. Servilio Coss. Arpinatibus Romanam civitatem simul cum Trebulanis datam ex Patavino historico compertum habemus lib. XC. 1.

Postquam vero Arpinum Municipium evasit, cives inde cum Romanis communes habuere leges, et ex eo tempore urbem divitiis auctam crediderim: hinc vectigalia in Gallia possedit, ut scribit Cicero Ep. lib. XIII. 2. Ea vectigalia Municipii patrimonium efficiebant. Quodam in lapide Arpini detecto paucis abhinc annis occurrit mentio cuiusdam Fusidii vectigalium Arpinatium fortasse redemptoris, quem memorat idem Tullius ibid.

Conlapso Romanorum Imperio Gothi primum in Italia regnum effecerunt, inde Langobardi postmodum dominati sunt, quo tempore Beneventani duces longe lateque dominium super urbes extenderunt, ex his Gisulphus saeculo septimo Arpinum occupavit, et Arcem, ut

narrat Paulus Diaconus Hist. Lang. lib. VI c. 87. Anno vero MCC I. Conradus Germanorum Imperator urbem non solum vi cepit, sed igne quoque cremavit, et solo aequavit. Et saeculo XV. bellum iterum exarsit Ferdinandum inter Aragoniae Regem, et Carolum Andegavensem, quo tempore vicinae urbes populatae, urbs isthaec Marii, et Ciceronis memoria liberata fuit.

Haec vero patria celeberrimorum fuit virorum, ut C. Marii, et M. T. Ciceronis eloquentiae parentis: quorum primus dux fortissimus evasit. In agro Arpinate fuit eius villa, quae quondam *Civernatis* fuit salutata, nunc *Campo di S. Altissima*: accolae commonstrant adhuc exteris villae Marii ruinas, vulgo *Casamari*. Horum alter Cicero ibidem natus est Nonis Ianuariis anno ab V. C. DCXLVII. Huius domus duobus distabat milliariis super Fibrenum (1) amnem, nunc *Fiume della Posta*, ubi adest parva insula super Lirim.

---

(1) Non procul ab hoc opido fluitat Fibrenus, et proprie Arpinum inter Soramque, ubi Liris cum Fibreno aquas coniungit, et ubi non procul est insula, quam Cicero de Leg. lib. II. c. 1 describit.

Nihil difficilius potest esse quam a Cicerone haec insula memorata, cum sint tres super Fibrenum, una ab alia paulo dissita. Pistillius Storia Filologica delle antiche città, e moderne etc. pag. 69 et seqq. solidis probare nititur argumentis hanc insulam, nullam aliam a Tullio indicari potuisse, quam illam, cui nomen *Carnello*. Heic enim Fibrenus in duos dividitur ramos, eaque amoena satis est. Febonius lib. III. c. 3 eandem insulam Ciceronis villam ante etiam crediderat: *In insula . . . . incunabulis Ciceronis, sed magis Martyrum Christi pretioso sanguine illustrior. Unde ex Fibreno ipso ex lanicinio credentium . . . nomen in Carnello immutatum.* In eo loco identidem plura rudera reperta fuere. Verum haud negat citatus Pistillius plures esse qui scribunt, a Tullio indicatam insulam illam intelligi, quam nunc incolae appellant *S. Domenico*, quippe quod heic etiam sint eruderata vetusta monumenta: verum eandem insulam S. Dominici pertinuisse etiam ad Ciceronem credit, sed non esse ipsam de qua

Vicus Castellucoio. Non procul etiam ab Arpino in ridenti positus colle est parvus vicus, vulgo *Castelluccio* quarto ab ea urbe lapide. Plura in eo antiqua rudera multis abhinc annis detecta fuere, praesertim via, quam quidam esse Latinae ramum arbitrantur, quae olim Arpinum viatorem ducebat.

Arcanum rus. Arpinum inter, et Aquinum fuisse Q. Fratris rus scribit saepe Cicero *Arcanum* nomine. Memoratur ab eodem epist. lib. V. 1. *Ego inde Aquinum: Quintus in Arcano remansit, et Aquinum ad me postridie mane.* Cluerius Ital. ant. lib. III. c. 8 sic scribit: *Est hodie opidum praedicto situ inter Aquinum, Arpinumque vulgari vocabulo Arce dictum, ducatus titulo nobile, quod haud dubie antiquum est, et vocabulum, a quo isti Ciceroniano fundo cognomentum derivativa dictione quaesitum.* Pistillius descrizione delle antiche città etc. pag. 100 credit vetusto aevo heic urbem fuisse. Illud autem certum est, hanc memoratam urbem esse a Paulo Diacono lib. VI. c. 17 quam Beneventi dux Gisulphus primus anno DCXCIV. occupavit, et in suam redegit potestatem. Nono saeculo a Saracenis postea fuit populata.

Sora. Sora extrema quoque urbs Campaniae, ubi Liris oritur, ad montes sita. Volscis, ac deinde Samnitibus fuit occupata; ea ab Ausonibus fuit aedificata, a quibus Romani vi eripuerunt, ut testatum reliquit Livius lib. IX. c. 24. Sed post aliquod temporis iidem Sorani a Romanis desciscentes, omnes necantes colonos, in Samnitium potestatem transierunt. At a Romanis quam maxi-

---

heic quaestio est, et ab Attico descripta. Tullius enim plures habuit villas, et praesertim haud procul ab Arpino, ut ipse indicat lib. VIII. ep. 9 ad Attic. Hinc concludit laudatus Pistillius, parvam eam insulam, cui nomen *Carnello* eandem esse, in qua ortum duxit: alteram *S. Domenico* etiam ad eundem pertinuisse, eamque possedisse eo tempore, quo ad primos reipublicae pervenit gradus.

mē in illos saevitum est. Anno enim ab V. C. CCCCXLIV. Consules ipsi cum legionibus ad urbem oppugnandam adpropinquarunt. Cum ea urbs situ difficilis haud satis expugnari posset, Soranus transfuga ex opido profectus, urbem per proditionem in Romanorum dedit manus. Post annos sex, nempe ab V. C. CCCCL. Colonia Soram deducta fuit, ut aperit laudatus auctor lib. X. c. 1 et Frontinus confirmat lib. de Colon. Idem Livius lib. XXVI. c. 1 auctor est, eam urbem Municipium evasisse. Tempore vero Hannibalicae expeditionis in Italiam ea urbs a Romanis iterum defecit: hinc ab iisdem capta cum pluribus aliis opidis, maxima severitatis nota in ipsam saevitum. Urbs postea Romanis milites, pecuniasque suppeditabat, si bellum aliquod ingrueret. Laudatus saepe Patavinus historicus hoc omne aperit lib. XXIX. c. 10.

Barbari sequiori aevo Italia vastata, eidem horrendam attulere ruinam. Ughellius tom. I. Ital. Sacr. narrat, Phedericum II. urbem cremasse, quia Romani Pontificis Gregorii IX. partes susceperat.

Prope Soram ubi Liris fluitat, adest parva insula, eaque haud ignoti nominis est, quam incolae dicunt *l'isola di Sora*, sic appellata quod Liri amne circumluitur. Eadem medio aevo *Insula filiorum Petri* dicebatur, idque nonnisi post decimum saeculum. Insula Sora.

Atina urbs super viam Latinam iacet, ubi Melphis fluvius originem ducit. Ea est adeo antiqua, ut si fidem auctoribus praestamus, eius aedificatio sit penitus ignota. Volscis, aliisque populis fuit occupata. Romani anno V. C. CCCCLXI. Municipium effecerunt Coss. L. Papirio Cursore, et C. Iunio Bruto. Inde Claudius Nero muro Coloniam circumsepsit, ut testatur Frontinus lib. de Col. Ex pluribus a Taulerio *Storia di Atina* lapidibus adductis fit mentio Municipii Atinatis. Cicero Pro Planc. c. 8 scribit hanc praefecturam evasisse. Hoc opidum saepe a Romanis defecisse narrant historici ob vicinos Samnites Romanis semper infestos. Nobile insuper fuit, ut probatur ex ruderibus, quae restant, cum praecipue adhuc Atina.

videre est triplicem murorum ordinem, quorum pars restat. Fuisse hinc in ea urbe plura templa testantur vetusti aevi scriptores. Quorum primum fuit Saturno dicatum, non longe ab amphitheatro magnis costructum lapidibus. Haud procul ab eo urbis aderat forum. Fuisse etiam Iovis aedem, Iunonis, aliorumque deorum constat, et praesertim illud Dianae sacrum, cuius meminit auctor Chronic. Atinatis: *Hadrianus Imperator Atinam veniens, templum Dianae continuo fecit in eo loco, ubi balnea dicebantur imperialia, non longe ab amphitheatro contra meridianam plagam, subtus viam aquaeductus.* Huiusce ductus aquae vestigia ad tria milliaria extra urbem extendebantur, isque in omnes urbis perveniebat regiones. Restant adhuc ipsius plura rudera, et identidem eruderati per agros, perque ipsius ruinas plumbei tubuli.

Ibi villam possedit Cicero, ut ipse scribit lib. II. de Divin. c. 28. Hinc Valerius Maximus lib. I. de Somn. c. 5 sic testatur: *Inimicorum conspiratione urbe pulsus M. Cicero, cum in villa quadam campi Atinatis diversaretur.* Posteriori aevo non semel, sed pluries solo hoc opidum aequatum fuisse narrat historia. Anno enim DLXXXVII. sub Zothone Beneventano principe adeo in illud saevitum, ut cives cum Episcopo ad unum omnes fuerint necati. Sequiori tempore in varias principum pervenit manus.

Haec tandem patria quorundam nobilium virorum fuit; in ea ortum duxit Cn. Petreius, cuius meminit Plinius Hist. Nat. lib. XXII. c. 6 qui militavit contra Cimbros, C. Munatius Plancus, cuius sepulchrum extat adhuc Caietae (ut ante diximus) L. Apuleius Saturninus quaestor, et tribunus plebis, aliique nobiles viri.

Venafrum. Venafrum urbs Melphim inter, et Lirim, quam quidam Samnio, alii Campaniae Felici tribuunt, sed probabilius ad Samnium pertinuit, ut existimat Pellegrinius disc. II. par. 8. Plinius lib. III. c. 5 Coloniam quondam fuisse, et Festus de Col. praefecturam tradit. Extra moenia aedificii cuiusdam rudera visuntur, quod quidam Amphitheatrum esse credunt. Ea urbs aeris clementia mul-

tum gaudebat, ita ut Romani villas possiderent, uti Venusinus innuit Od. lib. III. 5. Fertilem insuper hunc agrum fuisse testatur idem laudatus poeta Od. lib. II. 6, et praecipue melle. Plinius lib. XV. c. 2 de Venafrano oleo sic tradit: *Principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto orbe: maxime agro Venafrano, eiusque parte, quae Licinianum fundit oleum.*

Alifae nunc *Piedimonte d' Alife* super viam Latinam in altera Vulturni ora adsurgebant, a Neapoli triginta quatuor milliaria dissitae, quam urbem ad Irpinos, alii ad Samnites probabilius pertinuisse memoriae prodidere, ut inter alios geographos autumat Cluerius Ital. ant. lib. III. c. 8. Ausones sive Oscos eandem fundasse asserunt alii. Primum seipsam rexit, et peculiares habuit magistratus. A Romanis captam anno V. C. CCCCXXIX. et in praefecturae statum redactam tradit Festus de Col. Magnam deinde perpessa est ruinam sub Hannibale, idque ex Silio lib. XII. v. 356 liquet. Alifae.

Ea urbs munitissima habuit moenia: nam ex Diodoro lib. XX compertum habemus, Marium eam occupasse. Hinc adhuc videre est ex moeniorum ruderibus, hanc satis munitam fuisse. Livius ipsam commemorat, cum narrat apud Alifas Fabium Maximum cum Samnitium exercitu signa contulisse, eamque postea occupasse. Plinius lib. III. c. 5 hanc urbem Coloniam evasisse tradit. Constat vero in hoc opido Veneri templum dicatum, et Cereri. Iunonem quoque cives coluere, et Dianam. Apud Pedemontium prope Ecclesiam S. Rochi lapis extat, in quo occurrit mentio thermarum huius urbis a quodam Fabio Maximo restitutarum. Alifis fuit etiam Theatrum, et Circus: de primo visuntur rudera prope Ecclesiam Episcopalem; de Circo nulla restant vestigia. Gruterus pag. 609 marmor affert, in quo fit mentio ludorum Alifanorum. Adhaec restant nonnulla hypogaea passim in eo solo sparsa, et praecipue ubi dicitur *le Fosse*, visitur illud, quod C. Fadio Fatidiae parenti erectum fuisse liquet. Haec urbs tandem igne cremata fuit anno MCCV.

ut narrat Riccardus a S. Germano, a Celani Comite, et Duce.

Callifae. Quarto milliario ab descripta urbe dissita fuit alia nomine Callifae, nunc *Calvisi*. Hanc eversam narrat Patavinus auctor lib. VIII. c. 25 a fundamentis a C. Papirio, et L. Petilio Coss. anno V. C. CCCCXXVIII. Et ut praefatus scribit auctor: *Eodem tempore etiam in Samnio res prospere gesta. Tria opida in potestatem venerunt Alifae, Callifae, Rufrium.* Quamvis autem ea urbs pluribus abhinc saeculis fuerit eversa, restant tament adhuc nonnulla vetustarum fabricarum rudera per eos agros dispersa. Praeter sepulchreta ruinosa, supersunt marmora, columnae, aliaque id genus. In ea vero vicinitate reperiri quotidie arma militaria, annulos, et numismata ab indigenis exploratum habemus. In pago Calvisii hodiedum existit lapis sepulchralis C. Asellii in vetustae urbis ruinis repertus.

Quamvis vero vetus opidum (ut innuimus) corruerit, propter aeris tamen salubritatem, coelique clementiam rursus aedificatum, et habitatum fuisse existimo: nam haud credendum, illud penitus solo aequatum. Romanos enim nobiles, et vicinos accolas, ipsosque cives, si qui ex clade superfuerunt, rursus urbem habitasse liquet; at temporis progressu penitus deleta, et a temporum colluvie.

Telesia. Telesia super viam Latinam olim urbs aderat in Samnio: huius plures mentionem faciunt ex antiquis historicis. Sunt qui putant eam extitisse in Campania Felici, sed quia isthaec fuit inter Samnii, Campaniaeque fines, idcirco potius ad Campaniam ipsam pertinuisse sunt arbitrati. Ea vero a quibusnam fuerit aedificata, silent geographi: vetustissimam tamen esse liquet. A quibus postea fuerit habitata, adhuc sub iudice lis est. Crediderim hanc utpote Samnitibus proximam, vel Oscis, eosdem ipsam occupasse.

Vrbs in amoeno posita situ collibus parvis belle dispositis, aeris salubritate, coelique clementia fruebatur,

et parum dissita a loco, ubi Vulturnus, Calorque confluunt, qui locus ab indigenis in praesentiarum salutatur *Terra di S. Salvadore.* Cluerius Ital. ant. lib. IV. c. 7 sic describit: *Sequitur hinc Telesia opidum, vulgo Telese; haud procul confluentes Vulturni, Sabatique fluminum sita; Straboni, Ptolomaeo, Frontino, et Itinerariis Romanis memorata. Posterioribus temporibus Colonia fuit deducta.* Vrbs a Capua distabat viginti M. P. a Neapoli octo et viginti, ab Alifis duodecim. Antiqua moenia a scriptoribus ob validitatem memorantur, eaque obsidionibus apte ad resistendum erant aedificata. Ex ruderibus quae restant, et statuis, numismatibus, lapidibus aliisque vetustis id genus rebus, quae passim effodiuntur in illius ruinis, tantae celebritatis quondam adhuc magnificentiam patefaciunt. Adhaec aquaeductus, Theatrum, templaque, quorum reliquiae etiam nunc supersunt per agros, perque cespites ipsius magnitudinem testantur. Et re sane vera extra huius opidi ruinas, quae occidentem respiciunt, fuisse Amphitheatrum certe colligitur: ex quo loco haud procul Theatrum etiam fuisse crediderim. Prostat lapis non parum ab Ecclesia S. Salvatoris, qui locus distabat mille passus ab antiqua urbe; lapis hic mentionem facit cuiusdam pantomimi Theatro Telesino spectantis.

Quo vero tempore Hannibal in Italiam pervenit, eadem in huius cecidit manus, ut ex Livio liquet lib. II. c. 12. Ex Strabone lib. V. et Floro lib. III. c. 2 urbem anno V. C. DCLV. quo tempore Samniticum bellum persaevum exarsit, cum aliis ceteris eversam combustamque accipimus. Hinc sequiori aevo Colonia in eandem fuit deducta, ut Frontinus de Colon. testatur.

Ex columnis cuiusdam effossi templi, et ex statuis repertis passim per loca constat, Telesiam urbem addictam Veneris, Martis, Fortunaeque cultui. Adhaec urbs suos habuit magistratus, ut ex lapidibus a Pacellio *Storia di Telese pag.* 12. recitatis liquet. Cum vero in eandem urbem Colonia fuit deducta, iuxta Romanorum leges, patrono fruebatur, qui meliorem in statum ipsam redu-

xit, ibique patriciorum, et plebeiorum aderat ordo, ut patet ex marmore reperto.

Samnitibus olim Romani bellum intulere, et exercitu in Samnium ducto a Valerio, et Postumio Coss. quod accidit anno V. C. CCCCXXXIII. Romani passi sunt illud dedecus, et sub Caudinas Furculas inermes transire sunt coacti, ut a Livio describitur lib. IX. c. 1 et seq. Tunc temporis Samnitium dux erat L. Pontius Telesinus: id enim nomen commune erat in ea urbe. Anno autem V. C. DXXXIII. cum Hannibal Romanae Reipublicae fatum ultimum fuerat minatus, tum in Poeni ducis cuncta devenere potestatem. Tunc unus adsurrexit Q. Fabius Maximus Dictator, de quo extat encomium illud tritum: *Unus qui nobis cunctando restituit rem*, hic paulatim urbes in Romanorum restituit potestatem; et Hannibale ex Italis oris aufugiente, cuncta in pristinum rediere statum. At omnes urbes, quae Poeno duci faverant, igne ferroque eversae fuere. Ex his una fuit Telesia, ut Livius idem declarat lib. XXIV. c. 20. Vicinae praesertim urbes, quae haud procul aberant ab Caudio ob memorandum dedecus Romani exercitus odium, et ruinam sunt expertae.

Anno autem DCLV V. C. cum Italia omnis Servili premeretur bello, Telesia sicut aliae urbes rursus eversa, et direpta fuit, postquam Sylla Romanam subegerat Rempublicam, quod accidit post Marii fatum. Eam pone tempestatem ipsamet haud amplius inter nobiles adnumerata fuit urbes, sed sensim ad nihilum redacta, donec anno DCCCXLVII. post Ecclesiam Christianam conditam Radelchisius Beneventanorum princeps ducis Saracenorum Malsar ope Telesiam occupavit, ut narrat Fleuryus *Hist. Eccles. lib.* XLVIII. Hinc factum ut urbs penitus eversa fuerit. Nihil heic memorem infinitas post id temporis vicissitudines. At rursus ea nova urbs incensa fuit saeculo XI. quo tempore bellum exarsit Lotharium inter, et Rogerium Siciliae Comitem. Hoc constat ex quadam epistola Guibaldi Cassinatium Abatis ad ipsum Lo-

tharium scribentis. Tandem hanc sedem fuisse Episcopalem narrat Ughellius Ital. Sac. tom. VIII. qui mentionem facit cuiusdam Giberti Telesini Praesulis anno MLXXV.

Atque haec satis sint, quae de urbibus ultra Capuam erant dicenda.

CAPUT X.

Describuntur cetera opida citra Capuam, uti duae Calatiae, Furculae Caudinae, vicus Novanensis, Caudium, villa Cocceii, Trebula, Compulteria, Saticula, Magdalunum, Acerra, Atella, via Atellana, Aversa, et Pomilianum Atellae.

Calatiae duae.

Citra Capuam plures nobiles urbes fuere, quarum saepe occurrit mentio apud scriptores. Inter alias nobilissima celebratur urbs Calatia (1), nunc *Caiazzo*, quae a Neapoli dissita est XXI. M. P. Transtifatinam Cala-

---

(1) Iuvat heic advertere, duas olim extitisse eiusdem nominis urbes, primam prope Casertam, et vicum vulgo dictum *Maddaloni*: alteram ubi nunc adsurgit, quaeque dicitur *Caiazzo*. Hoc magis ex illo clarescit, quod scribit Holstenius in nota 1196 super Cluerium Ital. ant. lib. IV. c. 5 his verbis: *Calatia nunc Galazze, medio loco inter viam S. Petri in Strada, et Magdalunum, ubi moenium, templorum, aliorumque aedificiorum vestigia extant, et ad angulum Ecclesiae S. Petri delle Galazze columna milliaria posita est, sed vetustate consumpta.* Idque confirmat Sanfelicius Iunior in notis Sanfelicii Senioris de Situ Camp. num. 240. *Duae fuerunt Calatiae in Campania: harum altera inter Capuam, et Caudium sita erat in via Appia: altera non longe ab urbibus Alifis, et Calibus, ut liquet ex Livio, Tabulis Itinerariis Peutingerianis, aliisque geographis, quorum perperam tamen nonnulli utramque confundunt.* Miror tamen Cluerium loco citato diligentissimum scriptorem unam tantum admisisse Calatiam, cum certo constat duas extitisse, unam ab alia non procul citra, ultraque Vulturnum. In eandem etiam sententiam descendit Melchiorius in Descript. Calat. pag. 36.

tiam fuisse perantiquam, et Oscis (1) primum, hinc Graiis, posteaque Samnitibus occupatam fuisse fama est, ut Livius lib. IX. c. 32 scribit. Altera Calatia ad Campanos pertinuit, eaque posita super Appiam viam. A Bubulco Consule expugnata, et inde Colonia heic fuit deducta. Non procul ab novae urbis arce stant adhuc vetustorum moenium rudera ingentibus lapidibus costructorum, et Appiae viae pars etiam visitur, qua Capuam eundum erat. Cl. Trutta antichità d' Alife Diss. XXV. ex verbis Silii lib. VIII.

. . . . . *Nec parvis aberat Calatia muris*

autumat vetustos opidanos suae urbis brevitate haud contentos, aliam urbem Cistifatinam fundasse temporis progressu moeniis etiam munitam, et quadratis saxis, ut adhuc ex ruinis videre est. Nupera urbs est non procul a Vulturno ad orientem Taburni montis a Virgilio memorati.

Punico vero secundo exardescente bello, et Hannibale Capua potito, Calatia sub Poeni ducis cecidit potestatem, ut narrat Livius lib. XXII. c. 61. At Punicis rebus in Italia conclamatis, Romani Capuam obsidione cinxerunt. Hannibal tunc in Apulia cum exercitu erat, quo aliis potiretur opidis. Nuntiis hinc auditis, quod Capua a Romanis occuparetur, eo perrexit; per Calatiam inde transiit, ubi parumper moratus est. At factum est, ut Capua per eam tempestatem in Romanorum ceciderit manus, in quam saeviter est animadversum, ut ante narravimus: huic etiam simillimum fatum experta Calatia. Hinc creditur eandem in praefecturae formam fuisse redactam. Postea a L. Sylla Coloniam ibidem deductam narrat Frontinus lib. de Col. Inde in Municipium fuit

---

(1) Hinc Cl. Mazochius in Tab. Heracl. pag. 534 nummum affert pertinentem ad hanc urbem; isque Tyrrhenicos, sive Osceos habet characteres. Ex adversa parte Iovis caput senile ostenditur, ex postica visitur biga.

conversa, ut ex marmore a Grutero pag. 59 allato liquet in aede Veneris reperto. Non procul ab ea urbe secus viam publicam magnificum adhuc restat sepulchrum quercus inter, et prunos Attilii Calatini, cuius meminit Tullius de Senect. c. 17.

Quo tempore tandem ea urbs Episcopali cathedra fuerit insignita, historici nihil memoriae prodidere. Haec medio aevo est satis celebris, et memorantur Calatini Comites, quos inter Lando, qui floruit anno DCCCCLVII. qui in exilium ab Othone Imperatore fuit pulsus, quippe qui Landenulphum Campanum principem iugulandum iusserit.

Furculae Caudinae.

Furculas Caudinas non longe fuisse a descripta creditur urbe. Locus hic nunc salutatur: *Stretto di Arpaia*, vel *Giogo di S. Maria*; hunc alii ponunt in Principatu Citeriori Abellam inter, Beneventumque, ubi Romani Consules L. Postumius, et C. Veturius a Samnitibus sub iugum inermes transire sunt coacti.

Vbi incipiebat Caudina vallis, quae pyramidis instar est, et ubi vicus vulgo *Cancellus* et *Argentium*, et huiusce pyramidis extremitas, erant Caudinae Furcae. Guicciardinius Mercur. Camp. pag. 30 hunc locum apposite sic describit; *Iam in limine faucium, vulgo le Forche Caudine, clade Romanarum legionum, toto orbe notissimarum adieris. Arpadium versus perpetuis iisdemque altissimis iugis obsepta in modum pyramidis excurrit vallis: cuius basim castrum iam dictum Arentii, cuspidem Arpadium ipsum efformant. Adeo siquidem heic coangustatur vallis, ut vix ad iactum lapidis pateat.* Hinc auctores omnes in eandem descendunt sententiam, Caudium vetustum (ex qua urbe nomen duxerunt ipsae Caudinae Furculae) fuisse quidem prope Appiam viam, et non procul Arpadio.

Caudium.

Caudium vero urbs ad Samnites pertinuit, et in Romanis fastis celebris. Plinius lib. III. c. 5 eam in Irpinis ponit, et Livius lib. IX. c. 2 in Samnitibus. Holstenius in Cluerii notas pag. 266 Caudium, et vicina loca sic de-

scribit: *Ego autem cum ipse lustrarem haec loca, ex lapidum antiquorum inscriptionibus certo cognovi, Caudium eo fuisse loco, ubi nunc Arpaia vicus est. Furcas autem Caudinas in saltu angusto et difficili, quo ab Arpaia descenditur Argentium, praesertim sub pago cui etiam nunc vulgari Italorum lingua Furchiae est, quas antiquorum Furculas esse nullo modo dubitari potest; et per hanc vallem, sive saltum Appia ducebat, quod praeter alia argumenta testantur lapides milliarii, et veteris viae vestigia isthinc a me detecta. Nam praeter inscriptionem Caudinam a Beneventanis positam in Arpaiam, vidi ipse, et descripsi columnam milliariam sub dicto pago Furchiae ab Augusto Imperatore positam cum numero XVI. quod verum intervallum est Caudium inter, et Capuam.* Haec Holstenius. Idem confirmant ad unum omnes auctores, qui de Arpaiae situ, et antiquo Caudio disseruere, ut Pratillius, Lecterius, Danielius, aliique.

Vicus Novanensis, et Villa Cocceii.

A Caudio, et Appia via parum distabat vicus Novanensis, ubi quondam fuisse Dianae templum ex eiusdem statua compertum habemus ibidem reperta, et lapide a Lecterio recitato, Storia di Suess: lib. 1. c. 10. Prope isthaec loca fuisse repertum aliud marmor prodit Pratillius de Via Ap. lib. III c. 6. ex quo colligitur heic quondam extitisse Cn. Cocceii villam. Quinam hic fuerit, et ad quamnam pertinuerit gentem, haud clarescit. Crediderim potius esse illum ipsum, cuius meminit Venusinus poeta Satyr. lib. I. 5, ubi narrat ipsum cum Maecenate iter instituisse, cum Brundusium per Appiam viam perrexerunt.

Trebula.

A Calatia parum aberat Trebula, quae etiam inter Campaniae urbes adnumeratur. Ager Trebulanus Calatiam inter, Teanum, et Cales ponitur. Versus occidentem adsunt antiquae urbis vestigia, et proprie ubi ab indigenis dicitur *Treglia*, vel *Trebbia*. Sanfelicius de Situ Camp. pag. 29 Cluerius Ital. Ant. lib. VI. c. 5. aliique scriptores Trebulam ponunt in Campania; alii in Samnio, qui-

bus haud adsentior. Plinius lib. XVI. c. 19 aperte eandem in Campania statuit. Eandem creditur motu terrae desedisse Amantio, et Albino Coss. cum aliis duodecim Campaniae opidis. Eo vero anno quo Arpinates donati fuere Romana civitate, Trebulani item usi fuere, uti testatur Livius lib. X. c. 2. Temporis progressu in Hannibalis cecidit potestatem, sed Fabius Maximus eo debellato, opidum rursus Romanis restituit. En ut idem auctor lib. XXIV. c. 10 prodit: *Hannibal tunc tenebat Capuam cum exercitu . . . . circa Capuam transgresso Fabio, post expiata tandem prodigia, ambo Consules rem gerebant. Compulteriam, et Trebulam, et Austiculam urbes quae ad Poenum defecerant, Fabius vi cepit.* Quo vero loco urbs antiqua fuit, restant adhuc veterum aedificiorum ruinae. Frontinus lib. de Col. hanc Municipium fuisse prodit. De cetera eiusdem fortuna sequiori aevo, et praesertim Medio tacent auctores.

Compulteria.

Parum ab Calatia fuit Compulteria; adhuc visuntur urbis vetustae rudera. Locus hic in praesentiarum dicitur *S. Ferdinando* ab Ecclesia eidem dicata. Livius lib. XXIII. c. 30 huius facit mentionem, cum Fabium Maximum ipsius expugnasse moenia, et vi cepisse cum nonnullis aliis opidis narrat. Vrbe capta, et moeniis destructis multum post tempus Hadrianum Imperatorem eam reaedificasse quodam ex lapide constat. Ex alio a Pratillio de Via Ap. lib. III. c. 3 recitato in hac urbe fuisse Duumviros Quinquennales, eamque in Reipublicae formam administratam, et Augustalium collegium fuisse, sicut et Alifis liquet.

Saticula.

Sequitur Saticula, nunc *S. Agatha Gothorum*, ut ante diximus: haec urbs saepe a Livio memoratur sub variis nominibus Austicula, vel Saticula, fortasse amanuensibus corrupto nomine. Huiusce ruinae restant in quodam Tifatorum colle, ut coniicit Cluerius Ital. ant. lib. IV. c. 5 cuius haec sunt verba: *Patet ex verbis Livii, Saticulam fuisse eodem tractu cum Trebula sub Tifatis monte, qui terminus erat ab hac parte inter Cam-*

paniam, et Samnium. Situs eius maxime quadrat in opidum, quod vulgo dicitur nunc Caserta, in edito positum colle: medio itinere inter Capuae, Suessulaeque ruinas dextrorsum, ex adverso Trebulae.

Haec igitur urbs non est ponenda, ut sentit idem auctor loco citato, ubi nunc *Caserta*, sed ubi adsurgit *S. Agatha Gothorum*, quo in loco plura visuntur antiquitatis rudera. Festus de Verb. Signif. in Samnio eandem ponit urbem.

Anno vero V. C. CCCCXXXVII. quo tempore Samniticum bellum maxime exarsit, plures urbes Romanorum partes sunt secutae, et cum Samnitibus foedus inierunt. Romanorum res eo redierant, ut Dictator L. Æmilius fuerit creatus, qui cum L. Fulvio equitum magistro Saticulam profectus est, quo eam oppngnaret. Samnites tunc magno collecto exercitu, ad Saticulam defendendam accurrunt. Saticulani repente portis patefactis, in Romanorum castra irruerunt. Ferox tunc praelium utrinque obortum: at opidani magno certamine intra moenia compulsi. Saticulae inde obsidio in longum producta. Romani interim ad urbem occupandam cum novis copiis adveniunt: adeo opidum erat fortissimum! Samnites inter eos dies cum Romanis iugiter acerrime praeliantur. Tandem a Romanis capta fuit urbs. Id omne prodit Livius lib. IX. c. 2. Romanos postea Coloniam huc deduxisse ex eodem auctore lib. VI. c. 32, et Paterculo lib. I. c. 14 liquet sic narrante: *Acerranis data civitas, et post triennium Terracina deducta colonia: interpositoque quatriennio Luceria, ac deinde interiecto triennio, Suessa, Aurunca, et Saticula, Interamnaque post biennium.*

Caserta urbs. Caserta urbs longe differt ab antiqua Saticula, eaque nunc satis nobilis est ob celeberrimum Praetorium a Carolo III. Hispaniarum Rege erectum. Vrbs isthaec a Langobardis fuit excitata supra montes, quae per ea tempora vocata fuit *Casairta*. Erchempertus qui floruit nono saeculo, et Langobardorum historiam exaravit, huius saepe facit mentionem, Landulfum narrans hanc occupasse. Ad

Campanam dinastiam pertinuit, qui quidem principes per eam tempestatem hanc urbem nobilitarunt. Saeculo vero nono eandem in Episcopalem cathedram fuisse erectam narrant auctores.

Parum a Caserta adsurgit opidulum nomine Magdalunum ab ipsa tria milliaria distans, ad Tifatorum montium positum radices. Sunt qui scribunt hoc castrum a Saracenis, at potius a Langobardis aedificatum arbitror, qui turres condiderunt, quo vicinos Campaniae populos coercerent. Magdalunum.

Acerra septimo circiter a Neapoli lapide est dissita. Ea ut ceterae Campaniae urbes vetustissima existimatur. Cl. Mazochius tom. II. Opusc. Diatr. V. pag. 141 ab Etruscis aedificatam arbitratur. Strabo lib. V. Geogr. a Samnitibus occupatam postea scribit. Hanc urbem ob plura illata damna civitate Romana donatam fuisse constat in bello, quod Romanos inter, et Samnites exarsit. En ut Livius lib. VIII. c. 18 scribit: *Romani facti Acerrani, lege ab Papirio lata, qua civitas sine suffragio data.* In Punico secundo bello Hannibal postquam Nolam obsederat, quam dubio procul haud expugnari posse animadvertit, Acerras petiit, utque obstinatos vidit opidanos, urbem obsedit. Cives interim noctis silentio dilapsi, in Campaniae urbes perfugerunt. Sic eam incendit Poenus dux. En ut praefatus prodit historicus: *Hannibal Acerris direptis, atque incensis, exercitum ad Casilinum ducit.* Quin Appianus de Bello Pun. lib. VII. c. 33 Accerrarum senatores contra fidem a Carthaginiensibus datam in puteum coniectos esse narrat. Acerra.

Temporis progressu Colonia illuc deducta est, ut scribit Frontinus lib. Col. Illustrissimus Lupolus Iter Venus. pag. 12 lapidem affert effossum, in quo fit mentio cuiusdam Cn. Stennii Egnatii Ædilis Duumviri Deae Isidis, et Serapidis Curatoris. Ex hoc marmore satis elucet, Acerras urbem satis celebrem fuisse, cum memorantur horum templorum Augustales sacerdotes, ludique ab eodem Cn. Stennio editi. Adisis laudatum Clarissimum auctorem loco citato.

Conlapso deinde Romanorum imperio Barbari, et praecipue Langobardi Acerra, aliisque opidis occupatis, eam igne concremarunt. Ita urbs quae quondam nobilis fuerat, eversa et incensa fuit. Hinc Petri Toletani Neapolitanorum Proregis aevo euripus fuit apertus, quo commodius aquae stagnantes in mare se exonerarent prope Literni stagnum. Secus eandem urbem Clanius praeterlabitur, quem fluvium infestum semper Acerris fuisse cecinit Mantuanus vates Georg. II. v. 225.

. . . . . *Et Clanius non aequus Acerris.*

Antequam alio iter instituamus, Guicciardinium Merc. Camp. pag. 40 licet audire de hac urbe ita scribentem: *Iam in conspectu erunt Acerrae quam humili in loco sitae, tam ob rerum ad ipsas olim gestarum copiam celeberrimae. Muro quadrato cinguntur. Verum nihil est quod sui observatione hospites remoretur: pauca enim quae intra moenia sunt aedificia, aut iam diruta iacent, aut ruinam minantur; unde nec solo nomine inclarescunt Acerrae. Habitatores ut et tempore Virgilii, admodum rari, et qui ob gravitatem aeris, coloris sint pumicei, et ventrem habeant tumidum, et obesum. Quo evenit ut miseris Acerranis ab histrionibus nova sit in theatris ad ludibrium corporis adaptata persona.*

Atella. Atella apud antiquos celeberrimum opidum, et olim Oscorum fortasse metropolis, quae parum distabat a via Consulari: nunc pagus est vulgo dictus *S. Elpidio*, vel *S. Arpino* non procul ab Acerris, Aversa, et Neapoli. Crediderim Atellam aeque, ac Acerras haud aeris salubritate usam esse, ut ex supra allato Virgilii probatur versu. Romana vigente Republica hanc urbem Municipium fuisse ex Tullio accipimus Epist. lib. XIII. 17. Frontinus ipsam Coloniam evasisse prodit lib. de Col. Inde agrum in Gallia possedit, ut ex eodem Ciceronis nunc citato patescit loco.

Secundo Punico bello haec urbs in Hannibalis pervenit manus, et in eiusdem fide usque permansit. Con-

clamatis inde in Italia Punicis rebus, Romani urbes omnes recuperarunt, et Atellam in deditionem acceperunt. Hinc octoginta principes senatus fuerunt interfecti; tercenti ferme nobiles in carcerem sunt inclusi; alii per alias urbes variis casibus interierunt. Liviuslib. XXVI. c. 17.

Atellanae fabulae quondam in Italia celebres evasere ita, ut Romae ipsi magnae fuerint delectationi. Huc spectat illud Patavini historici lib. VII. c. 2 *Genus ludorum ab Oscis acceptum.* Hac igitur ratione creditur, Oscos eam urbem aedificasse, et incoluisse. Livius saepe memoratus Atellanas fabulas narrat eo in honore fuisse, ut Romana iuventus veteres usus haud despexerit, illisque fabulis fuerit saepe delectata; *Postquam lege hac fabularum ab risu, ac soluto ideo res avocabatur, et ludus in artem paulatim verterat iuventus, histrionibus fabellarum actu relicto: ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactitare coepit, quae exodia postea appellata, conseriaque fabellis potissimum Atellanis sunt, quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit iuventus, nec ab histrionibus pollui passa est: Eo institutum manet, ut actores Atellanorum nec tribu moveantur, et stipendia tamquam expertes artis ludicrae faciant.* Livius loco ante citato. Hinc factum est, ut Latinae fabulae iuxta Diomedem lib. III. *a civitate Oscorum Atella, in qua primum coeptae, dictae sint.*

Muratorius pag. MXXIX. num. 8 Thes. Inscript. lapidem affert, ex quo probat, cives cuidam Censorino Campaniae Consulari statuam in foro dedicasse, quod eorum urbem meliorem redegerit in statum, auxeritque post Coloniae deductionem.

In hac urbe fuisse Amphitheatrum, et Theatrum constat, ubi ludos fabulasque quam frequenter cives edebant. Suetonius de Amphitheatro Atellano haec scribit in Tib. c. 75 *Corpus moveri a Miseno coepit, conclamantibus plerisque Atellam potius deferendum, et in Amphitheatro semiustulandum, Romam per milites deportatum est, crematumque publico funere.*

Eandem nobilem fuisse apparet satis ex ruderibus, quae supersunt, et praecipue ex statuis, numismatibus, vasis, aedificiorumque ruinis, quae passim identidem effodiuntur in eo solo. Vetus opidum stetit usque ad nonum saeculum, quo tempore Robertus II Campanus princeps igne cremavit, ut narrat Alexander Abbas Telesinus apud Pellegrinium Disc. II.

In Actibus Translationis S. Athanasii Neapolitani Praesulis narratur, hunc Verulis mortem obiisse, ac multo post Neapolitanos eiusdem corpus Neapolim transtulisse. Ea Translatio accidit anno DCCCC. Tunc Neapolitani Casinum profecti, corpus obtinuerunt, ex quo loco Atellam usque deportarunt. Hinc scribit Translationis auctor apud Muratorium tom. II. part. 2 Script. Ital. col. 1068. *Tanta enim velocitate iter peregerunt; ut intra unius diei spatium a monasterio S. Benedicti in Atellas devenirent, quae sexaginta millibus distat, et apud Ecclesiam S. Elpidii manserunt . . . Tunc collecta omnis simul congregatio Sacerdotum Ecclesiae S. Elpidii tota nocte pervigiles extiterunt, psalmodiis vacantes, et miserunt Neapolim nuntium dicentes, venimus cum corpore viri Dei Atellas . . . Sacerdotes vero universarum Ecclesiarum Liburiae una cum S. Elpidii congregatione accensis luminibus ante Sancti locellum toto itinere psallentes ec.* Ex hoc igitur citato loco videtur, adhuc nono saeculo Atellam urbem extare, et S. Elpidii vicum iam efformatum, qui quidem parum distat ab Aversa, et ad quem pertinet in praesentiarum. Ultimum Atellae Praesulem iuxta Vghellium tom. X. Ital. Sacr. fuisse memoratur Eusebium, qui Lateranensi interfuit Concilio anno DCXLIX.

Antequam alio progrediamur venustissimum Guicciardinium Merc. Camp. pag. 27. de huius urbis excidio alloquentem audiamus: *Latissimi qui ad meridiem excurrunt campi, ager Campanus, Linternus, et Phlegraeus, sive Leborius fuere, quibus omissis altera ab regiae viae parte septentrionem versus, Atellanum digrediamur in a-*

grum, lascivienti incolarum in theatris gesticulatione notissimum. Fossas, ac vallum quadriforme non procul a S. Arpini pago adspicitur, quod absque dubio fuit Atellanae urbis pomoerium. Solo aliquantisper supereminet quadratus ille tumulus ad duo milliaria per gyrum circumductus. Quod observes, nihil est: adeo cuncta disiecta, ac solo aequata sunt, ut ullum ibi perstitisse aedificium vix crederes, ac minutissimae testulae per arva dispersae, ac semirutae, quaedam parietinae, quas vulgus vocat il castellone fidem adstruerent.

Extra urbem erat via Atellana, quae a Capua incipiebat a porta quae quondam *Atellana* dicebatur, et hinc Neapolim usque protendebatur. Ea vero initium sumebat a loco, ubi nunc est pagus *S. Mariae*, et proprie ubi vulgo *Macerata*. Ibi enim passim veteres silices instar Appiae viae strati per agros quaquaversum restant adhuc; et praesertim per vicos *Porticum*, et *Casalbam* eadem extendebatur, ubi nunc *a selice*. Hinc per castrum *Airolam* super Clanium fluvium, ubi vetusti pontis vestigia adservantur: inde per castrum *Casuppanam* Atellam, ac tandem Neapolim usque eadem producebatur. Via Atellana.

Non longe ab descripta Atella adsurgit Aversa urbs haud ignobilis, quam quidam improprie *Atellam novam* appellarunt. Eadem est Neapolim inter, et Capuam in fertilissima camporum planitie septimo lapide a Neapoli circiter. Eam aedificasse ad unum omnes scriptores Rainulphum Normannorum Comitem anno MXX. memoriae prodidere. Hinc Apuliensis poeta cecinit lib. I. Aversa.

Post annos aliquot Gallorum exercitus urbem
Condidit Aversam Rainulpho Comite tutus.

Et Aversa fuit dicta, eo quod Neapoli, et Capuae adversabatur, ut scribit Chronicae Cavensis auctor. Post Rainulphum, qui fato obiit MXLVII. ut narrat Ostiensis lib. II. c. 67 alii in principatu successere, ut Gulielmus, Erimannus, aliique, et anno MCXXX. Rogerius Neapolitanus Rex regno occupato, tandem illa fuit potitus, quam in meliorem reddidit statum.

Ager Aversanus est adeo fertilis, ut cuiuscuque generis fructus, et exquisiti producat saporis; haud memorem optimum frumentum, et cucumeres, qui nascuntur haud procul a Clanii paludibus. Hodiedum urbs sedem habet Episcopalem, et una est e Neapolitano regno praecipua. Huius urbis Episcopus ex ea tempestate fuit appellatus *Atellanus Praesul* a vicina Atella. Tandem nunc isthaec splendidissima est, habetque aedificia nobilissima.

Pomilianum Atellae.

Prope Aversam est vicus dictus Pomilianum Atellae, cum nomen usurpet ab eversa urbe. Prope Nolam alius adsurgit vicus eiusdem nominis Pomiliani ad Arcum.

CAPUT XI.

Describuntur aliae urbes, uti Abella, Nola, aliaeque nonnullae, cum vicis incerti situs.

Postquam de Campaniae Felicis opidis vetustis ultra citraque Capuam verba fecimus, nunc de aliis Neapolim prope dicemus. Heic primum de Abella sermo producendus.

Abella.

Ea urbs fuit prope Nolam septentrionem spectans, a Neapoli XVI. lapide. Conspicuam eam fuisse, et a Graecis conditam scribit Servius in illum Virgilii versum Æn. VII. 740

Et quos maliferae despectant moenia Abellae.

Hinc subiungit: *Quidam hanc civitatem a Rege Murano conditam, Moeram nomine vocatam ferunt. Sed Graecos primum eam incoluisse, quae ab nucibus Abellanis Abella nomen acceperit: alii quod imbelle vulgus, et otiosum ibi fuerit, ideo Abellam appellatam. Huius cives cum loca circa Capuam possiderent, orto tumultu interiisse, aliosque fugientes, Moeranum abiisse.* Praeter auctores Graios, Latinosque, qui hanc Graecam fuisse memoriae prodidere, vasa, numismata, lapides, statuae, aliaque id genus eruderata magis eandem Graecam olim fuisse urbem testantur.

Vetustae Abellae vestigia haud longe a nova absunt, murorum, turriumqne reliquiis perspicua XXIV. fere stadiorum ambitu circumscripta. Reinesius lapidem affert Class. II. num. 24 ex quo probatur, quendam Antistium fuisse Abellani municipii patronum. Ex alio lapide a Remondinio allato, Storia di Nola lib. I. c. 45 eandem Coloniam quoque fuisse dicitur.

In urbis antiquae medio adsurgit adhuc Amphitheatrum. Huiusce ruinae iuxta eundem auctorem visuntur in eo urbis loco, ubi dicitur *le grotte d' Antonello*: quamvis in dies eiusdem memoria obliteratur, nihilosecius hodiedum superest adhuc ovalis huius Amphitheatri figura circum circiter, et caveae pars temporum colluvie oppleta, eaque est pedes CCC. in agro, lata CC. in fronte. Ex quadam epigraphe ab eodem Remondinio ibid. allata occurrit mentio spectaculorum, quae in Amphitheatro edebantur. Fuit ibi etiam Theatrum, ut constat ex quodam marmore a Grutero recitato pag. MXCIX. num. 2.

Imperante vero Constantino Magno Barbaricum Pompeianum Campaniae Proconsularem huiusce urbis vias restaurasse comperimus ex alio marmore recitato a Remondinio tom. I. c. 43. Fuisse etiam in hac urbe constat plura templa diis dicata, aliaque publica opera, quorum rudera vix ad nos pervenere. Prope vetus opidum repertus fuit lapis Oscis characteribus ab eodem Remondinio explicatus, quique hodiedum prostat in aedibus Seminarii Nolani. Abella tandem a Saracenis saeculo decimo fuit igne consumpta.

Ex Abella parum aberat Nola, quam Polybius, et Strabo in Picentinis, et Livius in Samnio ponit. Sunt qui illam a Tuscis fuisse aedificatam asserunt. Iustinus lib. XX. c. 1 Chalcidenses fundasse prodit, cui consentit Silius lib. XIII. Velleius Paterculus lib. I. c. 17 hanc etiam a Tuscis conditam scribit; alii Ausones fundasse memoriae prodidere; ex his Stephanus Byzantinus lib. de Vrbib. En quot fluctus in sympuvio! Ea vero primum ad Campanos pertinuit, qui in ipsam dominati fuere. Temporis pro- Nola.

gressu Nolanos cum Samnitibus foederatos esse, posteaque Samnites ipsosmet a Romanis profligatos ex Livii patet auctoritate lib. IX. c. 28. Idem vero narrat anno V. C. CCCCXL. Lucio Papirio quintum, et C. Iunio Bubulco iterum Coss. urbem a Romanis captam. Eo anno C. Poetilius Dictator creatus, qui urbis situ circumspecto, omnia aedificia, quae circa urbem erant, incendit.

Quo vero tempore Hannibal bellum Romanis intulit, et Italia potitus, Nola sicut ceterae Campaniae urbes iam idem subitura erat fatum, sed cives ipsi Romanis addicti erant; ipsa haud vi expugnari potuit a Poeno duce, cum fortissima haberet moenia; quare ipse ad urbem adpropinquavit, et obsedit; at cives longam potius obsidionem sunt passi.

Paulo ante Nolanam obsidionem Romana illa nobilis evenerat clades apud Cannas, ibique Hannibal Romanorum castris conspectis, L. Bantium Nolanum adolescentem semivivum reperit in corporum caesorum acervo, quem non solum curavit, verum etiam muneribus domum remisit. Ob hoc beneficium Poeno grates egit Nolanus adolescens. Cum vero Hannibal urbem obsedisset, patriam per proditionem illi Bantius dare studuit. At Marcellus his auditis, et imminens advertens periculum, iuvenem accivit, utque ab incoepto desisteret, rogavit. Quaestorem interim iubet Marcellus eum equo donari eximio, bigatosque sexcentos numerari. Adhaec lictoribus imperat, ut quoties velit, ad se venire illum patiantur. His beneficiis iuvenis animus adeo fuit commotus, ut socios omnes fide virtuteque superarit. Videsis Livium lib. XXIII. c. 15.

Eo vero tempore Claudius Marcellus plura gessit praeclara, et Hannibalis saepius perfregit copias, ubi eruptionibus ex urbe factis, hostem alio ire coegit. Idem Livius narrat ibidem, tam prospere Romanos pugnasse quadam die, ut ad duo millia, et tercentos hostes caesi fuerint, Romani vero non plus unum amiserint.

Exardescente autem Italico bello a Samnitibus Nola fuit occupata. Postea Colonia eo deducta, ut ex lapide

x Capacio Hist. Neap. lib. II. c. 29 recitato patescit. Eadem quoque Municipium deinde evasit.

Sequiori aevo vigente Christianorum Religione sub Christianis Imperatoribus privilegiis pluribus usa est. Constantio inde Imperatori Constantini Magni filio ob quaedam beneficia in foro cives statuam collocarunt, ut patet ex lapide prostante in aedibus Seminarii Nolani.

Vrbs olim magna, et nobilis fuit, et duodecim habuit portas, et moenia fortissima, quae quidem haud valuit Hannibal expugnare. Religioni insuper satis fuit addicta, et praesertim coluit Venerem, Floram, Apollinem, aliosque deos, quibus templa exstruxit magnifica. Praeter hosce Deos Nolani Iovi templum posuere. Remondinius tom. I. c. 10 ad hanc rem probandam marmor affert, ex quo eruitur in hac urbe olim Iovi fanum dicatum esse. Hoc iuxta Ambrosium Leonem de Vrbe Nol. lib. I. c. 8 fuit ubi nunc adsurgit Ecclesia Cathedralis. Hinc scribit praefatus auctor. *In eadem parte arctica, atque maiore recessu facto amphitheatro est episcopium, in quo pavimentum antiqui templi, quod Iovi dicatum erat, detegitur, quod nunc subterraneum sacellum est B. Felicis: atque prope ipsum alter locus humi depressus comperitur, qui nunc vocatur S.* Apostolus: *sed ambos hosce locos depressos eiusdem templi Iovis extitisse partes, notum est.* Cereri quoque aedem posuisse cives olim compertum est ex alio lapide a Remondinio allato ibid. Sunt etiam qui putant fuisse in hac urbe Augusto templum dicatum. Ex ceteris qui hoc memoriae prodidere, est Ambrosius Leo lib. I. c. 8 qui narrat fuisse lapidem eruderatum. Re sane vera hoc haud improbabile est. Tradunt enim Augustae historiae scriptores, et praecipue Tranquillus in eius vita c. 98 hunc Imperatorem Nolae extremam obiisse diem: *Sed in redeundo, aggravata valetudine, tandem Nolae succubuit.* Adde Tacitum Annal. lib. I. c. 4, Velleium Paterculum lib. II. c. 123, Eutropium lib, VII. c. 5, aliosque qui in hac urbe ad unum omnes hunc Imperatorem mortuum scri-

bunt. Cumque (ut omnes norunt) Imperatores ipsi post fata in deorum numerum relati fuerint, hanc ob rationem Nolanos autumo in grati animi memoriam, et honorem Augusto templum dicasse. Duo vero ibi Amphitheatra extitere; id confirmat Ambrosius Leo lib. I. c. 8. lateritium unum, quod servat adhuc ambitum, atque parietem exteriorem supra fornices, et infimos arcus. Marmoreum alterum, cuius Leonis aevo pauca vix rudera supererant. Primum Amphitheatrum lateritium nempe extitit, ubi adsurgit aedes *D. Petro ad portam* dicata, qui locus hodie dicitur *Merara*. Alterum ex marmore, ubi nunc accolae compellant *Castello rotto*. De duobus hisce Amphitheatris loquitur Remondinius lib. I. c. 15 aitque suo aevo nihil aliud superesse, quam pauca marmora per urbem, perque agros dispersa, cum olim accolae, et Barbari praecipue ea rudera comminuerint.

Introducta postmodum Christiana Religione, et falsis inanibusque diis eversis, Æterno Veroque Deo templa condidere cives, qui quidem religiose Deum sunt venerati, sanctique Praesules eandem administrarunt Ecclesiam, quos inter memoratur D. Paulinus Episcopus, quem satis superque veteres commendarunt auctores, et S. Felix (1), de quo legesis in extrema orae pagina subiectam adnotationem.

---

(1) Nemo est qui inficias ibit, quam celebris fuerit urbs Nola ob S. Felicis Presbyteri sepulchrum, atque sanctuarium, de quo plura scripsit S. Paulinus eiusdem urbis Episcopus. Hoc unum satis dictu est, hunc cecinisse Nat. III. v. 86 et seqq. eam urbem adeo nobilem post Romam evasisse ob Apostolorum Petri, et Pauli memoriam, ut nulla urbs post illam cum Nolana comparari potuerit.

Hic vero prope Nolam fuit sepultus in loco, qui dicitur nunc *Cimitile*. Qui quidem vicus celebratus est ob eiusdem S. Felicis *in Pincis* tumulum. Hic locus a Nola distat uno circiter milliario, et in historia Medii Ævi *Coemeterium* appellatur, quod ibi nempe hic Sanctus fuerit sepultus. Remondinius Hist. Nol.

Extra novam urbem, quae profecto aedificata fuit supra vetustas ruderum fabricas, reperta identidem fuere sepulchreta plura ad Romanorum aevum pertinentia. De hisce plura scribit idem Remondinius lib. I. c. 15. Paucis vero abhinc annis MDCCCX. nonnulla alia ad vetustissima pertinentia tempora eruderata fuere in loco praesertim, ubi dicitur *il Macello*, eaque ad Etruscorum nonnisi aevum pertinuisse certum est. Nam ibidem praecipue perplura magnificentissimae structurae vasa, paterae, numismata, ossium compages, idque genus alia quotidie passim reperiuntur, et praesertim huius urbis

---

lib. III. c. 6, et Ambrosinius nuperus Nolani Coemeterii scriptor lib. I. c. 2 longam Diatribam scripserunt ad probandum, hoc vocabulum *in Pincis* S. Felici tributum, varia significare. Verum ne longius abeamus, illud *in Pincis* ad urbem Romam pertinere procul dubio dicimus, ut patet ex Anasthasio Bibliothecario, qui in Hadrian. I. *Basilicae in Pincis*, sive *in Pineis* meminit. Et Cl. Mazochius in Kalend. Neap. tom. I. Mens. Ianuar. die XIIII. qui Natalis est dies eiusdem Nolani Presbyteri, et non Martyris (ut quidam scripserunt) Michaelis Monachi auctoritate in Sanctuar. Camp. pag. 450 in Martyrologio MS. legit: *Felix in Pincis, non qui Nolae, sed qui Romae colitur.* Hinc olim cum eodem die uterque S. Felix Romanus, et Nolanus coleretur, inde postea ex duobus unus coaluit, ac proinde vocabulum *in Pincis*, quod ad Romanum pertinebat, Nolano fuit falso donatum.

Plures postea Martyres ob Christiani nominis fidem variis cruciatibus morte damnatos, ibique tumulatos fuisse fama est. Vghellius Ital. Sacr. tom. II. ita de ipso scribit loco: *Multorum Sanctorum Martyrum sanguine purpuratum, quod vel uno Nolano Coemeterio abunde comprobatur.* Hinc est, ut hunc accolae locum *Coemeterium*, et sequiori aevo *Cimitinum* dixerint. Quo vero tempore hoc Coemeterii nomen in aliud sit mutatum, incertum est. Divi Paulini tempore hunc locum nobilem fuisse constat.

In huius tandem vici nonnullis locis passim adhuc effodiuntur SS. Martyrum compages. Paucis abhinc annis eruderatum fuit hypogaeum cum Christianis lapidibus ab eodem Ambrosinio recitatis.

Episcopus Franciscus Maria Torrusio suis expensis horum sepulchrorum effossiones faciendas curavit. Hinc Museum Nolanum mirandum nunc in modum vasis praesertim Etruscis excrevit.

Vrbs vetus conlapso Romanorum Imperio, per barbaras nationes pluries vastata, et cremata fuit Anno CCCCIX. Gothi, qui sub Alarico duce Italiam ingressi fuerant, eam caedibus ferroque depopulantes, cunctis occupatis opidis Nolam capiunt. Tunc eiusdem Praesul erat S. Paulinus. Ex auctore Hist. Miscell. lib. XIII. c. 27 certiores facti sumus, Gothos cuncta urbis vastasse templa. Sequiori tempore Vandali cum Genserico eorum Rege anno CCCCLV. eandem praedati sunt urbem. Idque non solum Nolae evenisse narrat historia, verum cunctis aliis Campaniae opidis. Neapolis tandem, et Cumae a Barbarorum clade colluvieque liberatae fuere. Saraceni etiam anno DCCCCIV. ultimam huic urbi ruinam attulere. His adde temporum longaevitatem, per quam quae superfuerant rudera, penitus deperdita.

Antequam Nolanae historiae finem imponamus, dicendum nonnullos esse auctores, qui arbitrantur (quibus haud adsentior) quondam ad hanc urbem mare (1)

---

(1) Huiusce fabulae origo hinc orta videtur ex eo, quod narrant Nolanae historiae scriptores, ex vicino Cicalae monte, qui prope Nolam est, pluries aquarum torrentes haec in vicina descendisse loca. Anno enim MDXXIV. tanta aquarum copia ex montis pervenit vertice, ut plura hominum centena enecarit. Et anno MDCXXII. ex eodem monte Nolanum agrum aquae erumpentes devastarunt. Hinc Patriciorum iussu magnus apertus fuit euripus, qui communicat cum Regiis Langynis, vulgo *Lagni*, quibuscum in Liternum se exonerat lacum. Ante hoc tempus totus hic ager propter aquas stagnantes mare veluti efformabat. Hinc ait Cl. Vetranius in Sebethi Vindic. c. 7. pag. 190. *In campo qui dicitur il Piano di Palma, arenulae, conchae, lapides aquis corrosi passim excavantur, et campus hic vulgo, Campo Marino nuncupatur.* Ex his igitur nata fabella est, Na-

pervenisse. Idque probant Vesuvianis eruptionibus, quae quidem adeo loci faciem inverterunt, ut penitus sit alia ab antiqua forma. Vicinus enim Vesuvius ob assiduos ignes, et motus terrae loci faciem antiquam mutavit. Sunt etiam qui commonstrant in quibusdam locis maris vestigia, et haec communis accolarum adhuc traditio est. Credat Iudaeus Apelles, non ego.

Parum ab descripta urbe adsurgit in praesentiarum vicus Pomilianus ad Arcum *Pomigliano d' Arco*, ad differentiam Pomiliani Atellani. Pagus distat a Nola sex milliaria. Hinc crediderim sic appellatum a Pompeiorum gente, quae quondam Nolanum incoluit agrum. Hoc confirmari videtur ex illo Ciceronis lib. XIII ad Attic. 9 ubi scribit: *Alicui des negotium, qui quaerat Q. Faberii fundum: numquis in Pompeiano, Nolanove venalis sit?* Remondinius lib. I. c. 8. lapidem affert, creditque quendam Campaniae Consularem fuisse vocatum Barbericum Pompeianum. Pomilianum ad Arcum.

Antequam manum de tabula, pauca dicenda supersunt de quibusdam incerti situs opidis, quorum nonnulla in Campania extiterunt; De ipsis nunc vix nomen manet. De Veseri primum occurrit sermo. Ea urbs ad montis Vesuvii radices fuit ex ea parte, quae Capuam respicit: alii probabilius fluvium fuisse credunt. Et re sane vera Aurelius Victor, qui quarto floruit saeculo, haec de Veseri scribit de Vir. Illustr. *Consul bello Latino conlega Manlio Torquato, positis apud Veserim fluvium castris.* De hoc Manlio Torquato lo- Veseris.

---

lam etiam quarto saeculo urbem maritimam fuisse. Adisis Cl. auctorem loco citato.

Ad calcem ad hanc evertendam quorundam opinionem valeat Livii lib. XXIII. c. 22 afferre auctoritatem, qui sic de Nola Hannibalem milites alloquentem inducit: *Expugnate Nolam campestrem urbem non flumine, non mari septam.* Ex quibus verbis vide, quam clare pateat hoc falsum esse, quod Nola antiquitus vicinum habuerit mare.

quente idem tradit: *Latinos apud Veserim fluvium, Decii conlegae devotione superavit.* Sanfelicius de Situ Camp. aliique recentiores Veserim neque urbem, neque fluvium fuisse scribunt. At Rogadeus, Stato de' popoli Cistib. pag. 171 hunc ab Aurelio Victore fluvium descriptum esse sentit Sarnum, vel Sebethum. Livius vero ubi de pugna loquitur Romanos inter, et Latinos orta, in qua Consul Publius Decius mortuus fuit, haec prodit lib. VIII. c. 8. *Pugnatum est haud procul radicibus Vesuvii montis, qua via ad Veserim ferebat.* Ex his scriptoris verbis fortasse colligitur, Veserim urbem fuisse. In tanta scriptorum discrepantia, utrum urbs, an fluvius fuerit, haud certe adhuc res isthaec confirmari potuit. Opidulum ego fuisse autumarim, et fluvium cum Cluerio Ital. antiq. lib. IV. c. 5 sic scribente: *Omnino ergo concludo, non flumen, sed castellum aliquod, aut opidulum fuisse Veserim sub radicibus Vesuvii montis, ad quod via ducebat publica ab urbe celeberrima Capua.* Pellegrinius Disc. II. par. 23 lapidem affert, ex quo olim probatur gentem extitisse Veseriam nomine. Ea urbs tandem fortasse Vesuvianis conflagrationibus fuit absorpta.

Thora. Non longe a Vesuvio ad eiusdem radices fuit urbs Thora, cuius meminit Florus lib. III. c. 20 ubi de Spartaco gladiatore sermonem instituit, atque de illis, qui eum sequuti fuerunt: *Exitu invio, nihil tale opinantis ducis subito impetu castra rapuere: inde alia castra; deinceps Thoram, totamque pervagantur Campaniam* Velleius Paterculus etiam eandem memorat lib. II. c. 16 *Nepos Decii Magii, Campanorum principis celeberrimi, et fidelissimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem praestitit, ut cum legione, quam ipse in Irpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sylla oppugnaret, Cosamque occuparet.* Ex recitatis praefatorum scriptorum auctoritatibus eruitur satis, eandem urbem diversam esse nomine, nempe Thoram, Cosam, vel Cossam. Strabo lib. V. eam Etruscos aedificasse scribit; hanc fortasse extitisse ubi nunc est *la Torre*

del Greco ad mare dicitur. Paucis abhinc annis effossa urbs videtur, quam quidam heic ponunt. Verum enimvero id affirmare non ausim. Nam ex aedificiis usque modo eruderatis Turris Octavae urbem potius, quam villam esse apparet. Sed quis interim affirmare id temere posset? Fueritne ea urbs, an alicuius divitis nobilisque Romani villa? Hoc in dubio sane est. Nam ex paucis usque modo detectis aedificiis ceteroquin hoc audenter haud dici potest. Praeterea quo nomine donanda sit Thora, utrum an aliud, res esse expendenda. Ad investigandam vero aliquam urbem, necesse est, ut lapides, et alia reperiantur; hinc iisdem inventis nomen imponitur. At neque statuae, neque lapides usque adhuc detecti; ambiguum igitur omne. Quo vero in loco ea urbs ponenda? in ea forsitan vicinitate. Sub Vesuvio, et praesertim non procul a mari immensa veterum aedificiorum rudera sub Vesuvianis ipsis ruinis restant haud effossa. Ex Flori tandem, aliorumque scriptorum testimoniis ante allatis, urbem Veserim, Thoramque in Vesuvii montis vicinitate extitisse certissimum est.

Prope hanc fuit alia, cuius tantum extat mentio in tabula Itineraria Antonini. Cluerius Ital. ant. lib. IV. c. 5 *Opulentos* scribendum censet. Nullus auctor est, qui huius facit mentionem neque ex antiquis, neque ex recentibus. Idem auctor recte autumat Stabias inter, et Herculaneum ponendum hoc opidum, idque nunc esse *la Torre dell' Annunziata*; verum opidum utrum, an vicus, incertum. Opulentum.

Inter alias incerti situs urbes memoratur Caedia, quae potius vicus erat in campo Falerno. Non procul fuisse creditur a Campo Caeditio circa viam Appiam, et in eo publicae cauponae nomine Caeditiae Tabernae, nunc *la Torre de' Bagni*. Festus de Verb. Sign. de hisce sic loquitur; *Caeditiae Tabernae in via Appia a domini nomine vocatae sunt.* At Pellegrinius disc. II. art. 10 desumpsisse nomen non a domino credit, sed fortasse ab urbe vicina, vel vico Caedia dictas tabernas fuisse. Tabernae Caeditiae.

*

Larissa. Iuxta Halicarnassaeum hist. lib. III. c. 5 extitit aliud opidum Larissa nomine in campo Falerno, quod a Pelasgis aedificatum prodit. Sed nec Strabo, nec Plinius, nec alii auctores eiusdem urbis mentionem faciunt; quid igitur dicendum de Halicarnassaei textu? fortasse corruptus fuit auctoris locus.

Claudii Forum. Claudii Forum, nunc *i Ventaroli*, urbs vetusta cum Episcopatu, quae Porphirionis extitit aevo. Hanc fuisse adhuc anno MCX. sunt quidam qui scribunt, et haud procul a Sidicino positam. Pratillius Via App. lib. III. c. 6 non longe a ponte Campano sitam credit, qui decimoquarto ab Capua lapide supra viam Appiam distabat. Nomen ab Claudii alicuius fortasse familia usurpavit. Huiusce urbis ruinae ad octavum Sinuessae milliarium visuntur.

Vescia. Vescia etiam fuit incerti situs. At Pratillius ibidem eandem haud procul a Massico monte fuisse credit. Idem marmor affert, quod nunc Capuae prostat, ex quo eruitur, extitisse quoque olim Vesciniam gentem.

Papia. Prope Capuam iuxta Pellegrinium ibidem fuit Papia, et iuxta Pratillium loco cit. non longe a Liri flumine, in loco qui adhucdum dicitur *il capo di Pappola.*

Pyrae. Inter Minturnas, sive Lirim, et Formias fuerunt Pyrae, quod opidum a Plinio tantum memoratur lib. III. c. 6 his verbis: *Caieta portus: opidum Formiae, Hormiae prius olim dictum: ut existimavere antiquae Lestrygonum sedes. Vltra fuit opidum Pyrae, coloniae Minturnae, Lyri amne divisa.* Haec urbs huius auctoris tempestate iam interciderat, et ubinam fuerit sita, incertum apud geographos.

Cossa, Mele, Fulsulae, et Orbitanium. Fuere et alia opida, eaque Cossa, Mele, Fulsulae, et Orbitanium, quae parum ab Telesia extiterunt, et ad Samnites fortasse pertinuerunt. Livius narrat Fabium Maximum capto Casilino ad expugnandam Telesiam, et Compulteriam appropinquasse. Hinc scribit lib. XXIV. c. 10. *Fabius in Samnium, ad populandos agros, recipiendasque armis, quae defecerant urbes, processit. Itaque*

Caudinus Samnis gravius devastatus; perusti populatique late agri, praedae pecudum, hominumque actae. Opida vi capta; Compulteria, Telesia, Cossa, Mele, Fulsulae, Orbitanium. Ex huius auctoris verbis liquet, hasce olim urbes ad Samnites Caudinos pertinuisse, easque Telesiae, et Compulteriae vicinas fuisse. De Cossae igitur situ dubitatur, eaque urbs satis differens fuit ab Irpinorum Compsa. Mele fuit ubi in praesentiarum dicitur *Melizzano.* Fulsulae prope *Favicchio* fuere, qui locus parum distat a Telesia. Orbitanium fortasse non procul a vico *Ducenta.* De hisce opidis nulla nunc temporis rudera supersunt, et nonnisi nomen ad posteros tantum pervenit; hinc recte concludit Cluerius Ital. ant. lib. IV. c. 8 *Neque haec tria, Compulteria, Fulsulae, Orbitanium quibus locis fuerint, constat.*

Vbinam fuerint Rufrae sitae, adhuc disputatur. Magna eruditos inter, et geographos contentio vertitur. Alii alia: Servius illum Virgilii Æn. VII. v. 739 locum explicans Rufrae, Celennae, et Batulum

Qui Rufras, Batulumque tenent, atque arva Celennae.

ita scribit: *Rufras, Batulumque castella Campaniae a Samnitibus condita.* Cluerius lib. IV. c. 8 de Rufris ita scribit: *Est autem opidum Episcopale in extremis Irpinorum finibus ultrà Apenninum, et Compsam situm.* Cellarius Geogr. ant. lib. II. c. 9 eum locum supra Teanum ad orientem pônit. Iustianianus tandem Dizion. del. Regno di Nap. artic. *Ruvo*, ponit in Lucania in dioecesi Murana. Verum utrum Rufrae in Campania, an in Lucania, vel Irpinis fuerint, difficile de eius situ dictu est, aeque ac de Celenna, et Batulo.

Sunt qui scribunt hoc opidum decimo tertio lapide ab Capua fuisse dissitum super viam Appiam. Peutingeri Odeporicum quarto lapide a Campano ponte distare ait. Eius facit mentionem Plinius lib. XIV. c. 6 hoc modo: *Falernus ager a ponte Campano laeva petentibus Vrbanam, Coloniam Syllanam contributam, incipit.* Vbi vide, Syllam heic Coloniam deduxisse. Quo tempore eiusdem acciderit eversio, haud constat. Extat marmor a Pratil- Urbana opidum.

lio recitatum lib. II. c. 10 in quo de hac colonia occurrit mentio.

Tegianum. Tegianum, vel Teglanum utrum urbs, an vicus fuerit, incertum. De eius situ dubitatur, cum nullum existat monumentum, praeter nomen. Sunt qui scribunt, locum hunc in Campania extitisse, et haud procul a Nola, et ubi hodiedum vicus est ab indigenis dictus *Palma*. Cluerius ibid. urbem fuisse autumat, ita ut Coloniae, vel Municipii meruerit dignitatem.

Atque hae sunt Campaniae urbes, atque vici ultra citraque Capuam. Verum lectores monitos volo, non omnia hactenus descripta loca extare. Recens Campaniae status est penitus ab antiquo mutatus. Vrbes celeberrimae, et villae quondam Romanorum deliciae a Barbaris, et temporis edacitate sunt eversae. Super antiquarum urbium aggestionibus nova opida condita fuere; diversa inde iisdem nomina indita. Inter tot igitur urbes, quarum memoria fuit obliterata, solum Herculaneum, et Pompeii ad nos integrae urbes pervenere, de quibus nunc sermo instituendus.

Explicit liber primus.

LIBER SECUNDUS.

PROŒMIUM.

Ad arenas Vesuvianas nunc descendere fas est, quo magnificas olim illic urbes, nunc vero post tot saeculorum longaevitatem eruderatas attentis oculis animadvertamus. Hinc nos primum Herculanei, et Pompeiorum lectoris ob oculos originem: inde ruinas a Vesuvio actas proponemus; hinc templa, domos, urbium vias: hinc tot aera, ac marmora, tot anaglypticas tabulas, vasa, scalptas gemmas describemus, quae erutae ex duobus nobilissimis opidis fuere, et Neapolitanum Borbonicum Museum adeo locupletarunt, ut illud totius orbis celeberrimum sit habitum. Miraculum hoc dubio procul naturae putandum, quod post tot saecula urbes integrae quasi eadem forma, iisdemque aedificiis ad nos usque pervenere: Quaenam regio, quodnam regnum, quinam terrarum orbis angulus habet adhuc urbes integras longam pone tempestatem? Laudabunt aliae gentes tot praeclaras naturae, et artis cum vetustas, tum recentes magnificentias; Neapolitanum vero solum (ut tot alia cuiuscunque generis opera praetereamus) hasce duas urbes nuper eruderatas servat adhuc, quae profecto cuivis antecellunt miraculo. Vesuvianae conflagrationes, et praecipue prima quae accidit Titi aevo, Herculaneum, Pompeiosque urbes ad nos usque sartas tectasque servavit. Nonne igitur, ut ita dicam, Vesuvio grates agendae? Quae cum ita sint, singula haec secundo libro, quoad in nobis situm erit, lectoris ob oculos, favente DEO describemus.

CAPUT I.

Herculanei urbis effossio: portus sub Retinae nomine salutatus. Hercules urbis conditor: urbis situs. Quaenam gentes eam occuparunt; quo anno Romani ea sunt potiti: villae nobiles, et quo tempore prima urbis acciderit ruina. Vtrum post conflagrationem Herculaneum, et Pompeii rursus fuerint habitatae. Herculaneum Colonia, et Municipium.

Quando urbs effosa?

Iam diu est, cum apud Porticum (1), vulgo *la Real*

---

(1) Porticus nomen ab Herculis portico descendit, cuius meminit Petronius Satyr. c. 106 quaeque uti creditur, in illa conflagratione fuit immunis, quae accidit imperante Tito Vespasiani filio, quaque porticu Herculanenses exules, et deterriti usi fuere ad rursus incolendum, qui postea locus Porticus fuit nuncupatus. Ante patrios scriptores doctissimus Burmannus iam adnotarat in hunc Petronii locum: *Nisi intelligamus in opido Herculaneo, quod Herculeam urbem vocat Naso, Porticum fuisse Herculis, ubi illa acciderint.* Vide quae sentit Ch. Ignarra in hanc vocem, de Palaestra Neapol. c. 5 pag. 188.

Verum haud obstante Perronii, et Burmanni auctoritate, Sanfelicii opinionem in medio afferemus, qui in diversam ab his abit sententiam. Is enim de Orig. Camp. pag. 116 post descripta alia Campaniae loca, ubi de Porticu mentionem facit, haec subiungit: *Porticus . . . . ab antiquo portu proxime Retinae, sive Herculanei.* Ex quibus verbis colligit auctor, Porticum vicum ab antiquo potius vicini opidi Herculanei portu nomen desumsisse, quam ab Herculis porticu. Hic enim portus prope hanc urbem dubio procul extitit. Huiusce mentionem faciunt Dionysius Halicar. et Strabo lib. V. Geogr. Nec mirum si nunc temporis nullum huius extet vestigium: nam assiduae Vesuvianae conflagrationes loci faciem penitus mutavere. Portum vero hunc fuisse facile creditur Porticum inter, et Retinam villas, seu pagos hodiernos, ubi nunc extat regium castrum in loco, cui nomen *Granatello*, ubi praerupti, et immanes scopuli a Vesuvio eructati passim adspectantur. Nec miretur aliquis, si qui ex portus no-

villa di Portici (qui vicus amoenissimus, et totius Campaniae pulcherrimus est, et Regum Neapolitanorum ad rusticandum opportuna sedes) quidam lapicidae puteum effodientes, aliquot Herculanensis opidi rudera invenere. Pro certo enim eruditi olim habebant, eo loci urbem a Vesuvianis sepultam flammis Herculaneum esse. At huius urbis effossio eo incoepit tempore, cum regiarum aedium

---

mine locum hunc Porticum appellatum audierit: recentes enim villas ab aliquo vetusto nomine efformatas comperimus, ut a Pollii villa factum est *Puolo*, a Metelli *Meta* apud Surrentum, aliisque perpluribus olim in Campania Felici existentibus.

Sunt vero qui asserunt, Herculaneum haud portum habuisse: si hic extitisset, profecto Hannibal eo fuisset potitus, quo urbem haberet maritimam; ipse enim Neapolim expugnare haud potuit, nec etiam Puteolos; quibus respondemus, facile Carthaginiensem ducem potius Neapolim cupivisse Herculaneo praecellentiorem, et Campaniae praeclariorem; ac inde si ad Herculanensem portum adpropinquasset, profecto inter duo opida moeniis fortissima Capuam scilicet, et Neapolim castra positurus esset. Vide igitur ducem callidissimum ex industria Neapolitanam potius, quam Herculanensem obsidionem tentantem.

Ad confirmandam igitur opinionem portus Herculanei, Plinianus adest textus lib. VI. c. 16 qui mentionem facit *Retinae Classiariorum*, ex quibus arguitur, hos homines tutos ac manentes fuisse in eo portu Herculaneum prope, ubi classis Misenensis pars aderat ad Inferi maris tutelam, qui Vesuvii montis vicinis flammis deterriti, alio aufugere studebant, ut ex eiusdem Plinii auctoritate satis liquet.

Unum heic ad Retinae intelligentiam afferemus. Ea nonnisi aliqua villa prope Herculaneum, vel eiusdem urbis pars esse quidem debebat. Vbinam ea fuerit, et utrum hodiernae Retinae respondeat, et utrum Retina ipsa pars Herculanensis portus, sub iudice lis est. Ibi quadriremes aderant: ob Vesuvianas conflagrationes locus hic haud dignosci potest. Vndenam vero Retina nomen desumpsit? Quidam ex nostris patriis scriptoribus, Retinam dictam autumant a navium retinaculis, quibus illae alligatae retinentur, ne fluctibus, aut vento huc illuc temere impellantur: seu potius retinaculum locus intelligitur, ubi proprie navium funes servantur.

fundamina illic iacerentur: in dubio vertebatur, utrum Herculaneum esset ibi sepultum, an in ea vicinitate. Hinc factum ut cum calidius ad effossionis opus pergeretur, illius temporis eruditi viri, quo nomine haec esset donanda, nescirent. Quidam Pompeios, alii Herculaneum, alii tandem Retinam esse dictitabant; quidam haud Pompeios urbem esse heic conditam asserebant, cum ipsa extitit olim ad Sarnum amnem, ubi hodiedum parum distat vicus vulgo dictus *la Torre dell' Annunziata.*

Portus Herculanensis sub Retinae nomine salutatus.

Recentiores eruditi, Herculaneum antea Retinam appellatam esse, et Romanae classis tutam fuisse stationem sunt arbitrati. Nam ipsi hunc olim locum firmissimum eiusdem classis portum fuisse censent, in quem saepe Romani confugiebant. Re sane vera Plinius lib. VI. ep. 16 verba facit de nautis, militibusque Romanae classis hoc modo: *Retinae classiarii imminente periculo exterriti (nam ea villa subiacebat, nec ulla nisi navibus fuga) ut se tanto discrimine eriperent, orabant.* Hunc Plinii locum quidam interpretes male audierunt: imo uti adnotavit Cl. Vetranius Prodomo Vesuv. pag. 119 tot interpetrationes accepit, quot sunt Vesuvii ipsius cineres. Inter ceteros, quos inter exorta pugna, adnumerantur Lamius, et Mecattus, qui ultro citroque non semel, sed millies seipsos literariis certaminibus dilacerarunt. Nam unus hanc villam Miseni, alter sub Vesuvii radicibus ponit: necnon Plinianum ita corrumpunt textum, ut ipsi illum diversimode interpetrentur. At nihil his obstantibus Cl. Martorellius Theca Calam. tom. II. pag. 586 hanc villam fuisse scribit sub Vesuvii pedes, ubi nunc etiam adsurgit, et eandem a quodam Paetino nomen usurpasse, cuius meminit Tullius ad Attic. lib. XIV. ep. 16 eumque virum Consularem, et divitem fuisse prodit, qui in Herculaneo opido plurimum vitae vixerat, nobilemque villam sibi construxerat. Ex ipso Tullii citato loco, hunc Paetinum Herculaneum apud, et etiam apud Puteolos, Cumasque villas habuisse dicitur. Hinc iuxta Martorellium Paetina fuit mutata in *Retinam*, et nunc *Resina* vocatur.

Haec hodiedum urbs reperta, a Latinis dictâ fuit Herculaneum (1), et a poetis urbs Herculea, et Salinae Herculeae. Hinc canit Columella lib. X. v. 135,

Quae dulcis Pompeia palus vicina salinis
Herculeis . . .

Hasce salinas extitisse creditur ante Vesuvianam primam conflagrationem, quae quidem (loci huius facie omnino immutata) iam submersae, et deperditae fuere. A Graecis vero Η'ρακλεῖον (2), Η'ρακλανον, et Η'ρουλανιον; ab Ita- nunc *Ercolano* appellatur.

Hanc vero urbem ab Hercule, de quo legesis inferne subiectam adnotationem (3), aedificatam fuisse an- Hercules urbis conditor.

---

(1) Haec urbs communi omnium vocabulo veteribus historiographis Herculaneum appellatur: verum enimvero inter centenos unus ex antiquis adest Florus lib. I. c. 8 qui hanc urbem *Heracleam* appellat. Pyrrhicum enim describens bellum, et de praelio Romanos inter, et Epirotarum Regem Herculaneum prope secuto sic tradit: *Apud Heracleam, et Campaniae fluvium Lirim, Laevino consule prima pugna, quae tam atrox fuit, ut Ferentanae turmae praefectus Obsidius invectus in regem turbaverit, coegeritque proiectis insignibus proelio excedere.* Ex quibus verbis sane coniicito, nullam esse posse urbem, nisi Herculaneum, quam auctor ponit in Campania: cum enim Florus Campaniam, et Lirim indicet, ea urbs profecto nulla alia esse potuit, quam ea, de qua heic nunc sermo. Ita etiam opinatur Salmasius in hunc auctoris locum.

(2) Martorellius Theca Calam. tom. II, pag. 566 hanc vocem Η'ρακλειῶν a Phoenicio derivat *Praegnans igne*, utpote fuerit urbs Vesuvium prope.

(3) Plures extitisse Hercules celebratissimos ex historicis compertum est, quosque a veteribus plurimis exornatos laudibus accepimus. At quinam horum urbem condiderit, sub iudice adhuc lis est. Iuvat heic interim pro re rata pauca adnotare, quo res aliquantulum patescat.

Omnium antiquissimus fuit Hercules Phoenicius, qui a quibusdam traditur fuisse ipsum, qui in Sacris Literis *Eschol* dicitur. Abraham enim cum hoc foedus pepigisse ex Genes. c. 14 liquet. Hic vero *Eschol* utpote magna praeditus virtute strenuus

te Troianum bellum narrant nonnulli. Is enim postquam tyrannos, vel latrones Hispaniam, atque Galliam infestantes subegit, viam per Alpes aperuit, et in Italiam descendit, ubi annum mansit. Eius classis post aliquod tempus tempestatum causa ad Sarnum amnem prope Vesuvii pedes restitit, ubi eo loci diis divitiarum ab hostibus ereptarum dimidiatam sacravit partem, dicavitque. Hinc Pompeios condidit urbem, ubi victorias celebravit, quo tempore Herculaneum aedificavit septem millia passuum a Pompeiis dissitum, quod accidit anno ante Christum natum MCCLVIII. iuxta quosdam chronologos.

At nos procul dubio sepultae urbis situm haud sciremus, nisi aliqua scriptorum auctoritas in medio produceretur. Pellegrinius Disc. II. paragr. 23 historici fisus auctoritate Sisennae apud Nonium Marcellum, ad verbum *Fluvia* legit, illam urbem sitam olim fuisse ad montem Vesuvium supra parvum collem ad maris altitudinem in-

---

dux ab antiquis aestimatur, ac propterea illorum temporum homines ut rerum ignari, hunc veluti semideum, atque tyrannorum destructorem coluere; atque inde verum cum fabula placuit immiscere. Postea hic (mutato nomine *Eschol* in *Herele*) tandem *Hercules* fuit vocatus.

Multa ipsum egisse ad unum omnes narrant scriptores: inter cetera cum Titanibus pugnasse prodit Diodorus Siculus lib. I. et hunc *Eschol* Titanum fuisse principem docet Eusebius Praepar. Evang. lib. IX c. 14 qui Amraphel Sennae Regem ab Abraham narrat superatum esse propter *Eschol*. Plura hic insuper Hercules gessit, quae Herculei labores dicuntur. Alios extitisse Hercules ex historia scimus; omnium celebrior est ille, de quo heic sermo. Plura si cupis, adeundus Baiardus in opere quod inscripsit: *Prodomo delle antichità d' Ercolano*; in hoc seriem per quam texuit longam auctor de cunctis Herculibus, qui olim extitere: attamen nihil quidpiam de Herculaneo, et Pompeiis verbum appinxit. Crediderim igitur, si hic auctor opus absolvisset, monumentum profecto suorum laborum posteritati memorandum relicturum. Praeter hunc si alia de Hercule quaeris, adis Venutum *Descrizione delle prime scoverte di Ercolano*, ubi recte coniicit, hunc Herculem fuisse eiusdem urbis conditorem.

ter duos fluvios Sarnum (1) scilicet, et Sebethum. Eu

(1) Alii locum hunc Sisennae ita legunt: *Sarnum inter, et Draconem.* Hinc quantoquidem ad Draconem venimus, haud abs re erit aliqua de eodem enucleare. Huiusce fluvii mentionem facit Procopius de bello Goth. lib. IV. c. 36. Cluerius Ital. antiq. lib. IV. c. 3 hunc fluvium nullum alium fuisse autumat, quam Sarnum ipsum: primum quod Procopius huius fontes ad Vesuvium ponit; secundo quod tradit fluere Nuceriam prope. Neque vero Pellegrinio est credendum, qui ut probet, Draconem extitisse, Archivii Trinitatis Cavensis auctoritatem affert Disc. II. par. 24 ubi de fluvio *Dracontio*, et *Draconcello* occurrit mentio. Neque etiam illorum auctoritati adstipulandum, qui asserunt hodiedum in subterraneis Vesuvium prope alveum extare, quemque aiunt nostra tempestate per mediam Turrim Octavam per subterraneas labi scatebras. Nec vero tandem illorum ducenda est opinio, qui asserunt ipsam Turrim Octavam nunc aquis quam maximis abundare, quae ex Vesuvio procedunt.

Cl. Vetranius in Sebethi Vind. c. 7 validis argumentis negare nititur ex Nolanae historiae Collectoris auctoritate, ubi scribit, hunc Vesuvianum Dracontium nunquam extitisse. Hinc arguit hunc fuisse eundem ac Sarnum, haud obstante Surrentini auctoritate in Hist. Vesuv. c. 21 qui hunc fluvium olim decurrisse probat.

Ad Vetranii nostri auctoritatem aliam addemus ex Remondinio depromptam, qui in Hist. Nol. lib. I. c. 19 falsam omnino esse scribit, Dracontium fluvium extitisse. Iuxta eundem hic fluvius idem est ac Sarnus, nec aliter intelligenda Procopii auctoritas: hic enim fluvius satis esset parvus, et brevis longitudinis: cum Graecus auctor illum magnum esse scribit, etsi iuxta alios, qui eiusdem cursum extendunt a Vesuvianis caveis, recto cursu ad Turrim usque Octavam fluitare dicatur. At concedamus Procopium hunc fluvium appellare Draconem, idque verum; id enim haud mirum, cum hic auctor Gothorum historiam eo elucubravit loco, ubi nostrorum locorum topographiam ignoravit.

Concludendum igitur, Dracontium esse ipsum ac Sarnum. Quod si quis fluvius in Turris Octavae subterraneis nunc temporis subterlabitur, is vel aliquis Sarni ipsius rivulus, vel alter ignoti nominis fluvius profecto est. Re sane vera eruditus Sianus in opere, quod nuper edidit, Memorie di Sarno pag. 30 et seqq. autumat, fluvium multis abhinc saeculis in his locis excurrisse sub nomine Draconis, vel Vescris, et hunc differentem ab Sar-

eiusdem verba: *Quod opidum tumulo excelso in loco prope mare parvis moenibus inter duos fluvios Sebethum, et Sarnum intra Vesuvium collocatos . . . . . transgressus flumen, quae secundum Herculaneum ad mare pertinebat.*

Vbinam urbs sita.

Haec vero urbs arcem habuit munitissimam in parvo maris promontorio, eiusque portus adeo tutus fuit, ut a ventis defenderetur horribilibus, et praesertim ab Africo. Hinc portus evasit celebris, ut narrat Halicarnassaeus ita scribens lib. XLIII. Λιμένας βεβαίους ἔχουσα, *tutum habens portum.* Cl. Winckelmannus lettre sur la decouverte d' Herculanum, Dresde, pag. 5 hanc urbem super idem promontorium fuisse arguit. Hinc prodit, assiduas Vesuvianas conflagrationes loci faciem vertisse, ac propterea mare ipsum eo loci multum fuisse elevatum, ut evenisse tradit in Hollandiae mari, ubi litus multum a mari erectum adspicitur.

Quaenam gentes urbem occuparint.

Sicut vero e Strabone lib V. ediscimus, primum ab Oscis, a Cumanis deinde, a Tyrrhenis, aliisque per orbem occupata fuit urbs diversis temporibus. Osci enim primum, uti quorundam opinio fert, eadem gens fuit, ac Opici, appellati etiam Ausones, et Aurunci, qui Italiae vetustissimae existimantur gentes. Osci vero per longam tempestatem Campaniam quondam occuparunt ad montem usque Vesuvium. Per alios vero auctores compertum habemus, plures post annos ab eiusdem urbis aedificatione, in Italiam quondam commigrasse gentem, Cumanos nempe ex Euboea insula derivatos, quae ut fera, et strenua Cumas petiit, illamque condiderunt urbem, et vicinas nationes belli iure subigentes, Herculaneum occupa-

---

no flumine fuisse, ipsumque deperditum ob assiduas Vesuvianas conflagrationes. Praefatus auctor Procopii auctoritate probat, Draconem originem ab Vesuvio habuisse, cum Sarnus a Saro monte deriyat a Vesuvio satis dissitus.

runt, quod opidum, ut e Strabone ediscimus, magnam ante defectionem fuerat passum.

Si autem Mantuano vati Æn. VII. v. 733 et seq. praestanda est fides, et seposita poetica narratione, Teleboae, sive quod Graeci fuerint, sive Phoenices, cum in Italiam pervenissent, Capreas insulam occuparunt. Illorum rex Telon iam senex nympham Sebethidem in matrimonium sibi conlocavit: ex his nuptiis ortus Oebalus, qui patre e vivis erepto, nec insula contentus, sua virtute alias bello gentes subegit. Idcirco cum leges ad pacatos ferret ipse populos, eiusque virtute et armis compulsi omnes illi gererent morem, propinquae ipsi se subiecerunt gentes, in cuius etiam potestatem cecidit Herculaneum. Ipse Oebalus adhuc vitam agebat, cum Troiani in Italiam adnavigarunt; quapropter cum Ænea eorum duce amicitiam constituit.

Incertum vero est quonam evenerit aevo, ut Herculanenses in Cumanorum transierint potestatem: haec enim gens multo fuit potentior, quam alia quae quidem sequiori aevo etiam in Romanorum pervenit dominium. Post Cumanos a Samnitibus Herculaneum fuit administratum, ante quos a Tyrrhenis occupabatur, qui Campania dominati sunt annis pluribus, et Samnites eorum finitimi post longum cum iisdem bellum gestum, et tandem defatigati, pace reddita statuerunt, ut Tyrrheni Campaniae illis cederent partem. At factum est ut Samnites cum iure belli eas occupassent regiones, suos prodiderint foederatos. Fama vero est, noctu post sollemne editum epulum et festum, quo tempore Tyrrheni Baccho, Venereque sepulti, en Samnites perfide in Tyrrhenos irruentes, et illorum facta internecione, Capuam, totamque occupasse Campaniam. Inde ex perfidia Campania per Samnites capta, et Herculaneo utpote urbe recte munita, novem post annos ab iisdem expugnato, eo usque sunt dominati, donec Romani rerum domini idem occuparunt. Hanc omnem enarrationem prodit Patavinus auctor lib. IV. c. 19.

Cumani, inde Samnites, hinc Tyrrheni, tandem Romani Herculaneum tenuerunt.

Ita Romani Herculaneo potiti fuere anno CXVIII. post Papirii Atratini, et Nautii Rutilii Consulatum anno

Quo anno Romani urbe potiuntur.

sexto post Samniticum bellum. Samnites tunc tendebant ad huius urbis moenia post Volanam, et Palumbinam cladem. Tunc Consul Corvilius de industria cum illis manus conseruit semel et iterum aequo Marte; tandem denuo cum iisdem congressus, ut in urbem confugerent, coegit.

Viri nobiles.

Capta interim a Romanis urbe, cum ipsius situs omnibus esset acceptus maris propinquitate, et Vesuvii amoenitate, iidem viri nobiles, divitesque heic domos villasque multo auri pondere aedificarunt. Florus ubi de Herculaneo, vicinisque opidis verba facit, haec tradit: *Omnium non modo Italiae, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga est . . . . hic nobiles portus . . . . hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, et pulcherrimus omnium Vesuvius, Ætnaei ignis imitator. Vrbes ad mare Formiae, Cumae, Puteoli, Neapolis, Herculanei, Pompeii etc.* lib. I. c. 16. Hinc ex historia accipimus, Marium, Caesarem, aliosque viros divites heic villas aedificasse. Seneca lib. III. c. 22 de Ira, verba facit de alia Caligulae Imperatoris domo, quam ille a fundamentis evertere propter eius matris memoriam iusserat, quae ibi olim Tiberii aevo captiva fuerat, quam domum satis pulchram, et delitiosam esse prodit.

Quo tempore accidit prima urbis ruina.

Prima vero huius urbis eversio accidit anno post natum Christum sexagesimo, et quarto Neronis, et vegesimo secundo, vel vigesimo tertio ante magnam Vesuvii conflagrationem, quae evenit secundo anno imperante Vespasiani filio: quo tempore motus terrae Campaniam, vicinasque urbes evertit. Is accidit Nonis Februariis. Pompeiorum urbs funditus est perdita hoc tempore, et Herculanei pars desedit, cum vix alia pars urbis stetit. Id omne ediscimus ex eodem Seneca lib. VI. c. 1 Quaest. Natur. *Pompeios celebrem Campaniae urbem, in quam ab altera parte Surrentinum, Stabianumque litus, ab altera Herculanense conveniunt; mareque ex aperto*

reductum amoeno situ cingit, desedisse terraemotu, vexatis quaecunque adiacebant, regionibus, audivimus . . . . . Nonis Februariis fuit hic motus, Regulo, et Virginio Coss. qui Campaniam nunquam securam huius mali . . . . Nam et Herculanensis opidi pars ruit, dubieque stant adhuc etiam, quae relicta sunt. Annos circiter XXII. vel XXIII. post motum terrae supra memoratum imperante Tito Flavio Vespasiani filio tota urbs Vesuvianis ruit flammis. Quo tempore Pompeii urbs paulo ante restaurata, et Herculaneum misere corruere.

Vtrum duo opida post conflagrationem fuerint cohabitata.

Postquam haec duo opida a prima Vesuviana conflagratione eversa sunt, et illorum cives sedem alio conlocandam statuerunt, haud amplius ea inhabitata fuere; crediderim vel ipsa ex aliqua parte, vel propinquas ipsis urbibus villas ab igne intactas restitisse. Hinc vicina loca, et vici adhuc post conflagrationem, et sequiori aevo etiam cohabitati fuere; ita etiam arbitratur Sanfelicius de Situ Camp. pag. 20 qui sic scribit: *Incendiorum iniuria versa sunt in vicos.* Re sane vera Florus loco ante citato, qui suam elucubravit historiam Hadriano imperante, et plures post annos Titiani aevi, harum urbium mentionem facit, cum scribit, easdem suo tempore adhuc extare, vel saltem propinquas adhuc villas esse habitatas. Herculanensium civium partem Neapolim aufugisse nos edocet vetustus lapis, quem infra afferemus, cuidam Munatio dicatus.

Hae igitur duae urbes post Titi aevum fuere duo bio procul rursus habitatae. Qui enim fieri poterat, ut illorum nobilissimorum opidorum tam cito memoria foret prorsus obliterata? Et ego in eam sententiam descendere haud dubitavi, cum eadem post Titi aetatem denuo fuerint nominata; et arbitror ipsa in ea prima conflagratione haud integra fuisse conlapsa, sed illorum partem adhuc extitisse sartam tectamque, aut saltem in parte reaedificata ab iisdem suis opidanis patriae amore captis. Hoc vero tam certum est, ut post Titum harum urbium saepius occurrat mentio, et praesertim Herculanei. Praeter

citatum Florum, aliorum etiam scriptorum adsunt auctoritates. Cl. Ignarra de Palaestra Neap. pag. 188 et seqq. procul dubio censet, hanc urbem post Titi tempestatem rursus habitatam. Qui quidem auctor alibi sentit, Pompeios praesertim quamvis emorientes usque ad Theodoricum fuisse regem, qui vixit saeculo quinto elabente ab Ecclesia Christiana condita. Vnum procul dubio, quod nostrum confirmat argumentum, est illud quod in huiusce urbis ruinis reperta identidem monumenta nonnulla, quae nonnisi post Titum spectant aetatem, quod magis probat Pompeios, et Herculaneum per aliam profecto extitisse tempestatem.

Verum his omnibus haud obstantibus argumentis, Iannellius Dissert. in Codicem Perottinum pag. 164 et seqq. probare nititur praefatas urbes penitus corruisse, nec amplius post illud fuisse tempus. Harum urbium tamen partem reaedificatam esse, opidanosque illas vicatim habitasse saltem probabile esse ait citatus auctor.

Statius lib. IV. car. 3 Silv. harum urbium ruinas commiserans, canit, Vesuvium montem flammarum globos e terra evellentem ad coelos, saxa immania sustulisse, earumque urbium fundamenta longe lateque dissipasse. Martialis qui floruit post Herculanei, aliorumque opidorum ruinas flens cecinit Epigr. lib. IV. 44.

Cuncta iacent flammis, et tristi mersa favilla,
Nec superi vellent hoc licuisse sibi.

Repertum fuit multis abhinc annis marmor, sed temporis colluvie vitiatum, quod olim Herculanenses in foro Tito Vespasiani filio dedicarant. Ex eo satis apparet, ipsum Imperatorem urbis partem e fundamentis restaurasse a flammis anni XLIII; et putandum temporis progressu alios reperiundos esse lapides, qui rem eandem confirment.

Colonia, et Municipium.

Iam supra narravimus, Samnites olim hac urbe fuisse dominatos, quousque Graeci non solum hanc, verum etiam et alias Campaniae urbes occuparunt. Quandoquidem Graiorum genus ex Chalcidensibus illis iisdem fuit,

qui Neapolim condiderant, et sequiori aevo Romani hanc quoque occuparunt, qnod quidem eo tempore evenisse arbitror. In hanc urbem Romani Coloniam deduxerunt. Adest inscriptio, sed haec potius ad regionem pertinet Herculanensem: cives enim eversa urbe in propinquam confugerunt Neapolim post primam Vesuvianam conflagrationem. Ex alio lapide a Reinesio Class. VII. num. 15 recitato Herculaneum Municipium fuisse constat. In hac insuper urbe magistratus Quinquennales, Duumviri, Demarchi, sacris officiis Epulones, et praecipue Augustales fuere, uti ex hoc patet marmore a Venuto allato, Storia d' Ercolano ediz. di Roma 1748 pag. 33.

(1) . . . . . O . D . LOCUM . AB . INCHOATO
. . . . VM . TECTORIS
AUGUSTALIBUS . DATUM .

---

(1) Miretur aliquis fortasse Herculaneum apud Graecum opidum plura Latiari sermone disiecta marmora fuisse? Et ratione quidem: sed mirari desinet, si advertere velit, hanc urbem Graecam ab antiqua tempestate Graiorum assuevisse sermoni. Mores inde, atque usus Graecorum instar fuere. Attamen et lapides nuper eruderati Latiaribus characteribus sculpti omnes asservantur, si nonnullos paucos excipias Graeco conflatos idiomate. Causam quidem Romanis tribuendam arbitror, qui iam a multo tempore ea urbe potiti, et eiusdem capti deliciis, heic frequentes sibi villas exstruxerunt. Hinc putarim Herculaneum paulatim Hellenismo defecisse, et praesertim sub eiusdem opidi eversionem, quo tempore lapides omnes Latiari scalptos sermone fuisse reperimus. Hinc ne miremur si tunc ita factum; quod et aliis vicinis Graecis urbibus evenisse ex historia compertum habemus. Hinc etiam paulo ante Titianam conflagrationem cives ipsos mutatis sponte sua Graecanicis institutis, et ipso sermone, Latiarem sensim usum usurpasse crediderim. Hinc quid mirum, si tunc plures lapides Latinis characteribus fuerint reperti? Verum quamvis papyri usque modo evolutae Graecae sint (quas quidem putarim scriptas ante hoc tempus, de quo heic sermo) attamen quis neget, alias in posterum evolvendas Latiari lingua, et cha-

Turris Octava. Antequam ad alia progrediamur, verbum unum appingere curae sit de vico, quem appellant Turrim Octavam, vulgo *la Torre del Greco*. Hic hodiedum est celeber non solum ob populi frequentiam (nam urbem potius appellem fas est ob aedificiorum magnificentiam, et accolarum commercium opportunissimum, quod exercent ultro citroque cum longinquis gentibus) verum etiam ob assiduas Vesuvianas conflagrationes, quae huiusce urbis solum ad LXXX. et amplius Neapolitanos palmos extulerunt. Locus hic nunc fruitur amoenissima loci, coelique clementia ob propinquum montem. In hoc vero fama est anno MCCCXLV. Reges Andegavenses quandam turrim aedificasse, unde pago nomen factum, ibique eremicolam quendam Graecum vinum, quod postea Graecum est vocatum, introduxisse; hoc etiam existimatum fuit a Ioanna I. Neapolitanorum Regina.

Hactenus de Herculanei origine, atque ortu.

CAPUT II.

De primis statuis Herculanei repertis: quando Carolus III. Borbonius urbem effodiendam curarit. Describitur Theatrum, Forum, Templa, Hypogaea, domus; aliae res eruderatae, et praesertim statuae.

Statuae repertae. Cum haec urbs in tenebris, atque in Vesuvianis olim arenis combusta delitesceret, cumque a viris eruditis avide de illa perquireretur; forte fortuna accidit, ut a quodam huiusce loci accola infelicis, miseraeque urbis rudera reperirentur. In ea enim opidi vicinia aliquot ex marmore statuae eruderatae fuere. Et anno MDCCVIII.

---

racteribus esse inscriptas? Paucis tamen abhinc annis papyros inter volumen Latinum fuit evolutum, quod poetae Varii a Virgilio, Horatioque memorati de bello Actiaco fragmentum continet.

cum quidam lapicidae aedium fundamenta apud Porticensem villam Elboviani Principis, vulgo *d' Elboeuf* Emmanuelis Mauritii de Lotharingia iacerent, fortunate ex aere statuas, numismata, aliaque id genus invenere, quae omnia (cum adhuc incerta res esset) ad Eugenium Imperatorem Vindobonam dono misit ipse Princeps.

Carolus III. ut urbs effoderetur praecipit.

Verum effossionis opus neglectum usque eo fuit, donec Carolus III. Borbonius Hispaniarum Rex tunc Neapolitanum administras regnum, ut toto conatu darent operam urbi effodiendae praecepit. Quod cum calidius pergeretur, accidit, ut lapicidae urbis solum ad quinquaginta quinque comperirent pedes, in cuius vertice Porticensis, et Retinensis vicus erat situs Vesuvium inter, et mare. At quo nomine urbs esset donanda, Herculaneum utrum, an Pompeii, eruditos inter magna exorta contentio. Verum pergente tempore factum est, ut et urbs Herculaneum esset, et non alia. Lapides enim, et statuae, aliaque opidum dubio procul Herculaneum esse indicabant. Inter cetera eruderatae fuere duae statuae equestres Marci Nonii patris, filiique, quas Herculanenses olim in foro ipsis dedicarant; subtus erat insculptum: *Marco Nonio Balbi filio Herculanenses P. P.* Praedicta signa homines repraesentant togatos super equum sedentes ex marmore scalptos, quae integra e terra extracta in Regiarum aedium quondam apud Porticum atrio adsurgebant, nunc in Neapolitano extant Museo Borbonio.

Theatrum.

Alia res spectatu digna est Theatrum adhuc integrum in subterraneis. Hoc enim sicut cetera a Graecis (1) con-

---

(1) Theatrum hoc Graecae instar artis architectonice conditum fuisse crediderim triplici ratione: primum, quia sedilia non sunt disiuncta a scalariis, ut apud Romanos, ac proinde sedilia ipsa sunt omnia eiusdem formae. Altera causa est, quia quo tempore hoc Theatrum est excavatum, magna lignorum strues in cinerem prope conversa ante orchestram fuit reperta, quae in

strui solita in hemicycli formam aedificatum, quasi media Amphitheatri pars fuit. Itaque eodem modo sedilia, scalaria, cunei, praecinctiones, vomitoria, de quibus omnibus iam diximus in Amphitheatro Campano, in Theatro etiam Herculanensi extiterunt. De sedilibus advertendum, in Theatro senatoribus non quemadmodum in Amphitheatro primos gradus, sed ipsam Theatri arenam ad spectandum attributam fuisse. Quae quidem mutato a Graecis nomine Orchestra, ἀπο τοῦ ὀρχεῖσθαι *a saltando* fuit appellata; cum ea certe a Graecis Theatri pars saltationibus esset destinata, ibique pantomimi, et histriones saltarent. In Theatro Herculanensi (1) adhuc visitur Pro-

---

Graecorum Theatro ad saltuum usum erat necessaria. Hic vero locus, ut alibi adnotavimus, Senatoribus, et Vestalibus erat destinatus. Tandem quia a Theatro Graeco non procul erant porticus, ut si exempli gratia ingrueret pluvia, statim populus locum haberet, quo se reciperet. Haec porticus prout adhuc apparet, in Herculanensi fuit triplici ordine, ut etiam apud Pompeios, cuius pars restat. Confersis Bulengerum de Theatro lib. 1. c. 19.

(1) Plerique ex nostris patriis scriptoribus haud intellexerunt Dionis textum, de quonam Theatro auctor scribit, utrum de Herculanensi, an de Pompeiano. Libro enim XXXIX. ubi verba facit de Herculanei, et Pompeiorum ruinis sub Vesuvianis flammis sic in Graeco legitur: Πόλεις δύο ὅλας τὸ, τέ Η'ρκοῦλανεον, καὶ τοὺς Πομπηοίυς, εν θέατρω τοῦ ὅμιλοῦ αυτῆς καθήμενου κατέχωσε; idest *Ambas urbes Herculaneum, et Pompeios populo illius sedente in Theatro, undique obruit.* Martorellius Theca Calam. tom. II. pag. 561 vocem αυτῆς referendam esse Theatro Herculanensi opinatur; si enim iuxta citatum Martorellium auctor Pompeianum retulisset, relativum ταυτῆς adhibuisset.

Miror heic interim Dionem scripsisse ambarum urbium cives, quo tempore Vesuvius conflagravit, in Theatro consedisse. Verum enimvero hoc credendum haud arbitror: nam si ita se res haberet, profecto in hisce Theatris Herculanensi nempe, et Pompeiano cadaverum compages omnium opidanorum, vel saltem perplurium fuissent eruderatae. Attamen ne unius quidem ossa inventa. Hinc autumo, Dionem heic prorsus in menda-

scenium, locus nempe porrectus ante scenam, in quo pulpitum erat excitatum, quo prodirent fabularum actores, eratque pulpitum scenam inter, et orchestram.

Hoc vero Theatrum non solum pretiosis marmoribus, statuis, columnisque fuit decoratum, verum etiam nobilissimis parietes picturis habuit depictos. Super vomitoria signa ex aere liquefacta ob ignitas materias a Vesuvio productas sunt reperta; et hodiedum Theatrum ipsum ruinosum restat in subterraneis villae Retinae. Huiusce Theatri vero auctorem quendam Mammianum Rufum fuisse ex lapide allato a Venuto didici Scov. d'Ercol. part. II. c. 2 qui Theatrum ab eo eruderatum fuisse narrat, in quo hoc fuit effossum marmor:

A . . . . . (1) MAMMI . . . . RUFUS . IIVIR . QUINQ .
THEATR . ORCH . . . . . .
DE . SUO .

in alio epistylio hisce characteribus hoc aliud:

L . ANNIUS . L . F . MAMMIANUS . RUFUS . IIVIR
QUINQ . THEATR . ORCHEST . DE . SUO
P . NUMISIUS . P . F . ARCH . HERC .

---

cium incidisse. Praeter haec in duobus usque modo effossis opidis vix paucae cadaverum compages repertae. Ex quibus concludendum opidanis tempus fugam arripiendi fuisse, et seipsos, suaque omnia, atque auri pondera secum abstulisse. Quin imo constat, quo tempore Pompeiorum domus eruderatae fuerunt, observatu dignum fuisse, profugos cives locupletiores paulo post excavasse domos, quo pretiosiora, si quae essent, secum alio transferrent.

(1) Iuvat heic adnotare, hunc Aulum Mammianum theatri huius conditorem fuisse, et Duumvirum Quinquennalem Herculanensem. Quamvis vero Campaniae urbes fere omnes fuere Graecae originis, et Atticorum moribus seipsas gubernarunt, tamen vigente Romano Imperio Romanam civitatem, et nonnullos servarunt usus antiquos. Ex Tullio enim liquet, magnam contentionem exortam fuisse inter Neapolitanos, et Herculanenses. Nam

Huius vero Theatri diametros LX. palmis Neapolitanis circiter fuit, cum haud integrum effossum fuit propter magnam cinerum, lapidumque quantitatem, quae ipsi supereminet. Theatrum ante quadriga aenea fuit collocata, quippe cum quaedam fuerint equorum aeneorum partes huc illuc comminutae repertae, et rota currus integra ex eodem metallo. Ante vero Theatri huius portas bigas alias fuisse olim, sive currus constat, quorum ruderum partes iam effossae; hasce inauratas fuisse apparet: et ex equis unus, cuius media reperta pars cum aliis eiusdem reliquiis; quae quondam omnia ex Vesuvianis lapidibus, atque igne consumpta, et discerpta visuntur. Equus hic cum sua quadriga fuit comminutus ab horrenda Vesuviana conflagratione. Ne vero pessum abirent tanti monumenti pretiosa rudera, ex his unus equus per plures comminutas partes in unum iterum conflatus, celebrium virorum cura in Regio Neapolitano Borbonio Museo stylobaten supra adservatur.

Fori descriptio. Postqnam de Herculanensi diximus Theatro, nunc ad alia veniemus aedificia publica, et privata. Primum occurrit urbis Forum, et duo templa ab eodem non procul: haec effossionis tempore integra reperta fuere. Parum a Theatro distans via restat lata quinque, vel sex habens pedes: ex utraque parte intercolumnio cincta, quasi porticum diceres. Ex his unum intercolumnium ad duo templa viam patefaciebat ab alia separata ad cuius extremum basis, supra quam statua extolleba-

---

hic de Iulia lege verba faciens, plures suarum legum libertatem patriam Romanae civitati praeposuisse tradit. Videsis laudatum auctorem Pro Balbo. Hinc factum, ut Duumviri Neapolitani, et Puteolani ex eo tempore Ἄρχοντες fuerint vocati ut antea. Reinesius apposite scribit: *Quos Duumviros* Ἄρχοντες, Στρατεγοὶ *repraesentabant coloniae consules.* Iidem Δημαρχοι fuere appellati ea ratione, quia Δημαρχεια fuit olim summus apud Neapolitanos magistratus, ut prodit Spartianus in Hadriani vita c. 3.

tur. Templa vero inter se parum distabant, atque propiora erant magno aedificio, quod apud quosdam χαλκίδικον, apud alios Forum audiit. Χαλκιδικον prout patet, locum fuisse videtur, ubi aera cudebantur, vulgo *Zecca*: vel aedificium, ubi haec eadem negotia ad nummos spectantia diiudicabantur. Quidam χαλκίδικον *atrium* interpetrantur, quo veteres utebantur, quo numinibus festos dies sacrarent. Alii illud fuisse privatum aedificium credunt, quod Caesar in sui parentis condidit honorem. At quomodocunque se res habet, illud pro certo est, tali fuisse nomine hunc locum donatum. Hoc aedificium quadratum fuit, pedes habens CCXXVIII. cuius interior pars a porticibus sustentabatur per columnas, in cuius muro sedes ad imagines fortasse fumosas accipiendas erant conformatae. Ex alia parte peristylium XLII. columnarum magnum circa atrium efformabat. Ad aditus cuiuscunque porticus magna aderat basis: ad extremitatem autem huius descripti aedificii sacellum videbatur, ad quod per gradus erat ascendendum. In basi vero tria ex marmore adsurgebant signa; in cuius medio Vespasiani Imperatoris, aliaque in sella curuli sedentia, et τὰ ἀκέφαλα fuisse apparet. Inter alia reperta fuere Augusti, Germanici, Neronis Drusi, Claudii, et Antoniae signa.

Ante diximus, templa propiora aedificio fuisse, cuius nunc usque mentionem fecimus. Haec duo templa quadrata fuere forma, eaque parva, unum altero latius erat, ad cuius portam currus adspiciebatur supra basim ex aere, cuius ob temporum longaevitatem vix reliquiae repertae. Sanctuarium, sive adytum ad templi extremam partem visebatur. Hoc templum pedes habet CL. in longitudine, LX. in latitudine. Alterum vero parvum portae unius introitum habebat (dum aliud duas habuit) duasque cameras, in quibus sacrificiorum utensilia servabantur, et in eius adyto numen colebatur. Quibusnam vero templa diis dicarint Herculanenses, nulla de hac re eruditi verba fecere, praeter unum quod Matri Deorum dicatum ex reperto lapide satis probatur. Hoc aliud pe- Templa.

des habebat in agro LX. in fronte XLII. Horum templorum interior pars columnis ordine Corinthio fulciebatur, et picturis parietes decorabantur, passimque inscriptiones legebantur. Circum vero eadem templa domus, quarum camerae picturis quoque erant exornatae, et quarum pavimenta ex marmore colore vario mixta fuere, et praecipue opere vermiculato, *a Mosaico*.

Hypogaea. Quum magis ac magis ad effossionis opus pergeretur (nam vetusta urbs non solum nunc temporis LXXX. palmis Neapolitanis sub terris existit, verum etiam quod magis laboriosum est, eius solum coopertum, et obductum durissimis adspicitur silicibus, qui olim ex Vesuvii visceribus ex igne ferrefacti eructati fuere) factum est, ut lapicidae ad murum quendam pervenerint basi ornatum, intra quem ingredientes sepulchrum cum urnis cinerariis passim, et praesertim unam adhuc cum cinere invenerunt; nomina mortuorum colore rubro supra quendam loculum erant scripta. Tota sepulchri area in fronte XII. in agro pedes extensa IX. et haud picturis, nec marmore decorata. Hoc procul dubio ad aliquam pertinuisse gentem liquet.

Domus. Non longe a sepulchro nonnullae viae in longum porrectae cum domibus pluribus eruderatae fuere, quarum marmoribus strata pavimenta differentibus coloribus erant. In omnibus fere cubiculis per orbem sedilia, sive gradus erant, mancipiorum ad usum, ut creditur, constructi. Quorundam cubilium parietes depicti asservabantur perbelle dispertitis coloribus: in hisce enim fere columnae, intercolumnia, agrorum, litorumque adspectus serta, volucres, gladiatorum luctae, deorumque historiolae vulgo dipictae erant. Pavimenta verò in quibusdam domibus nobilissima erant, eaque ad viros divites, et luxuriosos pertinuisse creditur. Vnaquaeque domus fenestras satis parvas in interiori parte habebat; hasque substratas onycibus lapidibus translucidis. In hisce tandem domibus quidquid ad vitae spectat necessitatem fuit repertum: nam et utensilia humanis usibus addicta, dolia liquori-

bus adhuc plena (ut ita dicam) ova, nuces, quarum extrinsecus cortex integer, fructus interne penitus exustus. His adde instrumenta ruralia permulta, cerusica, fabrilia, thecae calamariae adhuc cum atramento, pugillares ad scribendum apti, papyri permultae, lucernae cuiuscunque generis, et formae, vasa aenea ad culinam pertinentia, aliaque permillia id genus ad humanos usus comparata passim eruderata fuere.

Ex his hactenus descriptis, hoc opidum Campaniae Felicis haud ignobile fuisse satis liquet. Illius enim viae sunt amplae satis, e Vesuvianis silicibus stratae, et domus satis commodae, et mirandum in modum variis depictae coloribus; aliaeque res ad vitae necessitatem, et templa, et Theatrum suam magnificentiam profecto testantur.

Anno insuper MDCCLXXXIX. plura alia reperta pretiosa Herculanensis opidi rudera fuere, ut lapides, statuae, aliaque permulta, quorum quidem magna pars Theatrum condecorabat. Ex ceteris Augusti statuas togatas, Liviaeque, equorumque aeneorum ex quadriga supra memorata partes comminutas, ac plures alias statuas tunicatas ex aere repertas constat; Adhaec virorum, et foeminarum ex eodem metallo, alias ex marmore scalptas ad Theatri ornamentum olim positas fuisse fama est. Herculanenses vero non solum M. Nonio Balbo ob aliquod beneficium acceptum fortasse erant addicti; unde patri, filioque in Foro ex marmore statuas equestres supra memoratas dedicarunt; verum etiam ob maiorem beneficii memoriam Viciriae Balbi matri aliam erigendam curarunt. Imperatori Vespasiano etiam addicti cives fuere, puta ob urbem ab ipso restauratam a terraemotu ante Vesuvianam primam conflagrationem.

Inter alia Herculanensia marmora celebre est illud edictum, per quod fit certior populus de quorundam balneorum locatione:

IN . PRAEDIIS . IULIAE . S . P . F . FELICIS
LOCANTUR
BALNEUM . VENERIUM . ET . NONGENTUM . TABERNAE
PERGULAE
COENACULA . EX . IDIBUS . AUG . PRIMIS . IN . IDUS
AUG . SEXTAS
ANNOS . CONTINUOS . QUINQUE
S . Q . D . L . E . N . C .
A . SVETTIUM . VERUM . ÆDIL .

Quas literas sic interpetratur Winckelmannus: *Si quis dominam loci eius non cognoverit, adeat Svettium Verum Ædilem.*

Mitto innumeros lapides, aliasque res pretiosissimas. At de hisce interim omnibus quantum nobis lacrymandum! Vesuvianae conflagrationes pluries hanc urbem misero horrendoque fato e vivis eripuerunt, et quasi sub illius visceribus eandem sepeliere. De tanta rerum pulchritudine nihil aliud hodiedum superest, quam vix aliquo in loco pauca monumenta, cum Vesuvianus ignis omnia ad fatum adduxerit extremum.

CAPUT III.

De Academia Herculanensi, de statuis ex aere, de instrumentis culinariis, cerusicis, bellicis, et musicis, de numismatibus, papyris, et picturis in Museo Borbonio existentibus.

Academia Herculanensis.

Museum Herculanense est celeberrimum non solum Italiae, verum etiam fortassis Europae totius. Hoc quidem erectum fuit anno MDCCL. Carolo III. Borbonio Hispaniarum Regnante, postquam pretiosissima rerum omnium genera ex Herculaneo, Pompeis, Stabiis, aliisque urbibus excavata fuere. Horum omnium monumentorum descriptio, et explanatio doctos rerum antiquarum viros accivit, directumque fuit idem opus per ea tempora ab

Cl. Tanusio, qui Caroli III. Neapolitanorum tunc Regis iussu XVViros delegit omni praeditos eruditione, antiquorumque scriptorum lectione exercitatos, quo omne genus vetera monumenta in opidis effossa enuclearent. Horum vero omnium immensam Collectionem temporis progressu Ferdinandus I. eius filius Siciliarum Rex in unum corpus redegit, et in Museo Borbonio Neapoli erecto ponendam curavit.

Haud interim nostra interest singula isthaec monumenta describere, cum iam quidam docti homines vix eorundem catalogum exscribere potuerint. Nos raptim quaedam pretiosiora memorabimus. Statuae ex aere.

Primum omnium aeneae statuae tot ac tantae sunt in huius Musei aedibus, eaque mirandis figuris ita expressae, ut nihil supra dici possit. Prae ceteris Mercurius, Iupiter, duo luctatores, nonnulli gladiatores; Faunus ebrius, qui super vini utrem sedet, quidam Romani Consules ex eodem metallo, quinque saltatrices, plures hominum trunci, qui philosophi aliive antiquitatis esse viri existimantur. In aliis cameris adest magna ex argento, aereque vasorum copia; urnae sepulchrales, et vasa fictilia. Adhaec ara aenea cum sella curuli, et lectisternium cum pluribus ad sacrificia instrumentis comparatis. Adhaec plurima deorum parva simulacra, et amuleta ex privatis urbium domibus eruderata. Inter cetera Priapi, Veneris, aliorumque numinum figurae, quorum cultui addictissimi veteres fuere, et praecipue Herculanenses, qui hosce deos veluti patronos et tutelares coluere.

De instrumentis culinariis nihil est quod addam, quippe cum pleraque visantur, et illa recte efformata ad culinae usum, eaque diversis formis, variis figuris, variisque usibus ita aptata, ut antiquitatis curiosis res certe spectatu dignae sint. Quidquid vero ad victum est necessarium, heic etiam reperitur. Ex effossione inter cetera exstractus est panis rotunda forma, quamvis nunc semiustus, atque durefactus apparet. Quaedam panis forma ro- Instrumenta culinaria.

tunda, quae haud cocta conspicitur, et alius coctus, et semiustus. Ova adhuc integra, placenta ad illorum temporum usum. Visuntur etiam hami piscatorii fumo absumpti. Praeter haec omnia theca chirurgica cum suis instrumentis; plura vasa lacrymatoria ex vitro (1), variaque forma elaborata; et pleraeque aegrotophorae, et eiusdem materiae vasa, aliaque ex argilla. Amygdalae insuper, ficus, oleum exsiccatum, vinum eodem redactum modo, cuius nunc apparent in vasis vestigia: adhaec plures fructus, ut nuces, castaneae et cetera: granum (2) aliaque id genus.

---

(1) Pro re nata heic aliquid iuvet de vitrorum usu apud veteres appingere. At videndum utrum Pompeiani cives, et Herculanenses illud adhibuerint. Probabile est illis ipsis civibus vitrorum usum in more fuisse positum, cum inter alia effossa fuerint identidem ea, et praesertim anno MDCCLXXII. plura reperta sunt, eorumque singula Neapolitanum palmum non excedentia, et a nostris hodiernis parum differentia. Vtrum vero ea fenestris inservierint, et utrum ab antiquis huiusce rei species ad easdem adhibita, videsis quae sentit Carolus Fea in Adnotationibus epistolae Winckelmanni supra Herculaneum pag. 206 tomo III. Storia del Disegno, Roma 1784 et quae etiam adnotavit Cl. Ancora, Storia di Pompei pag. 39.

Vitri vero usus ante Augusti aevum erat prorsus ignotus, et a veteribus ad fenestras adhibita fuere specularia, quae alia non fuerunt, quam subtilissimi lapides, qui lumen in cubiculum admittebant, quibus ab antiquis obducebantur fenestrae ad lumen immittendum, et ad ventos arcendos. Plinius epist. lib. II. 17 de iis sermonem ita instituit: *Coenationes sunt egregium adversus tempestates receptaculum: nam specularibus, ac multo magis imminentibus tectis muniuntur.* Temporis progressu, et sequiori aevo vitrorum usus ad fenestras non solum, sed ad alios usus transivit varios, et ad plura invaluit genera.

(2) Granum, et fructus semiusti, qui in Regii Musei asservantur thecis, sunt sane fructibus hodiernis, et communibus grandiori forma. Rem num mirandam lectori sapienti propono? fructus ne grandiores, quam sunt nostra tempestate? Profecto lector erudite, rem tibi novam, quin curiosam ante tuos oculos

In aliis vero Musei aedibus musica instrumenta visuntur, uti tibia, instrumentum nempe oblongum, ac

Instrumenta musica.

---

animadvertendam propono, et ausim affirmare extra nullam dubitationis aleam, fructus Herculanensis Musei tales esse. At dices, fructus, et frumentum ipsum numne immutatum? ad quod respondendum ad singula per summa capita cum eruditissimo Mazochio, qui in Spicileg. Bibl. tom. I. pag. 190 Diatribam satis eruditam elucubravit de Gigantibus ad Genes. c. 4 et in parte III. ubi *an et brutorum animantium per eosdem gradus corpora diminuta videantur*? sapientissime respondet Cl. auctor, singula esse diminuta prout hominum genus, et mundi aetas senescit, sive de animantibus rationabilibus, sive irrationabilibus sermo est. A diluvii enim tempestate ad nostram usque aetatem sicuti mundus inveterascit, ita et alia cuncta. Et sicuti tunc temporis homines praegrandis fuere staturae, ad quos alendos profecto singula humanae vitae rationi comparata ea forma grandiori esse debuerunt, ita ut ad alendos similes Erisichthones, talia esse debuerint. En ut loquitur pag. 196. *Olerum, pomorum, glandium, seminumque vires ante diluvium erant eiusmodi. At post diluvium eadem omnia defecta viribus primitivis, cum satis ad alendos mortales non viderentur* κατα συγκατάβαστιν (*per indulgentiam*) *Creator postea mortalibus etiam pecudum aviumque usum, antea illicitum, fuit elargitus. Nec mihi dubium est, quin stirpes, poma, fruges ante diluvium excelsiora, post diluvianis ampliora extiterint.* Ex quibus verbis satis coniectatur, humanam naturam rationabilem, et irrationabilem esse mutatam ex diluvii tempore ad nostram usque fere aetatem. Possem infinitis vetustorum scriptorum id testimoniis ostendere. Laudatus Mazochius in citata Diatriba de Gig. mascula eruditione omnes antiquos affert auctores, ex quibus coniicit, homines esse omnino diminutos, praecipue a Romanorum aevo. Vnam huius auctoritatem adducendam arbitror ex Vegetio desumptam, ad quam aliam meam ex vetustis depromam sepulchretis. En ut ille reapse lib. I. c. 5 ait: *Proceritatem tironum a Consule Mario scio semper exactam, ita ut senos pedes, vel certe quinos, et denas uncias habentes inter alares equites, vel in primis legionum cohortibus probarentur.* Apud Solinum vero legitur, fuisse homines septem pedum, qui Herculis potius staturam imitarentur: *Plerosque definire, nullum posse excedere longitudinem pedum septem, quod intra mensuram istam Hercules fuerit.* Vnde hominem septipedem pro

teres, quod inflatum, et digitis modo adductis, modo reductis temperatum, gratiosam veluti symphoniam effi-

---

maximo dicebant, quod mensura isthaec longissimi hominis esse crederetur. Vide igitur quoad altitudinis staturam veteres recentibus hominibus quam superiores fuerint, et praecipue milites Legesis Suetonium in Nerone c. 19 qui sibi tironum senum pedum legionem paravit, quam Magni Alexandri appellavit.

Subiungit inde Cl. Mazochius loco citato: *Ex Vegetio constat sub Caesaribus tironum vulgarem statum sex pedes fuisse, eamque staturam ad palum (quem quidem Incumam, sive Incomam vocabant) . . . . Atqui sex pedes Romani ab octo palmis hodiernis Neapolitanis minimum distat: vide hinc quanto iis, qui nunc procerissimi habentur (qui quidem perraro septem palmos Neapolitanos aequant) inferiores Romanis militibus deprehenduntur. Hi adhuc tirones octipalmares (totidem enim palmos seni pedes Romani, ut dictum efficiunt) esse debebant, ac deinde poterant altius a tirocinio adsurgere: ac hodie pene prodigio habetur, si quis forte septimum palmum expleat.* Consulsis accuratius Vegetium in hunc locum ante citatum, eiusque adnotatorem eruditum Stevechium.

Ex his Cl. Mazochii verbis quisnam claro non perspicit coelo, quantum hominum antiquorum altiorem fuisse staturam, et quantum ab hodiernis differentem? Tamen his haud obstantibus, in diversam omnino sententiam it Cl. Ancora, qui in peculiari erudita Diatriba de Gigantibus, eorum historia, et natura, quae Collectaneis Actibus Societatis Italae Veronae typis edita reperitur tomo VI. pag. 371 et seqq. solidis argumentis contrarium probare nititur, homines semper eadem fuisse statura.

Vnum addendum restat, quod spectat nempe ad antiquorum sepulchreta. In hisce enim praeterquam quod non solum repertae fuere hominum compages grandiori communi hodierna statura; verum etiam quod mirum est, sepulchrorum loculi in quibusdam locis eruderati fuere grandiori forma, ut nunc sunt ipsimet homines. His omnibus addendum, fuisse reperta ossa tam grandia, ut minime ad humanam retulerint staturam auctores, sed potius ad quaedam animantia nobis prorsus incognita: praetereo hominum infinitorum compages, quae quondam effossae fuere in pluribus mundi regionibus, et praecipue in Siberia, quae profecto minime ad Romanorum historiam, aevumque spectant, sed po-

ciebat. Sistra alia instrumenta, aenea nempe crepitacula quibus Ægyptii sacerdotes in Isidis sacris uti solebant. Crotala vero crepitacula, quibus etiam Ægyptii in deorum caeremoniis utebantur, in quibus duo ossicula ad sonum ciendum collidebantur. Quidam autem existimant annulum ex aere fuisse factum, qui ferreo percuteretur baculo ad fistulae sonum reddendum. Alia instrumenta ad veterum usum addicta adservantur, quae ne in longum progrediamur, praetermittimus. Adhaec plura alia ex aere, argento, aliave materia conflata; bellica, uti galeae, scuta, parmae, enses, vectes, mallei, clavi, aliaque permillia domestica variorum generum, ne dicam ad ravim usque.

De numismatibus dicendum modo est: ea ex auro, argento, ex aere cusa servantur, et ad priscum Romanorum, et variorum Caesarum aevum pertinuisse apparet. Ipsorum quaedam ad Imperatorem Vitellium, alia ad Titum pertinent: unum inter cetera ad Vespasianum post Ierosolymae eversionem cusum; ex una parte legitur *Vespas. Imper*; ex postica stat foemina quaedam sedens passis capillis, quae patriae deflet ruinam hisce characteribus: *Iudaea capta.* Paucis vero abhinc annis, nempe MDCCCXII. CCC. et amplius nummi ex aere reperti fuere, qui omnes ad ipsum spectant Vespasianum Imperatorem in quorum pluribus ex postica legitur parte *Ex S. C. ob cives servatos*: nam Imperator cum ur- Numismata.

---

tius ad tempora ante diluvium. Tandem me vidisse memini in Regio hoc Borbonio Museo cuiusdam foeminae caput, et pectoris partem fato ereptae in prima Vesuviana conflagratione, ex quibus satis magnam fuisse arguitur. Vbi vide quaeso iam a Titiano aevo ad nostram usque aetatem esse dubio procul imminutum humanum genus,

Ex his usque dictis patet, antiquos apud Graios, Romanosque fuisse altiores ceteris recentibus hominibus, ac proinde cuncta ad ipsos sustinendos fuisse grandiori forma, quam nunc sunt,

bem motu terrae conlapsam restituisset, hinc opidani in eius grati animi memoriam ea numismata excudenda curarunt. Sunt et alia ad Augusti tempora pertinentia. Plura insuper sigilla, quae vulgo *Camei* dicuntur, annuli aurei, argentei, inaures eodem metallo, perplures gemmae figuris caelatae.

Papyri. Veniam nunc ad Papyros apud Herculaneum repertas (1), quae profecto magnae sunt spei eruditis viris. Hae autem Graecos continent characteres, sed hodiedum adeo sunt igne consumptae, et a tempore deformatae, ut aegre post longas laborum elucubrationes a viris Herculanensis Academiae ad id destinatis, et apprime Graecum sermonem callentibus, plura variorum auctorum scripta versa in Latiarem sermonem fuerint.

Picturae Pompeianae sunt infinitae, quae domorum parietes condecorabant: harum nonnullae fuerunt sartae

---

(1) Haec insignia monumenta eruderata fuere in Herculanei ruinis sub hortis Augustinianis villae Retinensis ad MDCCC. circiter in cuiusdam domus cubiculo, ubi praeter repertas papyros, Epicuri statua, et celebrium Epicureorum imagines effossae fuere: unde recte putandum hanc domum, et bibliothecam ipsam ad Herculanensem civem quendam ignoti nominis Epicuri sectatorem pertinuisse.

Huiusmodi papyri carbonis faciem praeseferunt ab igne semiustae, terete figura, et bacillo convolutae. Harum evolvendi modus est satis difficilis, ac inde adhuc non amplius, quam nonnullae evolutae fuere. Primus est Philodemi Sophistae, ac poetae liber, cuius meminit Tullius: *Φιλόδημου περὶ τῆς Μοῦσικης.* De hac Philodemi papyro reperta agit Martorellius Theca Calam. tom. I. in Additamentis pag. XXIX. et seqq. Altera papyrus evoluta, et typis Regiis edita est *Περὶ τῆς Ρητορικῆς*: tertia edita anno MDCCCX. *Επικουρου περὶ τῆς Φυσέος*, *de Natura.* Quarta papyrus est, quae Rabirii, vel Varii, ut creditur, celebris Latini poetae a Seneca memoratide Bello Actiaco fragmentum continet. Perplures tandem alii libelli evoluti superioribus annis fuere, ad alios auctores pertinentes. Si plura cupis de papyris existentibus in Regio Museo Borbonio, earumque historia, et de modo easdem evolvendi, adeundus Cl. Iorius in opere, quod nuperrime elucubravit Italico sermone: *Officina de' Papiri del Real Museo.*

atque integrae ab ipsis parietibus ablatae, et Neapolim ductae, et nunc in Regio Museo visuntur.

In quadam ex hisce tabulis repraesentatur Theseus Minotaurum superans. Haec Theseum ostendit stantem, et nudum, cuius vestis ex humeris ad brachium descendit laevum. Ante illum iuvenes Athenienses manus basiantes flexo poplite ipsum adorant. Minotaurus vero significatur per hominem tauri caput habentem, qui ad eius genua provolutus adest. Adhaec visitur foemina supra nubes pharetram habens, quam quidam Dianam esse arbitrantur. Alia tabula Herculem infantulum in cunabulis repraesentat, qui serpentes strangulat a Iunone missos ad illum interimendum. Hinc Iupiter ex alto supra thronum stupefactus sedet, et infantis victoriam admiratur. Huiusce tabulae fortasse mentionem facit Plinius Hist. Natur. lib. XXXV. c. 9. Theseu tabula, et Herculis infantis.

Alia tabula Orestem, uti creditur, et Pyladem captivos repraesentat, qui a Toantis Regis milite ante Dianae statuam perducuntur: dea supra aram adest, supra quam adspicitur patera, et praefericulum. Iphygenia stat ex alia tabulae parte, a qua non procul duo adsunt cum instrumentis ad sacrificia comparata. Orestes, et Pylades.

In alia Telephus a lupa ablactatus adspicitur cum Hercule parente, retro quem Dea Flora adest, et Pan huiusce pueruli tutelare numen. Duae Ariadnae tabulae historiam praeseferunt: harum prima repraesentat ipsam a somno excitatam; et a Theseo relictam in insula Naxo super litus, quae mare contemplatur, Theseumque fugientem deflet. In altera tabula visitur eadem super lectum cubans: mulier quae Fama creditur, humerum leviter tangit, illique navem in mari demonstrat. Ad eiusdem Ariadnae latus est Veneris puer, qui arcum pharetramque iacit. Alia tabula Bacchum adhuc puerum commonstrat a Sileno sene educatum, qui ipsum evehit ad uvae racemum: prope vitem Driades adstant cum Faunis. Telephus, Ariadna, et Bacchus puer.

Plures visuntur in aliis cubiculis tabulae, viros antiquitatis celebres repraesentantes: inter alios Orestes so- Aliae tabulae.

rorem Iphigeniam in Tauride, et Theseus Ippodamiam Pyrithoi uxorem liberantes. In alia adspicitur Alcmena maxime agitata, dum e coelo Iupiter herois gesta prospectat. Aliae depictae adservantur tabulae in Regio Museo ad nonnullos alios antiquitatis homines pertinentes; et hae quidem variis formis elaboratae diversa continent argumenta. Adhaec illarum pleraeque marium, litorum, agrorumque prospectus, sive quod ad veterem architecturam, sive quod ad alias res curiosas, antiquosque mores attinet, continent. Quae singula huc usque descripta infinita prope sunt, eaque cuiuscunque Musei celebritatem, et magnificentiam superant. Alia plura lectoris ob oculos proposuissem, si singulorum meminissem monumentorum, et praesertim Herculanensis Collectionis a viris eruditis elucubratae, quae pluribus abhinc annis Neapoli typis Regiis fuit edita.

Quid de antiquorum picturis, deque illorum usu iudicandum.

Antequam hinc abeamus, heic pauca de antiquorum picturis, et de illarum usu appingere curae sit. Omnes Herculanenses, Pompeianaeque tabulae, quae usque modo ex Vesuvii visceribus erutae fuere, nihil aliud continent, si paucas e medio tollamus, quam marium, portuum, domorum, urbium, et camporum adspectus; hinc a Romanis, et non a Graecis eas tabulas depictas fuisse crediderim; apud Graios enim in pingendo in more fuit positum, ut Deorum, vel celebrium virorum imagines potius repraesentarent. Adhaec dicendum in parietibus pingendi usum ante harum urbium conflagrationem fuisse satis recentem. Nam ex Plinii auctoritate Hist. Nat. lib. XXXV. c. 10 compertum habemus, hunc usum supra parietem pingendi a quodam Ludio, qui vixit Augusti aevo fuisse excogitatum. Hinc puta eas tabulas, quae eruderatae fuere, esse satis nuperas ante conflagrationem, cum hic usus paucis abhinc annis fuerat repertus, posteaque undique evulgatus. Hoc vero quod diximus, de Romanis tantum accipiendum, secus de Graiis, qui iam pluribus abhinc saeculis pingendi arte maxima pollebant. Eadem pictura satis a sculptura differebat, in quo

quidem genere satis eximii evaserant veteres. Hinc est ut praeclara artis opera saepenumero in ipsis opidis passim sint effossa, cum sculpturae ars eo tempore ad maximum perfectionis apicem fuerit evecta. At procul dubio differebant statuae marmoreae ab aeneis, cum primae maxima arte fuerint scalptae: aenearum iam usus, atque ars delabi incipiebat. Hinc e Plinio ibidem signorum aeneorum artem Nerone imperante elabi coepisse addiscimus. Hinc puta, omnes statuas ex aere repertas in praefatis urbibus fusas forsitan paulo ante conflagrationem haud comparandas cum aliis anterioris aevi.

CAPUT IV.

Quinam Pompeiorum conditor, incolae diversi; quando urbs eversa. Eiusdem portus; Municipium, et Colonia. Describitur Mammiae sepulchrum, antiqua aedificia, templum Isidis, Theatra, Amphitheatrum, et Forum. Arrii Diomedis domus, et pagus Augusti Felicis.

Postquam de urbe Herculaneo satis verba fecimus, et Regium descripsimus Museum, de Pompeiis (1) nunc sermonem instituemus; quae urbs haud procul a descripta abfuit, quacum communem eruditi habuisse sentiunt

Quinam urbis conditor.

(1) Haec urbs a Graecis dicta fuit Πομπαία, et Πομπηϊοῖ. Martorellius quantum Vir in Hebraeo, et Graeco idiomate eximius, tantum novorum excogitator vocabulorum, hanc, ut mos eius est urbium etymon nunc ex Hebraea, nunc e Phoenicia lingua derivandi, arguit, a Phoenicio ortum habuisse nomen, et *os flammae* significasse, utpote urbs aedificata fuerit super vulcanicas materias. Ignarra de Phratr. Neapol. c. 10 dictam fuisse autumat primitus Βομβεῖς, nempe a Vesuvianis *mugitibus*, qui Titianam ante conflagrationem hisce in locis identidem audiebantur.

originem. Pelasgos, et Oscos eandem possedisse, et Herculem Phoenicium fundasse tradit Strabo lib. V. Geogr. quod confirmat Solinus Polysth. c. 10. Oscis successere Ausones: inde Graii sub Ippocle Cumano Campania dominati fuere; et Pompeii, et Herculaneum in eorum pervenit manus. Inde Etrusci, postea Samnites; hinc temporis progressu Romani eas urbes possederunt. Secundo Punico bello Carthaginensium partes urbs est secuta, et Socialis belli tempore a Romanis defecit; post id temporis Municipium, et inde Colonia militaris evasit.

Haec urbs motu terrae desedit anno post Christum natum LX. sed postea flagrante Vesevo anno LXXIX. flammarum globis ab igne tota fuit solo aequata. Huius urbis situs per plura saecula fuit penitus ignotus, quippe quod cineres lapidesque loci faciem everterant, sed circa saeculum XVI. iam paulatim e terrae visceribus effodiebatur, et iam ab Alphonsi primi Aragonii Neapolitanorum Regis temporibus ea satis agnoscebatur in eo loco, cui nomen *Civitas*, ubi plura rudera excavata saepe fuerunt, et tandem regnante Carolo III. Borbonio circa annum MDCCL. fuit detecta.

Materiarum (1) vulcanicarum imber e coelo in hanc miseram urbem repente cecidit: hinc adhuc in domorum eruderatione virorum, et mulierum compages cum monilibus, armillis intactae sunt repertae. Ea conflagratio accidit anno LXXIX. ut diximus post Christum Kalendis Septembris Tito Vespasiani filio imperante. Vesuvianas ignitas materias in utrumque opidum ex improviso irruisse, ac media montis voragine tantas evomuisse flammas constat, ut ad Ægyptum usque cineres pervenerint. Hinc Sanfelicius ita scribit de hac urbe, pag. 20 de Situ

(1) Materia quae Pompeios evertit, cinis et parvus pumex fuit. Hoc probatur ex Plinio lib. VI. ep. 16, ut adhuc nunc videre est ex ea materia, quae urbem opplevit, et ex cinere, pumicibusque, qui domibus, et aedificiis superemminent.

Camp. *Late vagantes ignes silvas, arbusta, casas, aedes, et quidquid fuit obvium absumpserunt, liquatis quoque saxis, quae instar ferreae spumae miserabilem illam testantur calamitatem. Haustum eo incendio Herculaneum; Pompeianos vero in scenicorum ludorum spectaculo considentes repentinus lapidum casus sepelivit, uniusque Theatri cavea facta est civitatis totius urna.*

Strabo lib. V. Geogr. narrat Pompeios urbem navalem fuisse communem Nolae, Nuceriae, et Acerris, eamque urbem duos habuisse portus tradit. Ea insuper a Tacito Annal. lib. XV. c. 15 et a Seneca Quaest. Natur. lib. VI. c. 1. *Celebre Campaniae opidum* appellatur. Hinc scribit idem: *Pompeios celebrem Campaniae urbem, in quam ab altera parte Surrentinum, Stabianumque litus, ab altera Herculanense conveniunt, mareque ex aperto conductum amoeno situ cingit, desedisse terraemotu, vexatis quaecunque adiacebant, regionibus.* Ipsa ad Sarnum fluvium, et portum a ventis munitissimum commercio oppurtinissimo cum vicinis opidis ultro citroque habito celebris evasit per ea tempora. Ad huius urbis portum Publium Cornelium classem advexisse quondam tradit Patavinus auctor lib. IX. c. 38. Hodiedum Pompeiani ipsius portus nullum restat vestigium: assiduae conflagrationes, et terraemotus loci faciem verterunt. Portus.

Vrbs posteà nobilis fuit Romanorum aevo non solum ob maris opportunum commercium, verum etiam ob eorundem divitum villas aedificatas maximo sumptu, ut illa Tullii memorata ab eodem lib. VII. ep. 3 His superadde agrorum fertilissimorum vicinitatem non procul a Vesuvio, qui mons adeo campos nobilitavit, ut postea vina Pompeiana, caepas, fructus, aliasque res passim veteres commendarint auctores.

Ex Velleio Paterculo Hist. lib. II. c. 16. Munatium Magium Asculanensem eius atavum, et L. Cornelium Syllam Lucii nepotem belli Socialis tempore, quod Municipium, et Colonia.

accidit anno V. C. DCLXV. et ante Christum LXXXIX. eam urbem, aeque atque Herculaneum cum Tito Didio occupasse compertum habemus. Temporis progressu Municipium effectum esse ex Vitruvio lib. II. c. 16 et ex Plinio Hist. Natur. lib. II. c. 52 ediscimus. Hinc Triumviri, Censores, Ædiles, Quaestores, Senatus-consultum, populique ibi collegia fuere. Ad hunc usque statum ea urbs florentissime stetit. Colonia enim CLXVII. annos fuit; post quod tempus fuit eversa. Decimo vero Neronis anno desedit ex motu terrae, et decem novem post annos dum haec raedificaretur, penitus fuit submersa a Vesuviana prima conflagratione, imperante Tito.

Hac nostra tempestate nihil prorsus mirabilius esse potest (dum adhuc oculis illa conspiciuntur aedificia, quae abhinc amplius septem et decem saeculis erecta fuere) quam illas ambulare vias, eas ingredi domos, atque templa, quae alias a viris totius orbis dominis saepissime perspiciebantur. Mens humana profecto hoc maximum orbis spectaculum animadvertendo extollitur. In ipsa vero urbe omnia, quae humanae vitae sunt necessaria, effossa et reperta sunt. Vesuviana enim conflagratio superiores aedificiorum partes ruit; inferiores vero adhuc sartae tectaeque conspectantur. Cum autem illius quamque partem descriptam audimus, hanc urbem fortasse adhuc existere cum ipsis civibus arbitramur.

Mammiae sepulchrum.

Anno MDCCL. patefacta est via, quae ad portam ducebat urbis; cuius viae ex ipsis Vesuvii silicibus sunt stratae, quae ab indigenis *lave* appellitantur. Ædificiorum parietes sunt materiae minutatim cum calce, et arena opere laterico conditae. Antequam urbem ingrederis, ad dexteram illius portam (1) sepulchrum Mammiae Sa-

(1) Vrbis porta ex eo, quod apparet, haud magnificentiam ostendit, et potius urbem parvam esse videtur. Intra illam adsunt domus hinc inde recte dispositae; circa quas gradus sunt, supra quos ii incedebant, quibus commodum haud esset vehi e-

cerdotis publicae adspicitur, quod nihil magnificentiae praesefert. Hoc quadratum est: superior vero pars est rotunda. Visuntur adhuc loculi ad immittenda vasa cineraria, quorum unus aliis maior est Mammiae fortasse destinatus. In circumferentia magnae olim aderant personae ex creta conflatae; in sedilibus semicircularibus legitur:

MAMMIAE . P . F . SACERDOTI . PUBLICAE
LOCUS . SEPULTURAE . DATUS
DECURIONUM . DECRETO .

Ad huius sedilis pedes prostat hoc aliud marmor, quod soli mensuram ex ipso Decurionum decreto occupare debebat.

M . PORCI . F .
M . F . EX . DEC . DECUR .
M . IN . FRONTE
PEDES . XXV .
IN . AGRUM . PED . XXV .

Prope urbis portam est domus ruralis, secus quam pluribus columnis manet atrium exornatum. Generatim loquendo illorum temporum domus (1) paryae, atque humiles fuerunt, quarum pavimenta opere vermiculato *a Mosaico* erant conflata, atque tam belle connexa, ut adhuc ex illis reperiantur pulcherrima. Omnia illarum cubicula, atque interiores parietes saepenumero etiam externis figuris ex marmorato, scilicet *a stucco* pingebantur, aut colore rubro, aut flavo. Quaenam vero illarum forma, quibusque constabant eaedem partibus, videsis An- Urbis domus.

quis, vel curribus. Rotarum vestigia adhuc supersunt supra eosdem Vesuvianos silices instar Appiae viae constratos.

(1) Singulae huius urbis domus usque modo eruderatae fenestris profecto carent ex parte externa, quae publicam spectant viam. Earundem domorum camerae introrsum unam habent fenestram in superiore parietis parte.

tiquitatum Romanarum scriptores, qui illas describunt. Supra viam, qua recte itur ad civitatis portam, domus, et aedificia adsunt ex utroque latere disposita, in quibus erant officinae, atque tabernae ad opidanorum diversos usus, et ubi vendebatur quidquid illis foret necesse. Inter alias adspicitur una, et supra ipsius podium marmore stratum conspiciuntur adhuc scyphorum effigies. Hanc recte termopolium dicas, tabernam scilicet, ubi fortasse dulces, calidaeque venundabantur potiones.

Edicta. At profecto inter alia, quae admirationem advenientibus movent, sunt ii characteres, qui in plurimis privatarum aedium parietibus secus viam eruderati fuere, quibusque rubro colore edicta opidanis quaedam enuntiabantur. Primum occurrit edictum, quo populus Pompeianus fit certior, familiam gladiatoriam Numerii Popidii Rufi IV. Kal. Novemb. venationem edidisse Pompeiis, et XII. Kal. Maii vela in Theatro fuisse;

N . POPIDII . RUFI
FAM . GLAD . IV . KAL . NOV . POMPEIIS
VENATIONE . ET . XII . KAL . MAII
MALA . ET . VELA . ERUNT
O . PROCURATOR . FELICITAS .

Ex alio ediscimus, hunc ipsum Popidium Rufum colonorum Pompeiorum defensorem esse titulo invictum:

POPIDIO . RUFO . INVICTO . MUNIF .
R . III . DEFENSORIBUS . COLONORUM
FELICITER .

Re sane vera id clarius probatur ex illo Tullii pro Sulla num. 21 ubi huiusce Coloniae Pompeianae occurrit mentio. Frontinus vero haud hanc memorat Coloniam, quippe quae suo aevo non amplius existebat. Ex alio tandem edicto (ut alia plura praeteream) scimus, Valentem Flaminem perpetuum Neronis Augusti Felicis V. Kal. venationem, et vela in Theatro editurum:

VALENTIS . FLAMINIS . NERONIS . AUG . F . PERPETUI
D . LUCRETII . VALENTIS . FILII
IV . KAL . APRIL . VENATIO . ET . VELA . ERUNT .
P . COLONIA .

Isidis templum fuit in media urbe; illud est adhuc rerum Pompeianarum pulcherrimum, atque venerandum monumentum. Ab Alexandrinis, qui cum Pompeianis ex longinquis regionibus negotiatum advectabant, erectum fuisse fama est. Ex quodam lapide, templum fortasse restauratum fuisse post terraemotum anni LXIII. a Christi ortu a Numerio Popidio Celsino constat: Isidis templum.

N . POPIDIUS . N . F . CELSINUS
ÆDEM . ISIDIS . TERRAEMOTU . CONLAPSUM
A . FUNDAMENTO . P . S . RESTITUIT
HUNC . DECURIONES . OB . LIBERALITATEM
CUM . ESSET . ANNORUM . SEXS . (1)
ORDINI . SUO . GRATIS . ADLEGERUNT .

---

(1) Popidius Celsinus fuit civis Pompeianus procul dubio, et ex familia nobili ortus. Hunc virum satis divitem fuisse videtur, qui Isidis templum a fundamentis conlapsum terraemotu restituit, ad quod restaurandum multum auri insumpsit.

Versum illum *Cum esset annorum sexs.* diverso modo legunt nonnulli: sunt qui interpretrantur annos *sexdecim*, alii *saxaginta*. Qui primum sentiunt, dicere coguntur adolescentem impuberem sponte sua aedem reficere potuisse, quod legibus id vetitum erat, cum adhuc esset sub tutela. Qui vero sexaginta interpetrantur, propius ad veritatem accedunt, cum homo liber, et numini eidem devotus facere potuerit. Nec vero obstat lapis, in quo legitur *sexs.* quum veteres saepissime scribebant *sexsaginta* pro sexaginta, et *sexsdecim* ut videre est in pluribus lapidibus apud Gruterum, Muratorium, et apud Cellarium in Orthogr,

Alii quidam credunt, hunc Popidium Celsinum reapse annorum *sexdecim* esse potuisse, et in Decurionum ordinem adlectum. Hoc ex aliis inscriptionibus aperte colligitur, et praecipue ex una quae paucis abhinc annis fuit reperta apud Misenum in in quodam sepulchro, quaeque nunc servatur in Museo Cl. Iorii. Ex

Hoc templum fuit sine tecto : ab antiquis huiusmodi aedes Πέτρα dicta fuerunt, in cuius parietibus depictae sunt nonnullae Isiacae figurae, ut Ibides, Ippopotami, aliaeque id genus. Hoc igitur intectum est, ac peristylio circumdatum : in quovis latere adsurgunt octo columnae ex marmorato, aliaeque adsunt circum circiter ordine Dorico novem pedibus. In templi medio adest aedicula, in cuius extrema parte sunt duo ex marmore gradus, quibus sanctuarium adibatur. Heic fuit situm Deae signum, sub quo locus, ubi sacerdotes seipsos abdebant, quo populo oraculorum darent responsa. Adest etiam in eodem templo sacrarium cum fonte. Plura in eo fuere eruderata, quae ad sacerdotum usum pertinuerunt. Haud longe ab descripto templo aliud adsurgebat, cuius nunc vix rudera supersunt cum nonnullis ordine Dorico columnis.

Theatra. Duo Theatra magnifica detecta integra fuere, quorum alterum a Latinis Odeum, a Graecis Ὠδεῖον dictum, quod tectum fuisse apparet. Prostant adhuc lapides aeneis characteribus :

M . OCULATIUS . M . F . VERUS . VII . VIR . PRO . LUDIS

et in postica parte hic alius lapis :

---

hac inscriptione satis patet, puerum quendam quinque annos habentem ex Decreto Decurionum Misenatium in suum ordinem fuisse adlectum :

D . M .
C . IULII . C . F . CL . HEGEMONIS
ADLEC . IN . ORDIN . DECUR
MISENI . VIX . AN . V . M . VI . D . VI
C . IULIUS . HEGEMON . ET
CASSIA . VRBANA . FILIO
DULCISSIMO

M . M . HOLC . RUFUS . ET . CELER . CRYPTAM . TRIBUNAL
THEATR . S . P . AD . DECUS . COLONIAE .

Praeter hos lapides hic alius fuit repertus supra Theatri portam :

C . QUINTIUS . C . F . M . PORCIUS . M . F .
DUOVIR . DEC . DECR . THEATRUM . TECTUM .

In hoc Theatro tecto comoediae, mimicae, et satyricae actiones, necnon et poetica edebantur certamina, non vero tragoediae. Illorum primum ad ludos nocturnos edendos fuit constructum; alterum vero ad diurnos, et hoc meliori forma fuit, quod integrum manet. Quin restant adhuc foramina ad malos immittendos: stant adhuc integra scalaria, διαζώματα, vomitoria, proscenium, pulpitum, et quidquid ad hanc fabricae pertinet constructionem. Alterum eadem forma marmore constructum, in quo lapidem hunc cum M. Holconii statua fuisse creditur, ut ex hisce characteribus adhuc videre est:

M . HOLCONIO . M . F . RUFO . IIVIR . I . D . QUINQUIENS
ITER . QUINQ . TRIB . MIL . AP . FLAMINI . AUG .
PATR . COLON .
D . D .

In hac urbe fuit Amphitheatrum etiam nuper eruderatum. Tacitus meminit Annal. lib. XIV. c. 17 narrans, magnam factam esse cladem Pompeianos inter, et Nucerinos ibidem, dum ludus edebatur; *Sub idem tempus levi contentione atrox caedes orta inter Nucerinos, Pompeianosque gladiatorio spectaculo, quod Livineius Regulus, quem motum senatu retuli, edebat: quippe opidana lascivia invicem incessantes probra, deinde saxis, postremo ferrum sumpsere, validiore Pompeianorum plebe, apud quod spectaculum edebatur. Ergo reportati sunt in urbem multi e Nucerinis trunco per vul-* Amphitheatrum

nera corpore, ac plerique liberorum, aut parentum mortes deflebant.

Hoc autem maximum aedificium fuit ad ortivum intra urbem procul a descriptis nunc Theatris. Effossum fuit anno MDCCLI. et paulo post rursus aggestionibus obrutum: nunc vero iterum eruderatum integrum fuit anno MDCCCXIII. Quodnam magnificentiae opus nostra tempestate hoc maximum aedificium advenientium exhibet oculis! Hoc unum procul dubio erit spectandum, in quo olim Pompeiani cives cum Nucerinis ob gladiatoria spectacula conviciis primum, deinde saxis vicissim pugnam caedibus foedatam inierunt.

In superiori Amphitheatri parte foramina reperta ad malos immittendos integra sunt reperta. Velis ac malis Pompeiani cives in Theatro, et Amphitheatro maxime utebantur. Id omne nos edocent non solum ea reperta foramina, verum etiam publica decreta rubro colore detecta supra parietinas, in quibus occurrit mentio de C. Popidii Rufi, et de N. Festi Ampliati familia gladiatoria, quae pugnare iterum in Amphitheatro debebat XVI. Kal. Iunias.

Huius Amphitheatri exterior pars nullam praesefert elegantiam, estque penitus differens a Campano, et Puteolano, quorum adhuc elegantiam admirantur omnes. Interior vero pars satis magnificentiam ostendit. Quamvis hoc aedificium a terraemotu anni LXIII. fuerit eversum, tamen post hoc tempus iam reaedificari incipiebat, et integrum nunc restat. Ex inscriptione reperta ad Amphitheatri huius ingressum, certiores facti sumus Pompeianos statuam Cuspio Pansae Pontifici dedicasse, qui Decurionum decreto ad legis Petroniae vigilantiam destinatus fuerat. Ea lex Nerone imperante fuit lata, quae dominis vetabat, ut mancipia cum gladiatoribus, et bestiis decertarent. Credibile hinc est sub huiusce Pansae Duumviratu haud amplius feras cum hominibus, sed cum aliis feris pugnasse. Re sane vera sub huiusce Amphitheatri podio adhuc pictae visuntur huiusmodi venationes inter easdem feras.

Ipse Tacitus ibidem tradit, Senatum certiorem tumultus factum, Livineium, et auctores exilio multasse, et Pompeiana collegia per decem annos prohibuisse; *Cuius rei iudicium princeps senatui, senatus consulibus permisit. Et rursus re ad patres delata, prohibiti publice in decem annos eiusmodi coetus Pompeiani, conlegiaque quae contra leges instituerant, dissoluta. Livineius, et qui alii seditionem convicerant, exilio multati sunt.*

Forum.

Alterum aedificium quod integrum quoque manet, est Forum Pompeianum, quod alii (1) militum arcem, vel castrum ad urbis tranquillitatem credunt. Hoc quadratum est, habetque columnas LXXIV. quae restant adhuc ex marmorato, *a stucco* ordine Dorico.

Arrii domus.

Extra urbis portam Herculanensem visitur domus Marci Arrii Diomedis Ciceronis familiaris. Haec satis sumptuosa fuit, habebatque duos ordines, seu *Piani*, in quorum altero balneum est cum parvo sudatorio, sive calidario. In primo ordine cubicula visuntur diversis ornata picturis, et pavimenta opere tessellato. Prope hanc domum erat hortus, ut ex ruderibus quae supersunt adhuc apparet. In huius domus subterraneis cella vinaria satis magnifica visitur cum amphoris repertis. Prope hanc sepulchrum fuit effossum: ad Arrii familiam spectasse ex lapidibus clarescit:

---

(1) Iustinianus Dizion. del Regno di Nap. artic. Pompei, hunc locum haud fuisse credit militum arcem, sed Forum Nundinarium. Circum idem aedificium plures tabernae ad civium usum erant dispositae, ubi plura quae ad vitam inserviebant, vendebantur. In hoc etiam carceres extitere, ubi infelicium opidanorum compages repertae compedibus detentorum cum militibus ad ipsorum custodiam. In Fori huius medio fons aderat ad advenientium commodum, ut ex ruinis videre est. Supra intercolumnium solarium Πετρον restat, quamvis pene dirutum ad civium deambulantium solamen. Hoc aedificium pedes habet in agro centum, in fronte sexaginta.

M . ARRIUS . DIOMEDES
SIBI . SUIS . MEMORIAE
MAGISTER . PAG . AUG . FELIC . SUBURB .

ARRIAE . M . F .
DIOMEDES . L . SIBI . SUIS .

Pagus Augusti Felicis.

Prope moenia aderat pagus suburbanus Augusti Felicis, fortasse ab deducta huc Colonia ab Octaviano Augusto;

C . NORBANI . SORICIS . SECUNDARIUM
MAG . PAGI . AUG . FELICIS . SUBURBANI
EX . DD . LOCO . D .

Heic enim plures aliae domus effossae, aliaeque fortasse in posterum reperiundae. Domus ipsa Arrii Diomedis satis nobilis fuit, ut ex ruinis est colligere: si picturas, supellectilia, thermas, et quidquid ad humanae vitae pertinet rationem, spectes. Heic vero triginta cadaverum compages sunt effossae cum ipsa fortasse Arrii uxore ab Vesuvianis ignibus haud effugere valente.

CAPUT V.

De novis eruderationibus anni MDCCCXIII. apud Pompeios effectis; describuntur monumenta in via Sepulchrali, Basilica, templa, moenia, aliaque nonnulla.

Pompeiorum effossio paulo post Herculaneum suscepta est, ut ante diximus, regnante Carolo III. Borbonio Hispaniarum Rege, quo tempore plura urbis detecta sunt aedificia, Isidis nempe templum, duo Theatra, et via urbis praecipua cum domibus ex utroque latere. Post illud tempus nihil eruderatum; eruditi vero omnes tantam urbem sub Vesuvianis flammis, cineribusque oppletam iterum integram videre quam maxime cupiebant. Post tot

annos nempe MDCCCXIII. partem urbis maxima celeritate, atque summis impensis effodiendam rursus fuit curatum. Primum moeniorum ambitus omnis ad quatuor circiter milliaria: hinc Amphitheatrum, et plura opidi aedificia publica, et privata cum aliis viis, et praesertim sepulchris, quae sunt in via sepulchrali extra urbem cum Augusti Felicis Suburbii parte fuere excavata. Nos interim quo ante lectoris oculos tot pretiosa monumenta usque modo detecta exhibeamus, minutatim de istis dicemus, et primum de sepulchrali via omnium Pompeianarum rerum nobilissima.

Via Sepulchralis.

Restat igitur haec via extra urbis pomoerium, eaque e regione ipsius urbis portae, qua Herculaneum adibatur. Mediam viam intersecant utroque latere sepulchra, quorum pars manet adhuc tecta: via paulo inferius restat; nam urbs supra parvam aderat altitudinem, ita ut ex sepulchrali via in urbem clivus esset. Nihil spectabilius Pompeianis hisce monumentis. Notum est apud antiquos usuvenisse, extra urbem cadavera humare: qui mos a Pompeianis maxime fuit servatus. Ea sepulchra publica non solum, sed privata etiam sunt, eaque maxima elegantia, cum exterior pars ex marmorato est ornata, et inscriptionibus Latiaribus characteribus adiunctis. Haec sepulchralis via cum Herculanensi fortasse coniungebatur, ita dicta, quod Herculaneum, et hinc Neapolim viatorem duceret. Huiusce nihil hodiedum superest, nisi tantum ea pars, quae sepulchrali subiacet.

Sepulchrum Castritii Scauri.

In hac non amplius quam sepulchra usque modo eruderata fuere, unum ab alio paulo dissitum. Primum est illud, quod visitur magnis lapidibus ex topho constructum: in eius interiori parte quasi ara adspicitur, supra quam fortasse cineres aderant, qui nulli restant. Circum sunt plures figurae ex marmorato: inter alias Oedipus, et Sphinx. Sepulchro marmor fuit conlocatum, quod mutilum fuit repertum optimis characteribus insculptum. Illud Castricio cuidam Scauro positum, ad

quem sepulchrum pertinuit, cuique statuam equestrem in Foro cives dedicarant:

. . RICIO . A . F . MEN .
SCAURO
II . VIR . I . D .
. . ECURIONES . LOCUM . MONUM .
(X) (X) . IN . FUNERE . ET . STATUAM . EQUESTR .
. . . . . ORO . PONENDAM . CENSUERUNT
SCAURUS . PATER . FILIO.

Utrumne vero hic Fabricius, vel Castricius Scaurus ex tribu Menenia, et civis Pompeianus fuerit propinquus, vel sanguine coniunctus M. Scauro Romano, cuius meminit Plinius Hist. Natur. lib. XXXVI. c. 24 qui Romanum illud maximum condidit Theatrum, vel alius, incertum quidem est. Hoc unum certum est, Pompeianum Scaurum celebrem fuisse, et cives eidem satis debebant ob iustitiam recte administratam, et Duumviratum. Fato deinde functo eidem monumentum erexerunt, et funus opidanorum impensis celebratum, in quo gladiatoria spectacula edita fuere. Ne tanti civis igitur, et monumentorum memoria foret obliterata, ex marmorato efficiendas varias gladiatorum pugnantium figuras supra sepulchrum curarunt, ut ex pluribus, quae restant, videre est. Satis apparet, hoc monumentum olim in parte fuisse restauratum, cum nonnullae gladiatorum figurae sunt aliis recentiores; sub quibusdam supersunt adhuc ipsorum nomina, qui fortasse in pugna strenue pugnarunt, ut exempli gratia: *Munere . . . . Ampliati . P. Summo.* Hic Ampliatus fortasse gladiator celebris fuit, vel alius vir.

Sepulchra C. Calventii Quieti, et C. Munatii Fausti.

Alterum sepulchrum ad quemnam pertinuerit, incertum, cum nulla existat memoria. Hoc rotundum est opere lateritio, cuius exterior pars etiam ex marmorato est. Pars superior haud extat; Vesuviana enim conflagratio eam subvertit: circum sunt urnae cinerariae, in quibus adhuc cineres, et ossa supersunt. Sequuntur duo

alia sepulchra : primum C. Calventio Quieto, alterum non procul C. Munatio Fausto. Ea sunt ex topho, et ex marmorato cum nonnullis figuris. Ex inscriptionibus satis clarescit, duobus hisce viris bisellium datum, nempe sella splendida praeclaris viris concedi solita, ut publice in ea sederent in ludis, in Theatro, Foro, Curia, aliisque publicis locis eodem modo, quo Romae sella curulis dabatur. Hic autem honor Decurionum decreto iisdem datus ob aliquod fortasse beneficium. Iidem Augustales etiam erant; at hic honor aliquando datus Coloniarum, et Municipiorum viris praecipuis. Primum marmor C. Calventio positum hoc modo repertum legitur :

C . CALVENTIO . QUIETO . AUGUSTALI
HUIC . OB . MUNIFICENT . DECURIONUM
DECRETO . ET . POPULI . CONSENSU . BISELLII
HONOR . DATUS . EST .

Supra C. Munatii Fausti sepulchrum hoc aliud effossum :

C . MUNATIO . FAUSTO . AUG . ET . PAGANO
CUI . DECURIONES . CONSENSU . POPULI
BISELLIUM . OB . MERITA . EIUS . DECREVERUNT
HOC . MONUMENTUM . NAEVOLEIA . TYCHE
LIBERTIS . SUIS
LIBERTABUSQUE . ET . C . MUNATI . FAUSTI
VIVA . FECIT .

In hoc columbario repertae fuere lucérnae nonnullae cretaceae, et nummi ex aeré in cadaverum ore. Haud quemvis fallit apud veteres usuvenisse mortuorum ori nummos imponere, quo Charonti naulum solverent. Praeter haec effossae figurae in parietibus, quae satis exprimunt, Naevoleiam Munatio Fausto silicernium propinquis, et amicis fecisse : adhuc enim visitur triclinium affabre pictum, quo *aeternum vale* mortuo dicebant.

Haud procul ab Munatii sepulchro inscriptiones quaedam eruderatae fuere : quas inter haec Nistacidio Helene posita :

NISTACIDIO . HELENO
PAG . PAG . AUG .
NISTACIDIO . IANUARIO
MESONIAE . SATULLAE . IN . AGRO
PEDES . XV . IN . FRONTE . PEDES . XV .

M. Allei L. Libellae monumentum.

Ex hoc lapide luculenter eruitur, hunc Nistacidium *Paganum* Augusti Felicis fuisse: hic pagus, vel suburbium manet adhuc infossum; creditur non procul ab hac sepulchrali via dissitum, et prope opidum fuisse.

E regione Munatii sepulchri supra eandem viam visitur aliud nobilissimum M. Alleio Lucio Libellae ex marmore positum, quod cenotaphium potius fuisse arbitror, cum nec cineres, nec ossa reperta. Hoc autem erectum ab quadam Alleia Decimilla Cereris sacerdote publica coniugi M. Alleio Lucio Libellae Ædili, Duumviro Praefecto quintum, et filio eius M. Alleio Lucio Libellae immature erepto satis liquet:

M . ALLEIO . LUCIO . LIBELLAE . PATRI . AEDILI
II . VIR . PRAEFECTO . QUINQ . ET . M . ALLEIO
LIBELLAE . F . DECURIONI
VIXIT . ANNIS . XVII . LOCUS . MONUMENTI
PUBLICE . DATUS . EST . ALLEIA . M . F . DECIMILLA
PUBLICA . SACERDOS
CERERIS . FACIUNDUM . CURAVIT
VIRO . ET . FILIO .

Ex inscriptione luculenter patet, Alleiam Decimillam Cereris publicam sacerdotem fuisse: hoc etiam templum procul dubio extitit, quod manet adhuc tectum, at qua urbis parte illud fuerit, incertum.

L. C. Labeoni's sepulchrum.

Sequitur alterum prope L. C. Labeoni excitatum: hoc alio nunc praedicto maius, et magnificentius est; interior pars satis pulchra esse olim debebat, dum nonnullae figurae ex marmorato in parietinis adsurgebant: nunc vix equitis pars restat. In medio fortasse monumenti ex marmore signum aderat: nam effossionis tempore

comminutum plures in partes fuit repertum. Hoc marmor sic legitur :

L . C . L . F . MEN . L . LABEONI
ITER . D . V . I . D . QUINQ .
MENOMACHUS . L .

Dum vero magis effossionis operi instarent hoc eodem anno supra memorato, reperta fuit alia urbis porta, qua Nolam viator adibat, prope quam lapis Oscis characteribus cum Isidis figura supra tophum efficta. Lapis hic ita insculptus, quamvis elementa sint plane Osca :

C . POPIDIIS . C .
MED . TUC . AAMANAPHPHED
ISIDY . PRUPHATTED .

qui sic sonat: *C. Popidius. C. Filius. Medituxticus. restituit. et. dicavit. Isidi.* Videtur hunc Popidium Medituxticum Pompeianum fuisse eundem illum, qui Isidi templum motu terrae conlapsum restituit. Vtrum autem ea inscriptio ad idem templum pertineat, an ad aliquam aediculam divae dicatam, incertum. Haec Isidis figura cum inscriptione indicare etiam videtur, urbem deae dicatam, cum prope portam fuit reperta; Pompeiani enim suam urbem sub eiusdem tutela posuerant, cui etiam templum erexerant. Hic vero Popidius fortasse sua impensa moenia terraemotu labefactata raedificaverat, quae adhuc in ea parte restaurata videntur. Certum vero est, inscriptionem cum Isidis figura prope portam detectam fuisse. Miror autem maxime, hanc inscriptionem Oscis characteribus insculptam cum duabus aliis, aliisque etiam in posterum fortasse reperiundis: ex his luculenter videtur, Pompeianos eo tempore adhuc Osce locutos: nam plebs fortasse etiam Osco utebatur idiomate, cum cives nonnisi Romane loquerentur; hinc Popidius iste lapidem Oscis characteribus ad plebis erexerat intelligentiam. Crediderim tunc Oscorum linguam nihil aliud fuisse, quam corru-

ptam Latinam, ut ex lapide isto, aliisque satis elucet, ea tantum differentia, ut elementa diversa tantum essent.

Via Sepulchralis, de qua usque modo locuti sumus, satis indicat Pompeios celebrem Campaniae urbem fuisse, cum ea nihil spectabilius possit esse ob sepulchrorum fabricas recte constructas: ipsa enim monumenta satis etiam demonstrant, quam nobilis esse debebat Appia viarum regina, quae infinita passim sepulchra habebat. Si enim apud Pompeios Romanorum Coloniam tot aderant magnificentiae, quasnam Roma ipsa caput orbis continere debebat? Et re quidem vera in hac urbis parte nihil elegantius advenientium potest ob oculos repraesentari, cum primum via longa, eaque recta, qnae a Sepulchrali initium sumens ad urbis interiorem partem perveniebat. Ex utroque enim latere sepulchra passim eleganti constructa forma visebantur, uti descripsimus. Porticus etiam utramque viae partem nobilissima exornabat; eaque ut arbitror, ad opidanorum commodum condita, quo iisdem ambulandi opportunitatem daret. In interiori vero Porticus parte tabernae plures erant, in quibus Pompeiani cives extra pomoerium, si nundinae advenissent, cuiuscunque rei merces concivibus venundarent. Sepulchralem hanc viam non solum Porticus, vel sepulchra, verum etiam nonnulla alia exornabant aedificia, ut videre adhuc est. Mediam hanc longam viam urbis porta cum moeniis condecorabat. Nihil praeclarius hac urbis parte potest esse, cuius quamvis nonnulla pars restat, tamen satis demonstrat, urbis interiorem partem fuisse satis elegantem, pulchram, atque nobilem. Observatu vero dignum est, hanc omnem opidi descriptam partem fuisse post Neronis terrraemotum sexdecim annos ante conflagrationem derelictam, cum cives urbis fabricas motu terrae conlapsas deseruerunt praeter paucas, quae in parte restauratae fuerunt. Vnum quod magis admirationi cuique debet esse, est illud quod in hac urbis parte, et etiam in posterum aliis in locis videndum, quod Pompeiani cives post primam conflagrationem nonnullis in lo-

eis domos eruderarint quo res, quae sub cineribus fuerant sepultae, recuperarent, et praesertim in iis locis, in quibus maiora auri, argentique adessent pondera.

Antequam ad alia describenda nuper reperta veniamus, iuvat heic in medium novam afferre inscriptionem apud Pompeios detectam, quae parum a Theatro est, quod quamvis multis abhinc annis effossum, monumentum supra parietinam servat adhuc lectu dignum:

AD . XI . K . DECEMBR . A . XV .
EPAPRA . ACUTUS . AUCTUS
AD . LOCUM . DUXSERUNT
MULIEREM . TYCHEN . ET . PRETIUM
IN . SINGULOS . A . VIII .
M . MESSALLA . L . LENTULO . COS .

Ex hac primum satis certiores facti sumus, Pompeianos cives vitiis fuisse deditos, qui publice lapides, et monumenta suarum erigebant impudicitiarum. Insuper nobis inscriptio animadvertendum affert, hosce viros Epapram, Auctum, et Acutum sive quod milites fuerint, sive cives suae Tychae mulieri monumentum posuisse multo ante urbis conflagrationem. Ex Fastis enim Consularibus liquet, Consules M. Messalam, et L. Lentulum Consulatum gessisse anno V. C. DCCLI. idque evenisse tres annos ante Christi nativitatem. Hinc monumentum hoc LXXII. circiter annos ante urbis ruinam positum fuisse constat, et Pompeianum parvum Theatrum eam ante tempestatem extitisse, prope quem locum aderat inscriptio.

Non procul a via urbis praecipua, quae ad portam ducit, anno etiam MDCCCXIII. cadaver fuit repertum cum pluribus nummis; creditur virum fuisse praecipuum, qui dum cinis, ignis, lapides urbem, et vicina a fundamentis evertebant loca, fugam cum auri pondere arripiebat. Prope ipsum eruderata perplura numismata, eaque ex auro, argento, et aere. Cadavera passim sub ruinis quotidie effodiuntur, ipsaque cum armillis, numis-

matibus, aliisque pretiosis rebus: prope sepulchreta plu-ra alia; inter quae mater cum familia, quae fortasse ignis lapidumque grandine territa, dum ex urbe ob assiduos motus terrae fugeret, sub Porticibus se recipiens cinerum pluvia obruta cum filiis est mortua. Ex rebus repertis, inauribus nempe, annulis, armillis divitem fuisse existimatur.

Basilica. Inter urbis magnifica aedificia usque modo excavata, Basilica fortasse nobilissima fuit. Ea abest parum a via publica. Nihil ipsa magnificentius excogitari potest, si architecturam spectamus Ipsa quadrata est forma, et Porticum habet satis magnificam: columnae ex opere sunt lateritio, ut in aliis publicis, et privatis Pompeiorum aedificiis videre est, atque e marmorato convestitae; columnarum bases, et peristylia sunt ordine Dorico. Basilica isthaec duos habebat ordines, seu *Piani*, aut *Appartamenti*, ut ex ruinis videre cuique licet. Hoc magnum aedificium plus aliis a terraemotu fuit concussum: nam per terram huc illuc disiectae, et comminutae columnae satis firmae adspectantur: et ego arbitror, terraemotum adeo vehementem fuisse ante primam conflagrationem, ut ex urbis aedificiis, quae multa restant integra, hoc prae ceteris plus aliis damno affectum fuerit. In eo loco cadaver nullum effossum, neque aliud, praeter nonnulla vasa aenea, aliaque parvi momenti. In subterraneis eiusdem Basilicae carcer, (uti creditur) fuit; eiusdem enim forma hoc indicare videtur. Cum vero locus hic publicis esset iudiciis destinatus, ubi ius administraretur, carcer hinc esse debebat, quo si quid esset necesse, civibus statim poena constitueretur.

Forum civile. Hoc aliud aedificium est etiam urbis magnificum. Heic nonnisi summi momenti negotia tractabant cives tum civilia, tum ad mercaturam pertinentia. Heic etiam festa, et deorum supplicationes peragebant. Intercolumnium marmore convestitum aedificium decorabat, ubi civium de patria benemerentium passim statuae adsurgebant, ut ex ruinis quae restant, videre est.

Huic aedificio publicum aerarium, seu Iovis templum erat adiunctum, ad quod ascendebatur per gradus marmoreos, ad quorum latera statuae videbantur: intercolumnium sex columnis fulciebatur ordine Corinthio. Cella duos habebat porticus; hinc tres camerae ad aes publicum conservandum. Iovis, et Veneris templa.

Ad Fori civilis laevam adsurgit magnificum Veneris templum. Quadraginta columnis ex marmorato ordine Corinthio fulciebatur, quae columnae quatuor Porticus statuis decoratas sustentabant, et picturis ornatas. In huiusce templi area ex marmore Veneris ara adsurgebat, ubi eiusdem deae statua fuit reperta. Concordiae templum.

Ex alia Fori parte paucis abhinc annis detectum fuit Concordiae templum ab Eumachia Pompeiana sacerdote excitatum cum eiusdem eleganti statua, sub cuius basi legitur:

EUMACHIAE . L . F . SACERD . PUBL .
FULLONES .

Hoc aedificium est rectangulare, et ad Romanam pertinet architecturam: interior pars est ordine Corinthio. Tribus Porticibus componitur Chalcidico, Crypta, et Porticu. Chalcidicums exdecim columnis sustinetur, in cuius epistylio legitur:

EUMACHIA . L . F . SACERD . PUBL . NOMINE . SUO
ET . M . NUMISTRI . FRONTONIS . FILII . CHALCIDICUM .
CRYPTAM . PORTICUS
CONCORDIAE . AUGUSTAE . PIETATI
SUA . PECUNIA . FECIT . AEDEMQUE . DEDICAVIT .

Vrbs Pompeii quator praecipuas habuit portas, ut probabile videtur, quae in quatuor urbes viatorem ducebant, Herculanensis nempe sic dicta quippe quae ad Herculaneum recta perveniebat. Ex eiusdem regione alia fuit posita, Nucerina fortasse dicta, quia Nuceriam respiciebat. Ex alia urbis parte adversa erat Nolana nu- De urbis portis

per eruderata cum Isidis deae figura, et marmore Oscis elementis inscripto. Huic portae respondebat Stabiensis fortasse appellata etiam nunc effossa. Vtrum vero aliae adfuerint, incertum: verum ego non alias Pompeios habuisse, quam citatas hasce quatuor autumo. Aliae tamen profecto fuere, sed eaedem portulae potius, ex quibus fortassis obsidionis tempore civibus in hostium turmas occasio dabatur irrumpendi. Herculanensis porta pluribus abhinc annis fuit eruderata, extra quam Sepulchralis visitur via nuper ex aggestionibus eruta. Ex hac porta Herculanensi urbis via praecipua procedebat, eaque urbem intersecabat ad Amphitheatrum usque, quod procul a Nucerina porta extabat: hoc magnificentissimum monumentum inter portam Stabiensem aderat, et Nucerinam. In eadem via adsurgebat Basilica modo descripta. Vtrum vero in eadem fuerint alia publica aedificia, uti Cereris templum, aliaque, adhuc incertum. Extra omnes descriptas portas fuisse sepulchreta, et suburbia arbitror, ut in Herculanensi: nam suburbium, sive pagus Augusti Felicis prope Pompeios dubio procul fuit; at quo in loco, dubium adhuc manet.

Moenia. Pompeios insuper opidum Campaniae moeniis validissimum fuisse satis elucet ex nuperis effossionibus. Ea enim sunt adeo valida, ut opidum fortissimum sit appellandum. Restant ea adhuc integra, et alta pedes XXII, ex thopo quadratis lapidibus Etruscorum more, et adeo lata, ut quatuor currus ex fronte ire possent. Praeter moenia turres etiam habuit quadratas passim ipsorum altitudine: quin et portulas quo obsidionum tempore opidani in hostes possent irruere. Numne Pompeiani belli Socialis aevo in Syllae exercitum per eas portulas irruperint, necne, incertum.

Prope urbis portam, quam Herculanensem appellatam existimo, satis apparet, moenia restaurata vel post Syllanam obsidionem, vel post terraemotum: nam vetustae fabricae pars superest, et nova passim recte conspicitur. Ea moenia per quatuor circiter milliaria urbem

circumeunt, ut nuper fuit observatum; at nunc nonnisi aliqua moeniorum pars est eruderata. Vrbis ambitus satis ostendit, Pompeios urbem fuisse magnam, et spatiosam, quae maximam frequentiam continere utique poterat. Vtinam tota urbs nostra effoderetur aetate, qnae pulcherrimum profecto Campaniae opidum advenientium oculis post decem et octo saecula ostenderet! Quoties ego Pompeiorum moenia conspexi, haud potui facere quin Munatii Magii Asculanensis, et L. Syllae meminissem, qui opidum longam post obsidionem (ut creditur) occuparunt. Fueritne ipsa moenia, quae nunc temporis integra conspiciuntur, an fortasse restaurata (quae Sociali bello cives defenderunt) incertum lectoribus relinquimus.

Vrbs ad mare fuit, et portum a ventis tutum habuit, ut ex pluribus ante recitatis auctorum testimoniis luculenter probatur. Huiusce nihil hodiedum restat: mare ad duo circiter milliaria abest. Sarnus ipse qui commune navale Nolanis, Acerranis, et Nucerinis erat, hodie vix fluvii nomen habet: adeo res heic mutatae! Fluvius prope urbem praeterlabi debebat, qui tot merces ex longinquis opidis in urbem introducere debebat; qnin et vicinissimum ipsum mare piscosum ubinam abiit? ubinam portus celeberrimus, qui tot Romanorum adspectavit classes, quo P. Cornelius quondam ad populandum perrexit Nucerinum agrum? nihil aliud superest hodiedum quam arentes immensae paludes sole exaestuantes. Vbinam cives qui ex moeniis deliciosum conspiciebant mare, abierunt, qui pulcherrima coeli temperie, et plaga gaudentes, qua Stabias propinquas, et Surrentum, qua Apenninos vicinos montes, qua Vesuvium vinis abundantem, qua Herculaneum, Neapolim adspectabant, quaeque urbs omnibus vitae commodis fruebatur? Vesuvius extra ullum dubium omnem eam plagam, antequam conflagraret, omnino mutavit, qui plurium opidorum penitus memoriam obliteravit; atque adhuc dubium est ubinam extiterint locorum. Nam Opulenti, Chorae, Tau-

raniae nulla omnino superest memoria, cum assiduae conflagrationes solum ad eam erexerint altitudinem, ut nimia profunditate nunc sepultae credantur.

CAPUT VI.

De monte Vesuvio; eiusdem ichnographia delineatur; de vulcanicis materiis. Spartaci gladiatoris facinus enarratur.

Perlustratis et descriptis hactenus Herculaneo, et Pompeiis opidis, ad Vesuvium propius accedere fas est. Hinc nos primum hoc capite veterum scriptorum afferemus auctoritates, qui ipsum quondam flammas evomuisse testantur, deque ipsius tophographia, deinde alio quo sequetur capite, de celebrioribus conflagrationibus, de mephitibus, de vulcanicis materiis, aliisque rebus ad eundem spectantibus, verba faciemus.

Montis ichnographia.

Mons hic Campaniae procerior est, iacetque ad orientem Neapolitani Crateris. Separatur a longa montium Apeninnorum catena, ceterisque imminet, et e Neapolis regione mari incumbit. Instar pyramidis est, quae prout scribit Seraus, Descrizione fisica del Vesuvio, basim habet XXX. M. P. et perpendicularis altitudo est ulnis DII. Hinc leni clivo sensim usque ad eum locum, quem accolae dictitant *Atrio del Cavallo* mons attollitur. Strabonis, et Plinii aevo Vesuvius unum fortasse habebat caput: at nostra tempestate post tot assiduas conflagrationes ipse biceps est, bina nempe attollit iuga, quae uno plus distant invicem milliario. Primum montis cacumen, quod e Neapolis regione est, ab adiacente ad eius radices Summae pago, *monte di Somma* appellatur: alterum mari imminet ad meridiem *Veoli*, a Vesuvii ipsius appellatione eidem iugo nomen impositum. Varias vero habet vias, per quas conscenditur. Magna planities in eiusdem medio est, in quo os cernitur immodicum. Varia montium propinquorum adsunt cacumina, nempe vici Summensis, et vici Octaviani,

quae hodiedum per imas valles à Vesuvio separantur. Plures adsurgunt pagi ad montis radices, et celebriores sunt S. Georgius Cremanus, S. Ioannes a Teducio, Locotrocula, Pollena, Massa Summensis, Barra, Ponticellius a ponticulis, qui in eodem erant pago ob vicinas stagnantes paludes, Porticensis, et Resinensis villae, de quibus ante egimus, Turris Octava, Turris S. Mariae ab Angelo Adnunciatae, Boschius, aliique nonnulli.

Quam sit pulcher adspectu idem mons, et quam peramoenum feraxque illius solum, verbis profecto dici haud potest; nihilominus est adeo horribilis, ut plura phoenomena, quae a natura gigni solent, producat. Cum enim ignivomus sit, ex ore tantum ignis evomit identidem, bituminis, sulphuris, lapidum, aliarumque id genus materiarum, ut non solum vicinae, sed longinquae quoque regiones in cinerem redactae ab ignivomis Vesuvianis amnibus persaepe fuerint.

Vulcanieae materiae a temporibus vetustissimis existentes.

Hic olim videbatur penitus extinctus, ideoque vicinae gentes, populique ex patrum, atavorumque memoria conflagrasse quondam narrabant, cum illa etiam tempestate adhuc ignis vestigia, vulcanicaeque materiae passim super locorum faciem extinctae adspectabantur. Plinius Hist. Nat. lib. II. c. 6 et Strabo lib. V. Geogr. verba faciunt de Vesuvianis eruptionibus, ut de rebus quae coniectura potius tradebantur. Hinc scribit primus: *Nec minus etiam memoratur antiquitus crevisse, et abundavisse sub Vesuvio monte, et inde evomuisse circa agros flammam.*

Haec autem loca quondam vulcanicas eructasse materias circa vicinas regiones fertur ex immemorabilibus usque temporibus. Hinc ab antiquis poetis fabulatum est, Phlaegrae olim gigantes in hisce locis Iovi bellum intulisse, et ab Hercule debellatos in ipsis montibus illos catenis fuisse constrictos. Et re sane vera si fabulas e medio tollamus, profecto reperiemus, Vesuvium, Vulcani Forum, seu Sulphurariam prope Puteolos, Epomaeum montem apud Pithecusam, et Ætnam ipsam ignem

evomuisse ex temporibus nobis incognitis. Lucretius poeta qui vixit anno ab V. C. DCLVIII. et multo ante primam Vesuvianam conflagrationem, sic de illo canit lib. VI. v. 747

Qualis apud Cumas locus est, montemque Vesevum
Oppleti calidis, ubi fumant fontibus auctus.

et Statius nostras Sil. lib. IV. car. 4 ad Marcellum sic etiam cecinit:

Haec ego Chalcidicis ad te, Marcelle, sonabam
Littoribus, fractas ubi Vesbius egerit iras,
Æmula Trinacriis solvens incendia flammis.

Praetereo plures alios, et praecipue Virgilium, qui praeceteris hunc sane montem norat, quippe qui longe diuque Neapoli otiatus, ruinas olim actas audierat: attamen huiusce mentionem nullam facit, utpote de re satis cognita.

Spartaci gladiatoris facinus.

Augusti aevo Vesuvii vertex vitibus, vinetisque undique tectus erat, multoque inferior, quam nunc est; et in vertice antrum habuit, per quod octoginta quatuor armatos gladiatores ingressos, indeque per montis radices exiisse vetusta narrat historia. Quo tempore Spartacus gladiator Thrax genere bellum Servile excitavit annos fere sexdecim post Marsicum Lucio Lucullo, et Marco Aurelio Cotta Coss. a Glodio Glabro obsessus, et ex his fugatus locis. Florus id omne narrat lib. III. c. 20. Nec id mirum videri debet, hos gladiatores concavas montis rupes, atque antra penetrasse, ac inde egressos, cum adhuc hodiedum plures circum sunt cryptae, caveaeque, et praesertim in loco, qui ab accolis dicitur *S. Maria a Cancello*, in quem quidam audaces olim cum introgredi voluissent, loci horrore perterriti, statim aufugere. Hinc licet coniectare, hunc esse potuisse ipsum, in quem Spartacus fortasse penetravit. Hoc vero Spartaci idem facinus prodit etiam Velleius Paterculus lib. II. c. 30. Quae res eodem quasi modo ab aliis narratur antiquis historiographis, uti Plutarcho in Vita Crassi c. 21 ab Appiano Alexandrino lib. I. de Bello Civili c. 42 ab Eutro-

gio His. Rom. lib. IV. à Paulo Horosio lib. V. c. 24 aliisque nonnullis.

Ex his adductis veterum auctorum testimoniis satis elucet, hunc montem iam ab antiquis temporibus ignem evomuisse, et supra montis verticem vulcanicas passim materias ante Titianum aevum stratas certissimum ignis argumentum fuisse. Hinc eaedem materiae ea fuere quantitate, ut ad Herculanei, Pompeiorumque vias insternendas cives uterentur, ut adhuc videre est in eruderatis opidis. Eae namque materiae multo ante Titi tempus non solum ad harum urbium, verum etiam ad aliarum usum adhibitae fuerunt.

Neapolis, Herculanèum, Stabiae, vicinaeque urbes etiam ex iisdem Vesuvii silicibus constratae quondam fuerunt. Praetereo vias publicas, quae nonnisi ex iisdem lapidibus erant stratae. At undenam iidem lapides fuerunt ablati, nisi ex vicino Vesuvio, cum iam a temporibus usque remotis eaedem materiae ab eodem vulcano eructatae ad urbium vias insternendas aptatae fuerint? Ex quibus rebus sane coniicito, Vesuvium ab antiqua tempestate vulcanicas hasce materias eructasse. At quo tempore id evenerit, incertum per auctores omnino est. Strabonis, aliorumque auctorum aevo iam Vesuvius ignem continere credebatur. Vetustiores scriptores, quorum opera intercidere, quaeque ad nos haud pervenere, fortasse de Vesuvianis antiquissimis conflagrationibus verba fecerant, aliter Strabo, aliique contemporanei haud vulcanicas memorassent materias, et haud Vesuvium quondam exarsisse dixissent, nisi pro certo hoc habuissent. Prima igitur, et certa huiusce montis conflagratio, de qua narrat historia, est illa quae evenit imperante Tito Vespasiani filio, cum Pompeii, Herculaneum, aliaeque urbes sunt eversae.

CAPUT VII.

De prima Vesuvii conflagratione: mors Plinii, aliaeque conflagrationes describuntur, et damna a Vesuvio allata. De vulcanicis materiis, de mephitibus, de veterum opinionibus circa Vesuvium: quanam tandem parte expenditur olim mons ignem evomuerit.

Hactenus raptim de Vesuvii origine, et de fama diximus; nunc heic de celebrioribus conflagrationibus, deque effectibus verba faciemus.

Prima conflagratio, et mors Plinii.

Hunc montem olim flammis flagrasse saepe memoriae proditur; quin vicies a prima illa conflagratione Titiana montem hunc flammas eructasse testatur lapis ad eiusdem radices in Porticensi villa collocatus. Celebriores tamen octo fuisse plures patrii scribunt auctores. Prima est illa, quae accidit post Christi ortum anno LXXIX. IX. Kal. Septemb. quo tempore mons repente apertus vicina loca igne replevit. In ea conflagratione desederunt Herculaneum, Pompeii, aliaeque urbes. Vitam tunc agebat Plinius Naturalis historiae scriptor, Romanae Misenensi classi Praefectus. Hic visendi studio captus, quid sibi vellet miraculum ignorans, triremem conscendit, Stabiasque perrexit, ubi ad Pomponianum amicum divertit, qui heic aderat; ibi illum a timore perterrefactum hortatus, ut se in balneum deferret, rogavit, lotus coenavit, atque inde hilaris evasit. Crebris interim motibus terrae domorum tecta cum nutarent, sedibusque fere dimoverentur, foras exsiliit, cervicalibus capiti impositis, ne pumicum casu laederetur, cumque in litore esset, frigidam aquam poposcit, illucque se contulit, qua mons magis aestuabat. Magna cinerum copia coelum undique tenebris offuderat: strepitus, ignei lapides erant interrupti: tellus sub pedibus tremebat; vicinarum urbium, villarumque incolae flentes passis capiliis festine fugiebant. Videres filium, cum nulla salutis amplius spes adesset, senio confectum

parentem humeris imponere, et longinquas terras usque vehere; hic magnas hominum catervas, illic matrem cum natis percurrere terrore praeventam, atque alias petere regiones. Vnus Plinius e navi egrediens, eo petivit, quo mons immanes magis ciebat clamores, atque aegre progrediens cineres inter, et fumum cum quodam liberto extemplo est enecatus. Plinius Iunior fusius Tacito Annalium scriptori avunculi lacrymosam narrat tragoediam lib. VI. Ep. 16.

Nunc vero ad ea quae primam Vesuvii conflagrationem sunt subsecuta, gradum faciamus. Ex Tranquillo compertum habemus in Tito c. 8 hunc benemerentissimum vere patriae parentem adeo urbium Herculanei, et Pompeiorum casu fuisse afflictum, ut illarum, civiumque damna reparare toto studio fuerit conatus: quin et bona ex publico aerario mortuorum propinquis suppeditasse compertum habemus. En auctoris verba: *Quaedam sub eo fortuita, ac tristia acciderunt, ut conflagratio Vesevi montis in Campania . . . . in his tot adversis, ac talibus non modo principis sollicitudinem, sed et parentis affectum unicum praestitit, nunc consolando per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas. Curatores restituendae Campaniae Consularium numero sorte duxit. Bona oppressorum in Vesevo, quorum haeredes non extabant, restitutioni afflictarum civitatum attribuit.* Id etiam confirmat Xiphilinus lib. IX. in Tito II.

Quo tempore haec accidit conflagratio.

Sunt qui scribunt, hoc celebre Vesuvii incendium ad Autumni finem evenisse: hinc ad hoc probandum Dionis afferunt textum lib. LX. Κατ' αυτὸ τὸ φθινόπωρον, *sub Autumni finem.* Et hoc magis probatur, ex eo quod in huius urbis, nempe Herculanei, et in domibus reperti sunt fructus semiusti, qui nonnisi sub hoc tempus in Campania colligebantur, nempe Autumnali tempore. Neque vero tanta Plinio Iuniori fides est praestanda, qui in citata epistola ad Tacitum hanc conflagrationem IX. Kal. Septemb. evenisse scribit: nam Codicum lectiones haud

idem sonant, ut observat Cl. Ancora, Prospetto Storico di Pompei pag. 52. Hinc Isagogicarnm Dissertationum auctores Plininianum textum iuxta eundem corrigendum ita putant : *IX. Kal. Decembres.* Eodem ferme modo Dio Cassius lib. LX. c. 11 hanc narrat cathastrophen, praesertim cum per eam tempestatem horrenda visa fuerint monstra, et gigantes (1).

Legenda est etiam Plinii Iunioris ad eundem Tacitum epistola quaerentem quidnam per hosce dies ipse, et mater ageret, dum Miseni aderat, et quidnam vicinis Campaniae locis acciderit, cui Plinius hoc modo respondet epist. 17 *Vix iam viam deserueramus, et nox non qualis illunis, et nubila, sed qualis in locis clausis lumine extincto. Audires ululatum foeminarum, infantium quiritatus, clamores virorum, alii parentes, alii liberos, alii coniuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant. Hi suum casum, illi suorum miseraban-*

---

(1) Causa quam affert Dio de gigantum apparitione huius Vesuvianae eructionis tempore, non alia esse videtur, quam opinio qua veteres Campaniae incolae credebant, sub Vesuvii visceribus fuisse quondam Alcinoi gigantis ossa sepulta. Verum Philostratus Heroic. c. 1 quondam Neapoli vetusto aevo reapse extitisse haec gigantum ossa tradit. At hoc dubio procul falsum est : nihil aliud ea fuere, quam quorundam immanium bestiarum ossa a Neapolitanis sub Vesuvii visceribus quondam reperta, et ab iisdem servata. De his fortasse Tranquillus narrat in Aug. c. 72. At quomodocunque res sit, primae eructationis aevo (ut vulgus opinabatur) hi gigantes a poetis potius efficti in illa horrenda conflagratione rursus apparuerunt.

Eas autem gigantum apparitiones nihil aliud fuisse putarim, quam ipsorum hominum mentes nimio terrore correptas, ante quos horrenda cuncta visebantur. Enimvero ignitae nubes circa Vesuvium vario colore versantes, et ex variis materiis ab igne eructatae, vicinas territabant gentes, phantasiamque perturbabant. Idque portentum in magnis Vesuvianis conflagrationibus identidem evenisse compertum habemus, et nostra etiam fere tempestate huiusmodi gigantes, et monstra Vesuvianis indigenis visa.

tur. Erant qui metu mortis mortem precarentur; multi ad deos manus tollere; plures nusquam deos ullos, aeternamque illam novissimam noctem interpetrabantur: nec defuerunt qui fictis, mentitisque terroribus vera pericula aufugerent. Aderant qui Miseni illud ruisse, illud ardere falso, sed credentibus nuntiabant. Paululum reluxit, quod non diem nobis, sed adventantis ignis indicium videbatur, et ignis quidem longius substitit; tenebrae rursus, cinis multus et gravis, hunc identidem assurgentes excutiebamus: aperti alioquin, usque de coelo oblisi pondere essemus. Ex hac igitur Pliniana narratione, quae recte concordat cum illa Dionis Cassii, animadverte quot damna, quot ruinas, caedesque tunc egerit Vesuvius. Hoc satis dictu est, cinerem tantam attulisse ruinam, ut tota Campania damna perquam maxima fuerit passa: cuncta urbium, villarumque aedificia assiduis motibus terrae diruta, atque conlapsa fuerunt: agri campique per longam tempestatem fructibus caruere. Mitto plurium urbium integram ruinam, uti Stabiarum, Nuceriae, Opulenti, Chorae, Herculanei, Pompeiorumque: praetereo permille et centenos homines in hac internecione, qui in his opidis fato extincti fuere: sileo infinita monumenta, quae fuere etiam deperdita. At praetermittendum haud est, Vesuvium posteritati beneficium praestitisse (liceat mihi sic loqui, ne in miseros illos saeviamus homines) cum integras duas urbes detegendi, et effodiendi ansam praebuerit; et alias fortasse in posterum reperiundas speramus, quas olim ignis absumpsit. Quid igitur Vesuvio non debemus? at cuperem ego, ne hoc tempore tantum in mortales saeviat, neve potius nostros vicinos florentissimos agros assiduis destruat conflagrationibus. Haec igitur primae Vesuvii eructationis narratio. Nunc raptim de aliis dicendum celebrioribus.

Secunda accidit Severo imperante anno post Christum CCII. uti narrat Cl. Muratorius, Annali d' Italia lib. IV. Hanc Xiphilinus Dionis epitomator hoc modo Secunda conflagratio.

describit lib. LX. in Severo c. 21 Εν δὲ τῷ Βαιβιῳ τῳ ὄρει πῦρ τε πλεῖστον ἐξέλαμψε, καὶ μυκήματα μέγιστα ἐγένετο, ὥστε καὶ ἐς την Καπύην (εν ᾗ, ὁσάκις αυ ἐν τῇ Ιταλια οικῶ, διάγω) ἐξακουσθῆναι: *Per eos dies resplenduit in monte Vesuvio ignis maximus: in eoque tanti mugitus exstitere, ut Capuam usque audirentur: in qua civitate ego quoties moror in Italia, habitare soleo.*

Tertia conflagratio.

Tertia evenit anno CCCCLXXII. Antemio imperante in Occidente, et Leone I. in Oriente. Huiusce facit mentionem Marcellinus Comes in Chronic. *Indictione XV. Martiano, et Festo Coss. Vesuvius mons Campaniae, torridus intestinis ignibus aestuans exusta vomit viscera, nocturnisque in diem tenebris omnem Europae faciem minuto contexit pulvere: huius metuendi cineris memoriam Byzantii annue celebrant VIII. Kal. Novemb.* Hanc etiam memorat Procopius de Bello Goth. lib. II. iisdem fere verbis.

Quarta conflagratio.

Quarta conflagratio accidit sub Theodorico Italiae rege anno ab Ecclesia condita DXII. iuxta Cassiodorum lib. VI. Variar. ep. 51 qui narrat, tanta a Vesuvio damna allata vicinis fuisse gentibus, ut Theodoricus ipse tributa remiserit. Praetereo horrendos cineres, qui late pervagarunt, terraemotus, aliasque id genus ruinas.

Quinta conflagratio.

Quinta conflagratio evenit anno DCLXXV. sub Theocrito Neapolitano Duce. Paulus Diaconus Hist. Miscel. lib. XVI. aliique contemporanei scriptores Martio mense ipsam accidisse tradunt. Circa quod tempus cusum fuisse creditur illud numisma, quod affert Cl. Muratorius Dissert. XVII. Antiq. Italic. Med. Ævi, in quo ex una parte S. Ianuarii Beneventani Praesulis, et Martyris effigies adservatur, e cuius collo pendet stola. In postica numismatis facie legitur: Λυτρωτῆς τῆς πόλεος ἀπο τοῦ πυρὸς: *Redemptor urbis ab igne.* Quae quidem numismatis verba satis innuunt D. Ianuarium ob liberatam Neapolitanam ab Vesuvii igne civitatem iam ab antiquis temporibus veluti eiusdem urbis patronum cultum fuisse. Laudatus Muratorius loco citato alia affert numismata a Neapolitanis cusa in honorem praefati Martyris.

Numquam desinerem, si singulas enarrare vellem conflagrationes, quae saepenumero evenere. Nihil heic memorem illam anni MDCXXXI. V. Idus Decemb. incoeptam, quae plures perduravit dies. Ea quidem post illam Titianam describitur ut horrenda inter ceteras omnes. Nam tunc Vesuvius non solum in vicinos, et longinquos agros ignis flumina undique evomuit, saxa, cineres, bitumen, et aquarum ex montis vertice veluti diluvium, verum etiam hominum ad quatuor millia, et amplius praeter animantia innumera necavit. Ne longius abeam, de ea mihi silentium imponendum curabo, sed si quis integram huiusce eructationis historiam cupit, Ioannem Bernardinum Iulianum adeat in Tractatu de Vesuvio typis edito Neapoli anno insequenti, quique testis fuit oculatus. Hic vero tradit, cineres non solum per totam Campaniam, et per alias Neapolitani regni provincias, sed usque in Graeciam pervagasse, et terraemotus per eos dies assiduos adeo fuisse, horrendosque, ut iam morti proximos cunctos destinaret mortales. Conflagratio anni MDCXXXI.

Invat heic etiam enarrare celeberrimam nostra tempestate conflagrationem, quae accidit anno MDCCXCIV. XVII. Kal. Iulias, cum Turris Octava, *la Torre del Greco* deleta penitus fuit. Iam plures anni erant, cum mons ignem per os sine vicinarum gentium damno quotannis emittebat, cum mense Iunio calor undique ita percrebuit, ut iam aliquid in natura futurum esse praedicaretur, At calor aerisque gravis occupatio usque eo crevit quoad tandem eiusdem diei nocte motus terrae auditus, eodemque temporis spatio magnus adeo crepitus e monte factus, ut exemplo per eiusdem latus ignivomum eructans amnem, ferrugineum bitumen, lapides, saxaque in Turrim Octavam ex improviso e monte irruerit, et ex ea urbe facto igneo flumine misere illam delerit, atque ad mare usque decurrerit. Postera vero die vix luce per tenebras emissa perquam horrendas per urbes vicinas erat ambulandum. Adeo cinis coelum undique offuderat! Mons vero horrendum per plures mu- Conflagratio anni MDCCXCIV.

giit dies, et terra quaquaversus adeo movebatur, ut Neapolitani praesertim mortem cernerent praesentem. Haec igitur nostro aevo accidit conflagratio, cum aliae plures quotannis, ut ita dicam, eveniunt.

Attamen quis crederet, nunc mons placide quiescit, atque eversam urbem nunc nuper meliorem in statum e fundamentis cives excitarunt. Adeo insana hominum mens, qui ad propius semper periculum vitam tranquillam, quietamque agunt! Hinc maiores nostri huius montis ruinas, periculum, et ignem animadvertentes, lapidem illum apud Porticensem villam secus viam publicam collocarunt post horrendam eructionem anni MDCXXXI. qui incipit: *Posteri, posteri, vestra res agitur etc.* At stultum est homines monere, ut cecinit vates Venusinus lib. I. Od. 3 v. 25

. . . . . Audax omnia perpeti
Gens humana, ruit per vetitum nefas.

Humanum nihilominus genus semper audax regionis huius heic vitam tranquillam agit, eaque loca homines peranxie ad incolendum, rusticandumque expetunt.

Vulcaniese materiae. Pauca addam de Vesuvianis materiis: illae enim quae usque modo ex Vesuvii visceribus prodiere (hasce nostrates *Lave* lingua patria appellant, quia veluti aqua decurrens ignis esse videtur) ferri liquefacti, sive fusi imaginem praeseferunt externe, sed intrinsecus haec materies variarum rerum est commixtio. Cum haec vero ex Vesuvianis producitur fornacibus, tunc veluti fermentum aut mollis videtur massa. Ea vero lente decurrit, extenditurque per longum viae, qua patet: cum autem hoc ignis flumen refrigescit, tunc tenacissimarum materiarum mare velut apparet, cuius undae fluctusque sedantur. Hinc Mantuanus poeta sic de Ætna ad rem canit Æneid. III. v. 576.

Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam
Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa.

De Mephitibus Mephites plura efficiunt phoenomena oculis visu digna, quae quidem reperiuntur in subterraneis, et locis

illis, quae *Lave* appellantur. Hae vero nihil aliud sunt, quam terrae pestiferae exhalationes, seu vapores qui stomacho adhaerent, et capiti; hinc est ut vertiginem producant, et sint noxiae cum animantibus rationabilibus, et irrationabilibus, tum praecipue agris Vesuvio proximis. Hae tandem aerem saepe saepius infecerunt, pessimorumque morborum causa fuerunt. Hunc vero montem Vulcani Foro, seu Sulphurariae, et Ætnae respondere sentiunt physici: quoties enim Vesuvius vicinas comburit regiones, eodem tempore Ætna, Vulcanique Forum idem efficiunt.

Antequam manum de tabula, iuvat heic pauca appingere quoad veterum Christianorum circa vulcanos spectat opiniones. Et primum omnium dicendum est Ethnicos etiam antiquosque non solum Graecos, verum etiam Romanos credidisse, vulcanos loca fuisse, in quibus scelestorum animae detinebantur. Nonne Homerus ipse cecinit, gigantes olim bellum diis inferentes, postea sub ipsis montibus inclusos fuisse? Virgilius, Ovidius, aliique poetae idipsum passim edocent. Ab Ethnicis gradum faciamus ad Christianos. Cl. Mazochius tom. II. Kal. Neap. pag. 392 Diatribam texuit, in qua non inerudite probat, veteres Christianos, et ex ipsis doctiores, et religiosiores vulcanos Inferorum fauces esse arbitratos. Ad hanc rem demonstrandam Annalium Ecclesiasticorum, et quorundam Patrum affert auctoritates (1), quo id probet. Clarissimum auctorem secutus fuit Vir apprime eruditus Vetranius noster, qui in opere, quod inscripsit vernaculo sermone *Prodomo Vesuviano*, mascula eruditione id confirmat c. 6 qui hasce Christianorum opiniones usque ad

Veterum opiniones circa Vesuvium.

---

(1) Re sane vera Tertullianus cap. ult. de Poenitentia de Vesuviano igne verba faciens, *fumariolam quondam aeterni ignis* esse putavit. In eandem sententiam vadunt S. Petrus Damianus in epist. ad Desiderium Abbatem Cassinensem, aliique ex vetustis Patres.

nostram fere aetatem perdurasse narrat eo lem laudato capite, ubi praesertim describit anni MDCXXXI. eructationem, in qua plura evenere prodigia, quo tempore et horrenda passim per vicinos agros, atque loca Vesuvium circa variis induta formis monstra identidem apparuerunt; ex quibus arguit quodammodo veterum Christianorum opiniones cum nostra conformari aetate.

Quamata ex parte Vesuvius primis temporibus ignem evomuerit.

Ad calcem Cl. Ancorae opinionem addam, qui credit, Prospetto Storico d'Ercolano pag. 95 Vesuvium montem ante Titi eructionem, et etiam tunc ignem eo loco evomuisse, qui *monte di Somma* vocitatur; in cuius sententiam descendit Breislakius, Topograf. Fisica della Campania pag. 108 cum ante illud aevum hunc montem cum praesenti Vesuvio coniunctum fuisse opinatur: nam in ea parte, ait, quae dicitur *Marigliana*, qui vicus est Neapolim inter, et Nolam, adservari adhuc secus viam Regiam huius montis vulcanicas materias, quae *Lave* dicuntur. Eae quidem non ex alio effusae loco fuerunt, nisi ex parte montis Summae iam ex aevo nobis incognito. At Vetranius horum locorum accuratissimus investigator paucis abhinc annis mihi per literas respondit, ipsum etiam ante annum MDCCLXXIX. ivisse in ipsam Serai, et P. de la Torre sententiam, et quasi hoc idem existimasse. At post illud tempus, et praecipue post diligentissima pericula Cl. Hamiltonis Angli seipsum poenituisse quod ita credidisset. Hinc autumat Vesuvium materias eructasse ex ea parte, qua semper fuit usus. At ego existimo potius, utrumque montem Summensem nempe, et Vesuvium, sive fuerit unus cum alio in prima eiusdem origine coniunctus, sive non fuerit, ignem evomuisse ex omni qua patet parte: uterque enim mons, quaquaversus ignitas monstrat adhuc eructatas quondam materias, sive quae a Vesuvio ipso, sive quae a Summensi derivarint.

CAPUT VIII.

De Stabiis urbe; a quonam eversa: describuntur templa, et nova urbs: aquae minerales, lac Stabianum. Literae, et Granianum; sinus Stabiensis, et Petra Herculis.

Stabiae

Haud parum a Pompeiis adsurgebant Stabiae, quae urbs nobilis, non secus ac aliae Campaniae evaserunt. Hodiedum eandem urbem appellamus patria lingua *Castell' a Mare*, et *Castell' a Mare di Stabia*, non quia heic Stabiae sitae fuere, sed quia ab eo loco urbs parum dissita: ea enim fuit ubi nunc ad Granianum iter est, qui locus prope hodiernas est Stabias duo circiter milliaria. Ea urbs parum etiam distabat ab Æqua, et ad radices Aurei montis fuit sita, qui est ex Apenninorum catena. A Neapoli distabat XVI. M. P. et ad Campaniam Felicem quondam pertinuit. Haud procul ab iisdem Stabiis adsurgit mons Lactarius, aliique qui urbem satis umbrosam efficiunt. Pellegrinius Disc. II. paragr. 24 a Pelasgis (qui ex Sarno fluvio apud quem incoluerunt, quique sese Sarrastes dixerunt, a Virgilio Æneid. VII. commemorati postea Nuceriam condiderunt, ut infra dicemus) aedificatam fuisse autumat; eandemque Pompeios inter, et Surrentum in medio Neapolitano sinu positam certum est, quamvis de illa nullam mentionem faciat Strabo. Capacius, Dialoghi del Forastiere, Giorn. X. nullum opidi assignat situm, sed potius idem ac Tauraniam fuisse arbitratur.

Postquam Sylla Stabianos ex sua eiecit urbe, eandemque evertit belli Socialis tempore, opidani alio aufugere. Vbi vero nunc dicitur *Carmiano*, et *Varano* quondam antiquum opidum extitit. Perplura enim ibi antiquitatis monumenta fuerunt eruderata, uti statuae, tabulae, numismata, aedificia, aliaque id genus, et praesertim Amphitheatrum, ut ex ruderibus, atque schemate licet

coniectare apud Milantium de Stabiis Dissert. I. pag. 6. Hodiedum in eo loco, ubi huiusce aedificii arena erat, arbores, frugesque seminantur. Adhaec Stabiis Gymnasium fuit in postrema urbis parte, qua Pompeios itur, quodque conditum fuit eo loci, qui dicitur *Osteria del lapillo*; huius rudera multis abhinc annis effossa fuere. Apud Capacium Hist. Neapol. lib. II. c. 10 lapis extat Stabiis repertus, ex quo colligitur, quandam Lassam sacerdotem publicam Cereris, et Menelaum Decurionem ludos sui Duumviratus tempore edidisse cum Tauris, Pontariis, Pugilibus, Catervariis etc. Hinc collige, hanc urbem spectaculis celebrem evasisse, et Campaniae non incelebrem fuisse, cum Amphitheatrum, et Gymnasium habuerit.

Multi ex eruditis eandem a Vesuvianis flammis absorptam suut arbitrati, quod quidem falsum est existimandum. Si enim Plinianum textum prae manibus habuissent, prudenter collegissent, Syllam belli Socialis aevo, flammis ferroque illam delesse. En ut testatur praefatus auctor Hist. Nat. lib. III. c. 5 *Campano autem in agro Stabiae opidum fuere usque ad Pompeium, et L. Catonem Coss. pridie Kal. Maias: quo die L. Sylla Legatus belli Socialis id delevit, quod nunc in villam* (1) *abiit.* Ex hoc allato textu satis elucet, Stabianam urbem esse deletam, antequam Herculaneum, et Pompeii corruerint in prima conflagratione. At dicet aliquis: Plinius Iunior lib. VI. ep. 16 Tacito scribens sui avunculi horrendam tragoediam, illum divertisse narrat ad quendam suum amicum Pomponianum nomine, qui Stabiis aderat,

(1) Sunt qui putant, ex his Milantius Dissert. I. pag. 31. post illius urbis exdicium per L. Syllam actum, iam tunc plures villas pagosque conflatos fuisse. Hinc creditur, Literas, Granianum, Vicum Æquensem, et Angarim adsurrexisse, cum Stabiae deletae, atque incensae, et urbis cives alio aufugientes, hasce novas habitasse domos, sedesque.

cum accidit isthaec eructatio. Ergo falso existimandum, urbem a Sylla eversam; sed respondemus, hoc opidum fuisse restauratum aliqua in parte, quandoquidem multum post temporis intervallum altera huiusce evenit ruina, ac deinde et loci situ, et amoenitate illecti ditiores cives, necnon et Romani iidem Imperatores, ut arbitror, hanc urbem recte reaedificare potuerunt; idque magis confirmatur, ex eo quod rudera Stabianae urbis, quae iam in parte effossa fuere, manent integra, nullumque sane ostendunt detrimentum.

At quidquid id rei est, pro certo habemus, in hisce locis quasdam antiqui opidi reliquias eruderatas fuisse. Sunt enim qui narrant, quondam Herculis extitisse templum, idque confirmant ex aenea reperta statua: hoc templum etiam Plinius Hist. Natur. lib. XXXII. innuere videtur. Fuisse etiam Dianae fanum, ubi nunc est S. Francisci de Paula Ecclesia, et B. Mariae Virgini aedes dicata vulgo *di Pozzano*, confirmatur ex ara quadam rotunda e marmore ibidem reperta, in qua mirum in modum opere anaglyptico sculpta adservantur cervorum, canumque capita. Iani etiam fuit templum Stabiis, et proprie ubi adhuc ab indigenis vocitatur *Fajano*, nempe Iani fanum. Hoc effossum esse suo aevo narrat Milantius Dissert I. c. 9 illudque magnificum fuisse scribit, ut ex pluribus effossis rebus coniicere est. Inter alia narrat laudatus auctor eruderatum esse pavimentum tessellatum albo, nigroque variatum colore, et albos lapillos rhombi figuram praeseferentes: adhaec plures columnas, easque detruncatas, et fabricae partem latericio constructam opere: picturas etiam supra parietes sparsas adhuc coloribus. Fuere quoque eruderatae ex plumbo fistulae ad aquam ferendam ad sacrorum usum hisce characteribus: *Publii. Sabidii. Pollionis. praefecti. urbis*, qui templum fortassis a fundamentis erexit: necnon etiam urna marmorea duplici basi supposita, aliaque id genus quae idem Milantius fuse narrat ibidem. Aliud tandem templum Iovi Stygio, sive Plutoni dicatum esse liquet in eo loco,

Templa.

qui dicitur *La grotta di S. Biagio.* In subterraneo loco veteres cives huic numini sacra peragebant. Extat quoque Stabiis in sacello Parochialis Ecclesiae SS. Salvatoris cenotaphium piperninum ab eodem Milantio allatum Dissert. I. pag. 51. Hoc laudatus auctor fuisse olim repertum credit in eo sepulchro cuidam Perpennae collocatum, suoque aevo eruderatum in loco, qui ab indigenis *Pioppano* dicitur. Is enim narrat, cameram vidisse subterraneam, in qua ex marmore urna est reperta adhuc ossibus repleta, ad cuius cadaveris caput lucerna cretacea. Anno vero MDCCXXIX. prope S. Marci aedem effossae sunt quaedam subterraneae camerae, in quibus tres loculi ex tegulis conflati: in eorum uno repertus fuit aeneus nummus: adhaec disiectum fuit inter albos pumices vasculum lacrymatorium ex creta. Ex eodem auctore ibidem compertum habemus anno MDCCXLVIII. in eo loco, qui dicitur *Caperrina*, nempe a capite rivi, qui a vicinis descendit montibus, et proprie cui nomen villa Caii, vulgo *Valacaja* effossum fuisse cadaver in tumulo ex tegulis conflato: in unaquaque ex creta tegula impressum erat *D. M.* una tantum excepta, supra quam viri imago erat delineata.

Urbs nova

Nova urbs hodiedum adsurgit ad Aurei montis radices, vulgo *Monte Faito*, a fagis, quibus ille abundat, dicituque etiam *Monte S. Angelo* ab aedicula Divo Michaeli Archangelo dicata. Vrbs iure meritoque propter coeli clementiam, aeris salubritatem, fontium rivos, camporum foecunditatem, nemorum, ac silvarum fertilitatem marisque amoenitatem commendatur; hinc semper fuit in pretio, atque iugiter expetita. Cives aut mercaturae, aut piscatoriae arti sunt addicti; hinc est, ut opportunum exerceant cum vicinis gentibus commercium. Vrbs vero in sedem Episcopalem fuit evecta pluribus abhinc saeculis. Sunt qui arbitrantur, iam ab anno DCX. eandem suo Praesule fuisse decoratam. Vetustissimus memoratur S. Catellus fama, atque sanctitate conspicuus,

quém floruisse saeculo IX. erudité probat Milantius Dissert. IV. de S. Catello.

Hoc opidum iam ex Romanorum aevo propter variarum aquarum abundantiam celebratur. Et re sane vera Columella de Re Rust. lib. X. de iisdem sic canit : Aquae Minerales.

Fontibus et Stabiis celebres, et Vesvia rura.

et Plinius Hist. Natur. lib. XXXI. c. 2 de quadam Stabiana aqua sic scribit : *In Stabiano agro aqua, quae vocatur dimidia, calculosis medetur.* Hinc dubio procul ad nostram usque aetatem tot minerales aquae, fontesque memorantur, qui in hac urbe passim adsunt. Hic enim ager si Puteolanum, et Inarimen insulam e medio excipiamus, ceteris terrarum orbis partibus antecellere videtur. Primus igitur fons ab accolis dicitur *Acqua Rossa*, seu *Acqua Ferrata.* Haec aqua ad variorum aegrorum usum est utilis, et praecipue ad curandas contumaces viscerum obstructiones. Alter fons Stabiensis est ille qui vocatur *Acqua d' Acitosella*, utpote qui in aquam effluit acidulam, quaeque alba est, et subacido sapore, quaeque tandem prae ceteris vim habet ventriculum corroborandi, et enecandi vermes. Tertius fons est aquae mineralis in loco, cui nomen *il molino della Pace*; haec aqua communi vocabulo appellatur; *l' acqua fetente.* Eam aquam pluribus evellendis morbis esse aptam adnotat citatus saepe Milantius ibid. pag. 26. Eadem aestivo tempore non solum incolae, verum exteri etiam qui huc adveniunt, utuntur. Quartus fons dicitur Sulphureus, *l' acqua Sulfurea*: eadem scatet eo in loco, qui appellatur *D. Leonardo*, in hortis eiusdem domini prope Ecclesiam Carmelitarum. Haec aqua efficax est ad curandas aegritudines cutaneas ex salso humore derivantes, aliasque id genus. Quintus fons est omnium celeberrimus, qui scatet ad radices collis, supra quem adest S. Francisci de Paula Ecclesia: haec aqua dicitur *S. Maria di Pozzano.* Ad radices illius loci, et proprie ubi dicitur *Fajano*, effluit aqua isthaec lactei coloris, odorem praeseferens, veluti liquidi bituminis. Haec aqua utilis est ad expel-

lendos cutaneos morbos, et scabiem mundandam. Sunt et alii parvi fontes in agro Stabiensi, de quibus mentionem facit laudatus Milantius loco citato pag. 26.

Lac Stabiense. Lac Stabiense ab antiquis fuit maxime commendatum. Caelius de Methodo Med. lib. V. c. 12 narrat quendam aegritudine affectum lacte Stabiensi mirandum in modum fuisse sanatum. Hoc vero praeclarum et pretiosum lac ex vicino colligebatur monte Lactario, *Monte di Lettere*, qui urbi imminet. Procopius de Bello Goth. lib. IV. huiusce montis mentionem facit, cum narrat horrendum praelium inter Narsetis, et Theiae Gothorum Regis copias.. Hodiedum lac Stabiense etiam inter delicias habetur.

Litterae, et Granianum. Prope Stabias in Apenninorum catena supra collem adsunt Litterae, *Lettere*, quae urbs nomen a vicino fortasse Lactario monte usurpavit. Ea a Neapoli sexdecim distat milliaria. Sunt qui putant eandem ab Amalphitanis fuisse conditam. Saeculo decimo villa Stabiensis urbis erat, et est satis antiqua, eaque non ad Campaniam, sed ad Principatum pertinet Citeriorem, quae pars olim ad Irpinos pertinuit. Prope Literas adsurgit Granianum, vulgo *Gragnano*, haud procul a mari. Post eversam urbem Stabias illud fuit aedificatum. Agros habet propinquos mira fertilitate, et satis foecundos; celebratur eius vinum.

Sinus Stabianus. Pauca de Stabiensi sinu (1) dicemus. Totam eam partem, quae a Stabiis ad Pompeios protendebatur, olim mare fuisse creditur: quippe quod mare interius erat, et quasi (ut ita dicam) ad Vesuvii radices extendebatur. Assiduae conflagrationes adeo locorum faciem immutarunt, ut Stabiensem sinum omnino everterint. Quis enim neget,

---

(1) Hic totus sinus a Strabone lib. V. *Fretum Stabiense* dicitur, in coque adstabat Herculanense promontorium, quod propter assiduas conflagrationes fuit imminutum, et depressum: nunc ea pars dicitur *Capo d' Vncino*.

Pompeios olim urbem portum habuisse a ventis munitissimum? Et Sarnus ipse fluvius Sarrastes populos orientalis partis habitatores Stabiensis sinus irrorabat; hinc etiam compertum est, Sarnum quondam navigabilem fuisse, alveique faciem vertisse, et diminuisse.

In Stabiensi sinu est parva insula: haec olim dicta fuit Herculis petra, nunc *Rovigliano*, puta a vicino Herculaneo, aut ab aliqua Herculis aede. Alii putant, hanc Herculis petram a Plinio memoratam Hist. Natur. lib. XXXII c. 2 fuisse scopulum illum, quem nunc accolae appellant *Orlandi*, qui parum distat ab eo monte, qui in praesentiarum dicitur *Scrajo*. Supra eandem insulam olim extructum erat Monasterium ordinis S. Benedicti cum Ecclesia S. Mariae Virginis. Nunc parvus est scopulus, qui munitam habet arcem ad Stabiensis maris tutelam. Sunt qui credunt, quondam hanc insulam in alto fuisse mari, et maiorem illa quae nunc est. Ita etiam sentit Milantius Dissert. I. pag. 31 qui narrat eandem ante primam Vesuvianam eructationem longe a terra fuisse dissitam; nam tunc ad Pompeios usque mare protendebatur, ut paulo ante diximus. Id etiam colligere est ex Strabone lib. V. qui Pompeios appellat *comune navale Nolae, et Nuceriae*, utque tandem ex Plinio videre est lib. VI. epist. 16. Herculis petra.

CAPUT IX.

De urbe Nuceria, de Æqua, de Massa Æquana, de Surrento, de Pollii Surrentini villa, de Atheneo Surrentino, de Massa Lubrensi, et de insulis Sirenusis. Tandem perquiritur utrum Apenninorum catena a Minervae promontorio ad Salerni prope oram fuerit olim insula.

Ad Sarni oram ponit agrum Nucerinum Plinius, et ipsam urbem Nuceriam novem M. P. a mari dissitam. Diodorus Siculus lib. XIX. hanc urbem appellat Nuce- Nuceria.

riam Alphaternam. Cluerius Ital. Antiq. lib. IV. c. 5 recte ait, hanc Alphaternam dictam ad *Nuceriae Camellariae* discrimen, quae erat in Vmbria. Servius in Virgilii Æn. VII. v. 738 Sarrastes (1) populos hanc urbem condidisse prodit. Videtur postea eos populos Nuceria dominatos esse, et aliis urbibus propinquis, quas iidem occuparunt: quamvis Mantuanus poeta loco supra citato huiusce gentis mentionem faciat, eamque in genere populos appellet:

. . . . Late iam tum ditione premebat
Sarrastes populos; et quae rigat aequora Sarnus.

Romani temporis progressu huc Coloniam deduxerunt. Tacitus Annal. lib. XIII. c. 31 verba facit de Colonia Nucerina. Patavinus vero auctor lib. XXIII. c. 15 narrat secundo Punico bello, Hannibalem Neapolim perrexisse, quo urbem haberet maritimam, in quam haud admissum, Nuceriam petiisse. Ipsa obsidione cincta est, et aliquando post fame capta. Hinc pactus, ut inermes cives cum singulis abirent vestimentis; illis qui vellent manere, honores, et praemia proposuit. Nulli civi potuit id persuadere. Hinc omnes urbe egrediuntur, Neapolim, Nolamque petentes. Inter alios XXX. senatores Capuam abeuntes, expelluntur, qui Cumas tandem se contulerunt. Sic inde opidum direptum, et incensum fuit, et praeda militi data est.

Haec urbs postea reaedificata, et rursus habitata fuit. Tandem paulatim decidit, et eversa fuit post Romani Imperii lapsum, quo tempore Barbari Italiam populati fuere.

---

(1) Negari haud quidem potest, quin Nuceria ad Irpinos olim pertinuerit, quae nunc pars est Principatus Citerioris; auctores enim ad unum omnes Irpinis eandem tribuunt, si unum Servium excipiamus, qui ipsam urbem Campaniae assignat: verum enimvero ne quis miretur, si in ipsam nos Servii sententiam descendimus, cum iam nobis est persuasum, haud illam ad Campaniam pertinuisse; sed cum non longius ab illa aderamus, ut aliquid de ipsa quoque adiunxissemus, necessum fuit,

Adhaec temporis longaevitas nullam posteris reliquit memoriam.

In Stabiensi sinu adsurgebat olim alia urbs, cuius nullum in praesentiarum restat vestigium: ea est Æqua, quam nunc appellamus *Vico Equense*. Cur hoc ipsam nomine veteres vocarint, incertum profecto est, quamvis nonnulli ab Æquis, vel Æquicolis huc Coloniam transferentibus dictam autumarint. Silius Italicus lib. V. eandem memorat hoc modo: Æqua.

. . . . . *Felicia Baccho Æquana, et zephyro Surrentum molle salubri.*

Non procul ab Æqua inter Surrentum nempe, et Stabias adsurrexit parvus vicus saeculo undecimo dictus Massa Æquana, apud quem vicum plura restant vetustarum fabricarum rudera, quae ad urbem quondam pertinuerunt Æqnam. Sequiori vero aevo mutato nomine Vici nomen usurpavit. Vicus autem nihil aliud designat, quam frequentem quandam aedium, ac villarum erectarum coacervationem pro vicinis agris colendis. Anno demum MCCC. in Episcopalem sedem fuit evecta a Carolo II Andegavensi, qui novam hanc urbem excitavit, et villam heic possedit. Hodiedum nova urbs dicitur vicus Æquensis ab eversa olim Æqua, differtque a Liternino vico, *vico di Pantano*, de quo infra occurret mentio. Massa Æquana.

In eadem etiam Apenninorum catena adsurgebat Surrentum. Ea urbs adest e regione Neapolis, ab eadem XVI. M. P. circiter dissita. Haec vetustissima inter alias Campaniae aestimatur, de qua quidem auctores nonnulli fabulas enarrarunt, quoad illius aedificationem, quasque nos insipidulis, et male cerebrosis hominibus relinquimus. Quidam autem Campanorum, alii vero Picentinorum hoc opidum crediderunt: at ego probabilius existimo, illud ab iisdem ipsis conditum, qui Palladis, seu Minervae templum excitarunt haud procul ab hoc litore. Surrentum.

Nihil vero illo coelo mollius, et amoenius fuit quovis tempore: aer enim ibi perquam mitis, atque dulcis; vicini colles adeo sunt peramoeni, ut oculus ibidem na-

turae magnificentiam attonitus adspiciat. Propinquum mare piscibus abundat exquisitis. Hinc haud mirum est, si olim urbs isthaec, et vicina loca fuerint vel maxime expetita. Romani praesertim ea adamarunt, ibique Coloniam deduxerunt, ut est apud Frontinum lib. de Col.

Olim in hac urbe plura fuere templa; prae ceteris memoratur illud Herculis, Dianae, Neptuni, Apollinis, aliorumque deorum, uti ex quibusdam statuis vetustis eruderatis coniicere licet. Fuisse etiam Circaeum fanum certum est ex ruinis, quas iam suo aevo adhuc existere tradit Giannattasius Autumn. Surrent. c. 2. Romani praeterea aquaeductum, aliasque fabricas passim condidere. Nihil heic memorem Surrentinum vinum, quod maxime a poetis commendatur, et praecipue a Sulmonensi vate Metamorph. lib. XV. v. 706. Strabo etiam lib. V. Geogr. et Martialis lib. XIV Epigr. 110 verba faciunt.

Post Romani Imperii lapsum haec urbs plures passa est vices; primum enim Barbari Italiam vastantes ipsa sunt potiti. Langobardi tunc tota dominabantur Italia praeter paucas urbes, quae adhuc sub Graecorum supererant potestate. Erecto deinde Beneventano Ducatu, Rodoaldus Beneventi Dux, ut morientibus Graecorum rebus adversaretur, cum exercitu ad Surrentum adpropinquavit, quo obsidione urbem cingeret: ea enim ad Graecos tum pertinebat. Videsis Vghellium Ital. Sacra tom. VI. pag. 600. Postea in Ducatum fuit conversa, quod accidit Caeserum orientalium aevo, nempe circa annum DCXL. eiusque dominium extendebatur a Stabiis ad Massam usque Lubrensem, uti coniectat Anastasius Antiqq. Surrent. lib. I. c. 7 Ea tandem direptionem, ingentemque a Barbaris cladem passa est anno MDLVIII.

Villa Pollii Surrentini.

Celebris apud Surrentum Pollii restat memoria, ubi Statius nostras ea describit loca, et praesertim villam, ac eiusdem domum, ubi tot lusus, tot plausus, quin imo tot auri, argentique profudit pondera Romanus hic eques, qui ex urbe recedens, huc secessit, quo Epicureorum more duceret vitam. Restat adhuc memoria

in eo loco, qui dicitur *Puola*, ubi nunc eiusdem supersunt monumenta, et praecipue balnearum vestigia a Statio memorata Silv. lib. III. carm. I. v. 100. Anastasius lib. II. c. 11 hunc Romanum equitem narrat duo heic templa aedificasse, Herculi unum cum parvo portu, ubi nunc dicitur *Portiglione*: Neptuno alterum prope suam villam ex ea parte Surrentini promontorii, cui nomen *Capo Scutoli*.

Athenaeum Surrentinum.

Non longe ab urbe iam descripta quondam adsurgebat celebre Athenaeum, quod memorat Strabo lib. V. Geogr. quodque erectum fuisse creditur sub Promontorio Praenusso ab Vlysse, quamvis alii ab Atticis Cumanae urbis tempore autumant. Hoc vero templum Dorico ordine constructum fuisse narrat historia Atheniensi simillimum, conditumque Periclis oratoris aevo supra collem eiusdem Athenaeum ab Atticis architectis Stymio, et Calligrane. At quomodocumque sit, illud pro certo habetur, sub promontorio olim Praenusso conditum fuisse Athenaeum istud, quod per plura stetit saecula, quodque etiam memorat Seneca epist. 77. In hoc templo Tyrrheni maris navitae deae libare solebant: de eodem Statius Silv. III. c. 2. v. 23 navigantes olim tradit per hoc mare deae libamina fecisse, quo tutae ipsorum faveret navigationi. Giannattasius Autumn. Surrent. lib. I. c. 4 huiusce templi facit mentionem.

Massa Lubrensis.

Supra eosdem montes, ubi Surrentum est, adsurgit aliud opidum, quod olim dicebatur Massa Lubrensis, *Massa di Sorrento*, puta a vicino Palladis delubro. Hoc iuxta Capacium Hist. Neap. lib. I. c. 4 nomen accepit a Neronis quodam liberto, cuius meminit Plinius lib. II. epist. Macrino scribens, cui nomen Bebius Massa, qui ibidem villam habuit sumptuosam; hunc etiam memorat Iuvenalis Satyr. I. v. 36. At Grimaldius, Annali del Regno di Nap. epoc. II. autumat hoc nomen eidem datum urbi posteriori aevo, idque nonnisi medio, cum Minervae delubrum in *massam* fuit redactum; idest in villarum, atque domorum collectionem ad rusticorum

usum, unde postea *Massa Lubrensis* appellata. Idque evenisse ait etiam Massae Æquanae, ut ante diximus, quae ab urbe Æqua iam eversa coaluit.

Hodiedum haec urbs in pulcherrimo terrae loco est posita super mare Neapolim spectans. Eius ager fertilissimus est, et fructus, atque oleum producit exquisitum. Anno MCL. opidum fuit eversum, atque rursus aedificatum, et anno MDLVIII. a Turcis fuit excisum, et horrendum subiit fatum. Post id temporis intervallum, ut contra Barbaros, qui saepe haec expetebant litora, praesidium haberet munitum, passim turres aedificatae fuere. Hinc Pulcharellius lib. III Eleg. II. eam urbem Turritam vocat.

Insulae Sirenusae.

Prope Massam Lubrensem extra Minervae promontorium, vulgo *Stretto della Campanella*, ex ea parte quae Posidonianum spectat sinum, et a Capreis non procul adsunt quaedam parvae insulae, quarum prima salutatur *Gallo*, altera *S. Pietro* cum quibusdam aliis propinquis scopulis. Ex antiquis scriptoribus quidam eas prope Siciliam iuxta Pelori promontorium ponunt. Sed Aristoteles illas Capreas prope sitas esse scribit de Mirabil. lib. IV. huic adsentit etiam Strabo lib. V. Martorellius, Colon. Fenic. pag. 108 Homeri, et Cluerii Ital. ant. lib. IV. c. 3 auctoritate, Sirenes non hisce in insulis fuisse, verum apud Capreas arbitratur. Homerus enim Οδυσσ. μ. v. 167 ubi Vlyssis errores, et loca circa Circaeum promontorium, et Puteolanum describit agrum, Capreas insulam Σειρηνοιιν νῆσον hanc appellat, quae iuxta citatum Martorellium non Pontia, aut alia insula in alio sita fuit mari, sed Capreae. Cluerius Ital. antiq. lib. VI. hanc auctoritatem eo modo confirmat: *Ea nulla alia potest esse, quam quae .... ante Minervae promontorium sita, alio nomine dicta est Capreae.* Falsum igitur est illud, quod a quibusdam asseritur scriptoribus, Sirenes apud Surrentum fuisse, qui hanc vocem a Sirenibus fecerunt: nam clarissime Homerus insulam, non continentem appellat tellurem Sirenum habitationem

His omnibus haud obstantibus Plinii Hist. Natur. lib. III. c. 5. et Statii Silv. lib. II. car. 2 adsunt auctoritates, ex quibus colligitur, Sirenum sedes in proximo Surrentino promontorio esse quaerendas. At haec scriptorum discrepantia nullam parere debet admirationem, cum ea loca inter se parum distantia, Sirenibus habitationem aliquando subministrare potuerint.

Vtrum Apenninorum catena a Minervae promontorio ad Salerni prope oram fuerit olim insula.

Antequam manum de tabula, unum dicendum restat. Cl. Pelliccia, in opere, quod inscripsit *Sull' ultimo ramo degli Apennini* solidis probare nititur argumentis, totam oram, quae nunc peninsulam efficit, quae alluitur ab oriente a sinu Paestano, seu Posidoniano, a septentrione a cratere Neapolitano, in primaeva terrarum orbis origine nihil aliud fuisse, quam insulam. Et re sane vera citatus auctor arbitratur, mare a remotissimis mundi primordiis ad Nucerinos usque montes, Picentinosque (ubi nunc tellus undequaque circumspicitur) pervenisse. Hinc probat, hanc terrarum partem servare adhuc nostris temporibus antiqua vestigia, arenas nempe; montesque tufaceos a mari fuisse qnondam cinctos: idque probat Homeri, aliorumque vetustissimorum auctorum testimonio. Fuerit ne verum docti huius auctoris argumentum, necne, eruditis id physicis expendendum relinquimus, qui loca isthaec exanimi subiicere facile possent. Nos interim eruditi Pellicciae hoc audax admiramur excogitatum.

Atque haec satis superque sint de iis quae ad secundum spectant librum.

Explicit liber secundus.

LIBER TERTIUS.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

Hactenus de rebus antiquis, quae ad universam Campaniam, atque ad singula cum vetera, tum recentia pertinent opida, breviter et pro viribus verba fecimus: rei nunc ratio postulat, ut de urbe Neapoli sermonem instituamus; opus sane laboriosum, et non parvi momenti, quandoquidem haec urbs, cui natura rerum omnium dona elargita est, non ultimum tenuit locum inter antiquas Campaniae praeclaras urbes, et nobilissima inter ceteras alias Italas Graecas fuit aestimata. Quamobrem apposite cecinit, Hieronymus Angerianus:

Fons, mare, lympha, lacus, mons, horti, balnea, campi,
Flumina sunt una haec nomine Parthenope.

Hinc etiam Ioannes Antonius Campanus lib. I. epist. 8 etiam de Neapoli scripsit hoc modo: Neapolis una est totius Italiae civitas abundantissima marinis opportunitatibus, et soli beatitudine, ut qui eius urbis delectatione non capiatur, ceteras possit reliquae Italiae fastidire.

Tot vero antiqua eius aedificia publica, et privata, quorum adhuc in quibusdam urbis locis supersunt rudera, illius magnificentiam commostrant. Maiores nostri Phoenicia primum (uti narrant plerique patrii scriptores) ac postea Graia origine derivati, in hosce amoenos florentesque colles ab Athenis, Corintho, Alexandria, aliisque eximiis Graecis opidis praecipuas artes, atque usus convectarunt. Hinc ad commercium cum vicinis populis, et Romanis praesertim augendum, magna et celeberrima itinera per

montes, qua perfossos, qua depressos aperuere. Temporis progressu Romani ipsimet, Consules, Imperatores urbis amoenitate illecti, ampla aedificia publica, et privata, turres, moenia, theatra, templa, circum, gymnasium, porticus in illa quam magnis sumptibus condidere. De tantis autem rebus quid nunc superest? vix rerum memoria, et quaedam rudera sub immensis nuperis aedificiis. Ea vero antiquissima ut est, tot rerum vices passa est, ut profecto se perdat historia in tantis rerum involucris. His omnibus addendum, ea urbe fuisse delectatas tot nationes, quot olim in Italiam ex ultimis mundi oris (ut ita dicam) advectarunt. Ex his Barbari praecipue adnumerantur, qui iterum atque iterum huc advenere, quique tot clades, atque ruinas miserae intulere urbi, et non semel, sed pluries eam igne concremarunt; unde factum est, ut de magnificis vetustis monumentis nihil aliud nobis prodiderint, quam aegre miseram recordutionem.

Grates interim agendae nostris patriis scriptoribus, qui singula nobis rerum antiquarum monumenta descripsere Ex his qui historiam memoriae prodidere, praecipui fuerunt Iordanus, Summontius, Capacius, Tutinus, Celanus, aliique. Quamvis iidem ad ravim usque dixerint, tamen nos apis veluti argumentosa flores degustantes, in hoc opere alia appingemus, quaeque certiora erunt de Neapolitana historia, dicemus. Ne longius igitur progrediamur, quantum in nobis situm erit, et quoad ferent vires, adiuvante Deo O. M. singula minutatim describemus.

CAPUT I.

Vrbis Neapolis deliciae describuntur: de Sebetho fluvio, deque Neapolitanae urbis origine: disquiritur quaenam fuerit Parthenopes Siren.

Vrbis deliciae. Vrbs Neapolis alias Europae urbes fortasse antecellit. Cum enim Italia ab antiquis semper habita fuerit totius Europae praestantissima, atque omnium nationum dominatrix ob scientiarum, artium, ceterarumque rerum gloriam, ut merito *Paradisus*, et Europae *Hortus* audierit; urbs Neapolis, quae longe superat omnes Italiae ceteras regiones, Europae totius *Ocellus est* existimanda. Sed eam propius inspiciamus. Foecundi colles eam amplectuntur, illamque a ventis defendunt septentrionalibus: aeris vero amoenitas quae ubique regnat, heic purior expirat; haec patria zephyrorum est: hic coelum serenum undique apparet, et dulce ver suo florenti odore quaquaversus dulcem, suavemque spargit amoenitatem. Limpidi rivuli per amoenos decurrunt colles; et laetus colonus dulcisono cantu solatur in agris rusticolas; volucresque aerem suo concentu iugiter demulcent. In eius igitur florentibus agris pulchritudo, suavitas, lusus, iocusque regnat perennis. Merito igitur veteres olim Romani (1) hasce plagas quaeritabant, atque tot pulcher-

(1) Et re sane vera haec urbs tam eximia evasit ob nobilium Romanorum frequentiam, ut Cicero de hac re disserens sic scripserit pro Rabirio c. 10. *Deliciarum causa, et voluptatis non modo cives Romanos, sed et nobiles adolescentes, et quosdam etiam senatores summo loco natos, non in hortis, aut suburbanis suis, sed Neapoli in celeberrimo opido cum mitella saepe videmus.* Hinc etiam suo aevo Statius Silv. lib. V. carm. III. v. 176 et seqq. parentem suum innumeros proceres Neapolitanos in ea urbe docuisse canit. Et Strabo lib. V. Geogr. scribit Romanorum nonnullos tranquillo vitae genere gaudentes Neapo-

rimos hortos, et villas aedificabant ubique. Haec igitur sedes, locusque fuit omnium voluptatum.

Vna igitur Parthenopes celeberrima fuit omni aevo; eam ad unum omnes commendarunt scriptores: et ut praeteream alios sexcentos, en ut Cassiodorus lib. VI. Variar. c. 22 de eadem emphatice verba facit: *Vrbs ornata multitudine civium, abundans marinis terrenisque deliciis, ut dulcissimam ibidem te vitam invenisse diiudices, si nullis amaritudinibus miscearis. Praetoria tua officia replent, militum turba custodit: considis gemmatum tribunal . . . . praeterea litora usque ad praefinitum locum tua iussione custodis.*

Neapolitanae urbis situs amphitheatrum esse videtur super Craterem (1) Neapolitanum, qui a Capreis clausus

---

li vitam duxisse. Vbi vide quaeso, non solum in hanc urbem Romanos concurrisse frequentes nobiles, sed etiam illam bonarum artium optimam parentem, et magistram fuisse.

(1) Crater Neapolitanus vulgo *Golfo di Napoli* nomen accepit a Graeca voce Κρατήρ, *vas* in libationibus, atque epulis adhiberi solitum; et quia eius forma rotunda est, Crateris inde nomen usurpavit.

Sinus hic vetustissimis temporibus initium sumebat a promontorio Praenusso, *Stretto della Campanella* iuxta Strabonem lib. V. pag. 247 et extendebatur ad Misenense usque promontorium. In hoc quidem loco (ut idem narrat) tantae erant urbes, villae, atque aedificia sparsa undique, ut potius urbs una esse videretur.

In hac quidem Apenninorum catena adsurgebat olim Delubrum Minervae dicatum, circa quod plures aderant Graecorum Atticorum habitationes, quae utrumque mare supra promontorium respiciebant. Hinc urbes sequebantur Surrentum, Æqua, et Stabiae: post sinum Stabiensem erant celebres urbes prope Sarnum flumen, Pompeii, Herculaneum, et villa Retinensis. Hinc ad mare etiam Neapolim versus erant Q. Pontii, et Leucopetrae villae; ultra Sebethum adsurgebat Parthenopes: ad Echiae promontorii radices antrum aderat Dei Mithrae, et Serapidis templum ad cryptas Platamonias. Post Olimpycam plagam erat

esse videtur: quae insula ad meridiem locata a Neapoli XXX circiter M. P. distat. Neapolitanus Crater LXXII. M. P. a promontorio Minervae ad extremum Pausilypi promontorii circuitum habet. Sebhetus perantiquus Campaniae fluvius aquis pauper, fama dives Neapolis moenia praeterlabitur, quamvis nonnullis abhinc saeculis per quosdam fluitat rivolos. Et quandoquidem de Sebetho mentionem fecimus, iuvat heic loci nonnulla enucleare.

Sebethus. Omnium primum animadvertendum arbitror, fluvium, quem vulgo incolae dicunt *Sebeto*, quique Neapolim prope decurrit in loco, quem patria lingua vocitamus *Ponte della Maddalena*, esse unum e Sebethi alveis, quamvis antiqui amnis cursus omnino fuit deperditus. Hinc etiam illam Sebethi partem quidam Rubeolum (1) appellarunt. Celeberrimus apud veteres fuit, illumque prope Neapolim decurrisse fama est: at praestat videre, utrum Neapolis posita fuerit eo loco, in quo nunc est. Vetustae urbis situs (ut inferius dicemus) supra colles erat, ut supra S. Agnelli, et S. Severini clivos (2).

Plures vero patrii scriptores asserunt, Sebethum prope Neapolitanà excurrisse moenia, quibus haud adsentior. Graecorum, et Romanorum aevo fluvius iste aliquantulum ab urbe distabat, cum vetustum opidum in

---

Ermicum promontorium cum Pausilypano supra quod plures erant villae, ut illa Vedii Pollionis, Luculli, aliorumque nobilium Romanorum. Hinc Puteoli, Baiae, et Misenense promontorium cum adiacentibus insulis Inarimi, et Pithecusa.

(1) Cl. Iustinianus in Diction. Fluminum etc. artic. *Sebeto* evidenter probat, hunc fluvium in Chartis Medii Ævi *Rubeolum* appellari ab huiusce fluvii aliquo rivulo. Celanus, Giorn. IV. hoc etiam nomine illum vocat.

(2) Haud procul ab hoc loco, et proprie ubi sunt PP. Casinatium horti, et prope SS. Severini, et Sosii templum, pluribus abhinc annis repertae fuere plures vetustae fabricae ruinae: quas intra balneum vetustissimum cum sepulchrali lapide, quem affert Antoninius in Lucania illustrata, Dissert. VIII, in quo fit mentio cuiusdam Claudiae Antoniae.

collibus situm esset, ut advertimus. Nec vero aliis credendum, qui scribunt, totas easdem aquarum scatebras, quae nunc Monteronem prope decurrunt, Sebethum fuisse, cum eae aquae longe distent a Sebetho. Quod si vero aquae rivulus per subterraneos meatus prope locum illum fluitat, vulgo *S. Rosa dell' Arte della Lana* ad radices S. Severini, hic quidem omnino a Sebetho differt. Sunt etiam qui scribunt huiusce Sebethi duos nunc extare rivulos per tectos urbis alveos decurrentes. Horum primus est ille qui dicitur *il Bollo dell' Annunziata*: alter est ille *S. Petri Martyris*. Cl. Vetranius Sebeth. Vindic. c. 4 in hanc descendit sententiam: at Iustinianus, Dizion. del Regno di Nap. artic. Napoli, omnino id negat.

Fuisse vero Sebethum fama nobilem confirmat veterum Neapolitanorum erga eundem religio. Prostat hinc vetusta epigraphes, ex qua quendam Eutychum patrio Sebetho aediculam posuisse liquet: *P. Maevius. Eutychus. aediculam. restituit. Sebetho.* Veteres utpote superstitiosi fluvios omnes Deos effecere: quin et sacra, atque lucos patriis dedicarunt amnibus. Nymphas insuper Sebethum filias sub Sebethidum nomine habuisse docet Mantuanus vates Æn. VII. v. 733

Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Oebale, quem generasse Telon Sebethide nympha
Fertur, Teleboum Capreas cum regna teneret
Iam senior.

Huiusce fluvii mentionem etiam facit Statius Silv. lib. I. car. 2 v. 260. Praeter alios meminere Columella De Cult. Hort. lib. V. aliique. Sebethum esse magnum celebremque amnem arbitrabatur Boccaccius: hinc Neapolim perveniens, illumque adspectans, stupefactus exclamavit: *Minuit sua praesentia famam.* Inde hodiedum salutatur: *Ricco di fama sei, povero d' onde.*

Opinio insuper extitit omnium non solum nunc temporis, verum etiam antiquorum auctorum, Sebethi sca-

tebras, fontesque êsse in Vesuvianis (1) caveis, quae septentrionem spectant. Ex antiquis adnumeratur Ioannes Villanus Chron. c. 17 quem secuti sunt Sanfelicius Iunior in adnotat. Sanfelicii Senioris adnot. 171, Celanus Giorn. IV. et Summontius lib. I. c. 19.

Nonnulla alia de Sebetho addidissem, haud nisi maioris momenti res superessent. Plura si quis cupit, Cl. Vetranium adeat Virum apprime eruditum in omnibus, et antiquitatis praesertim cum Grecae, tum Latinae quam maxime amatorem. Is praaclarissimum exaravit opus cui titulus: *Sebethi Vindiciae* contra Martorellium insanientem, qui Lycophronis antiquissimi poetae nisus auctoritate de Parthenopis fato canens ait, Clanium fluvium prope Neapolim esse, et excurrisse prope urbis moenia. Martorellius Theca Calam. tom. I. pag. 168 Graeci vatis patrocinium suscipit, confirmatque Sebethum nunquam prope Neapolim fluitasse, *et ipsum esse aquarum indigentissimum rivulum, et veteribus vix notum.*

Neapolitanae urbis origo.

Neapolitanae vero urbis origo est tam vetusta, ut in fabularum obscuritate sepeliatur antiquitatis. Veteres enim auctores duas esse Colonias quondam Neapolim advectas, Cumaeam unam, Atticam alteram scriptitarunt. At Martorellius, Colon. Fenic. tom. 1 pag. 84 Phoenicium (2)

---

(1) Negari haud potest iuxta Vetranium in Sebethi Vindic. c. 7 huius fontes esse partim in Vesuvianis caveis, partim in Atellae, Suessulae, et Acerrarum paludibus, partim etiam quae proveniunt ex Nolanis, et Abellanis agris.

(2) Antequam videamus quisnam urbis fuerit conditor, disquirendum heic est, utrum Phoenices olim Italiam incoluerint. Doctissimus Bochartus de Colon. Phaleg. lib. 1 c. 27 et 28 aliique scriptores haud ignari Phoenices, sive Chananaeos primum Europam, inde partes alias, et praecipue nostram incoluisse Italiam, et Siciliam sunt arbitrati. Qui quidem auctores ex duobus, vel tribus veterum scriptorum testimoniis hosce Phoenices nostras habitasse regiones autumarunt. Thucidides qui vixit annos CCCCLXXV. ante Christum lib. VI num. 2 de iisdem gentibus facit mentionem, et Pausanias qui altero post

Coloniam Parthenopem condidisse narrat. Constat vero sub Hippoclis, et Megasthenis auspiciis olim in Italiam adventasse Cumaeam Coloniam, atque hinc apud Misenum aliquid constitisse tempus, et a Miseno postea Neapolim adnavigasse, quo hanc urbem aedificaret. At censet Martorellius, Coloniam illam Neapolim advenientem ex Euboea insula navigasse, idque Livii, et Patereuli probat auctoritate.

Hoc opidum Parthenopes (1) primum dictitatum;

Christum saeculo Antonino imperante floruit, de Phoenicibus etiam agit. Praetereo Tyriorum epistolam Puteolanorum, quam affert Cl. Ignarra de Palaestra Neapol. ubi agit de Buthysiae agone pag. 280.

(1) Parthenopes non fuit Eumeli filia. Negandum haud est, quin Homerus Eumeli faciat mentionem, sed nullam ei filiam Parthenopen nomine tribuit. Strabo nullum eidem etiam parentem assignat. Falsum vero est quod a quibusdam memoriae proditur, Parthenopen urbem condidisse, sed potius Cumanos illius fundamenta iecisse affirmamus. Hanc gentem (eaque altera Colonia, dum prima Phoenicium fuit iuxta Martorellium) ex Euboea insula in Italiam advectam esse, Cumas condidisse, posteaque Neapolim tradunt vetusti auctores Megasthene, et Hippocle ducibus. En ut Velleius Paterculus inter ceteros id testatur lib. I c. 4. *Nec multo post Chalcidenses orti, ut praediximus, Atticis Hippocle, et Megasthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt . . . . . pars horum civium magno post intervallo Neapolim condidit.* At concedamus Parthenopem Eumeli filiam fuisse, urbemque aedificasse, eamque maria, et litora errantem in Italiam tandem advectam, ibique sedem fixisse: ego interim quaero, ut mihi auctoritates depromant, ex quibus id arguatur. Adhaec si verus fuisset ad nostra litora Parthenopis adventus, profecto ex Graiorum traditionibus, ad nos usque fuisset res tradita, sicut ex Paterculi adducta liquet auctoritate, quod Cumani Megasthene, Hippocleque ducibus Neapolim condiderint: ita etiam Parthenopis Eumeli filiae adventum commemorassent auctores; hinc nulla istius adest auctoritas, ex qua id probari liquido possit. Concludendum igitur, falsum esse quod ipsa Neapolis fundamina iecerit.

At dicet fortasse aliquis: quaenam ergo haec, quandoqui-

hinc fama est, quandam fuisse nobilem mulierem, quam

---

dem nec Lumeli filia, nec urbis fundatrix sit habenda. Auctores omnes ad unum, uti Strabo lib. V. Geogr. Lycophron v. 712, Plinius lib. III. c. 5, Silius lib. XII. Lutatius apud Philargirium ad Virgilii lib. IV Georg. aliique affirmant, fuisse e Sirenibus unam, quae olim apud Pelorum in Sicilia, et in Surrenti promontorio a Capreis haud procul incoluit. Iuxta vero Servium in Virgil. Æn. V. tres fuere Sirenes, Acheloi, et Calliopes filiae, quarum nomina Parthenope, Lygia, et Leucosia. Parthenope dicta est a Graeco Παρθένος, *virgo:* Lygaea, vel Lygia a Λυκὺς *sonorus*, vel a *ligando*, quod somno transeuntes alligaret nautas; Leucosia tandem a λευκὸς *albus*, vel a maris spuma, quae alba fit. Sirenes vero a Συρῶ, *traho*, quod incautos traherent navigantes. Harum una voce, tibiis altera, tertia cithara tam suaviter canebant, ut cantus dulcedine nautas sopirent, hinc demersos devorarent. Vlysses cum maria peragravit iuxta Homerianam narrationem, eo loci perveniens, ubi Sirenes incolebant, sociorum aures cera obturavit, ne illarum cantus audirent: navis malo alligatus ipse periculum effugit, atque inde Sirenes furore compulsae seipsas in mare praecipites dedere. Ita Ovidius Metamorph. lib. V. Silius lib. XII. aliique passim poetae fabulantur. Harum unaquaeque in alia pervenere loca. Parthenopes eo delata creditur, ubi postea condita fuit Neapolis, quae proinde et ipsa urbs Parthenopes fuit dictitata.

Postea vero quam fuit nostra Parthenopes in arce sua, quam condidit, ut nonnulli scribunt nostrorum, qui urbis antiquae dominam constituunt, e vita excessit, ac tumulata fuit in editiori urbis colle ad mare iuxta quosdam alios patrios auctores. Summontius Hist. Neapol. lib. I. c. 1. hoc Sirenis sepulchrum fuisse ait, ubi postea fuit *Porta Ventosa*, per quam ad mare ducebatur, et proprie ubi dicitur *Seggio di Porto*. Capacius vero Hist. Neap. lib. II. c. 6 haud heic situm fuisse Parthenopis sepulchrum, sed simul cum Pontano vult aedificatum in editiori urbis colle: cumque S. Ioannis Maioris collis sit minus procerus quam alii; hinc citati auctores eam conditam credunt in loco, ubi dicitur *Seggio Montagna*, qui collis reapse elatior est illo S. Ioannis. Celanus Giorn. I. templum hoc loco fuisse erectum ait, ubi nunc dicitur *S. Maria delle Grazie* apud S. Agnellum: hinc suo aevo adhuc templi partem fuisse scribit. In eiusdem sententiam vadit etiam Cl. Iustinianus *Memorie su i Sepolchri*, et Diction. Regni Neap. artic. Nap.

temporis progressu tamquam divam cives honore sunt prosecuti. At quidquid id rei est, illud pro certo habetur, Eumelum, et Parthenopen regionis huius ut deos praecipuos esse habitos. Ad hanc rem primum ostendendam vetusta haec prostat epigraphes:

ΕΥΜΗΛΟΝ . ΘΕΟΝ . ΠΑΤΡΩΟΝ
ΦΡΗΤΟΡΣΙΝ . ΕΥΜΗΛΕΙΔΩΝ
Τ . ΦΛΑΒΙΟΣ . ΠΙΟΣ
ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ . ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΣΥΝ . Τ. ΦΛΑΒΙΩΙ . ΠΙΩΙ
ΤΕΚΝΩΙ.

hoc est *Eumelo. deo. patrio. Phratria. Eumelidarum. T. Flavius. Phrontistes.* (idest curator) *posuit. cum. Tito. Flavio. filio.*

Eidem etiam Parthenopi maiores nostros templum dicasse narrat Strabo lib. V. Geogr. pag. 376. Hoc cum sepulchro adhuc extabat suo aevo: huic numini oraculi iussu gymnicum certamen celebrabatur.

Antequam alio progrediamur; iuvat advertere, quae scripsit Solinus Polysth. c. 2 de Neapoli: *Parthenope a Pharthenopis Sirenis sepulchro, quam Augustus postea Neapolim esse maluit.* Hic enim auctor hanc urbem autumat ab Augusto ita dictam, quod quidem falsum omnino est: nam ex Strabonis citato loco, aliorumque scriptorum testimoniis satis liquet, hanc urbem antea Neapolim vocitatam, et multo ante Augusti aevum. Videsis quae adnotavit doctissimus Salmasius in hunc locum.

Atque haec satis quoad Neapolitanae urbis originem, et Parthenopen spectat.

CAPUT II.

Cumani urbem Neapolim aedificant: variae Coloniae diversis temporibus urbem habuere: de Colonia Euboica, et Attica. Vtrum Palaepolis extiterit, et quo in loco sit ponenda.

Cumani urbem aedificant.

Veteres auctores urbem nomen non a Sirene, sed ab illius tumulo cepisse tradunt, ut inter alios scribit Plinius lib. III. c. 5. Lutatius antiquus Grammaticus apud Philargirium in Virgilii Georg. lib. IV. haec memoriae prodidit: *Cumanos incolas a parentibus digressos Parthenopem urbem condidisse, dictam a Parthenope Sirene.* Ex quo loco arguitur, urbem a Cumanis ortum, non vero a Sirene, vel ipsi subiecta gente habuisse. Cumanam vero gentem ex Euboea commigrantem insula super nostra litora multa patrasse ex Livio lib. VIII. c. 22 compertum habemus. Hinc factum, ut postquam novae urbis fundamina iecerint Cumani, plura evenerint, ut integra ruina, et eversio. En ut omnia narrat laudatus Lutatius loco citato: *Dictamque a Parthenope Sirene, cuiusque corpus, postquam ad locorum ubertatem, amoenitatemque magis coeptum sit, veritos* (Cumanos) *ne Cumaeam desererent, iniisse consilium Parthenopem diruendi.* At eo tempore peste ingravescente, alibi sedem figendam curarunt, cum Cumani oracula scitatum miserint, quo quid efficerent, scirent. Responsum ab oraculo est, ut rursus urbem conderent, eodemque reaedificarent loco, quod factum. En ut ex eodem liquet Lutatio: *Cumanos pestilentia affectos, ex oraculi responso urbem restituisse, sacraque Parthenope cum magna religione suscepisse: nomen autem Neapoli ob recentem restitutionem imposuisse.* Hinc nova urbs *Neapolis* dicta est a νέος, *novus*, et πόλις, urbs, nova scilicet urbs, quippe quod splendidius fuerit restituta.

Variae Coloniae diversis tempo-

Postea vero quam Cumani rursus urbem aedificarunt,

eoque Cumaea gens fuit introducta : hinc temporis progressu plures e Graecia Coloniae, aliisque locis proventes, urbem incoluerunt, illius amoenitate atque deliciis captae. Strabo libro V. praeter Chalcidenses, et Pithecusanos, etiam Athenienses, et Campanorum Coloniam in hanc urbem invectam fuisse scribit. Stephanus Byzantinus, Diction. Geogr. Rhodios etiam huc Coloniam advectasse tradit. Nonnullas alias veterem recepisse urbem Colonias ex aliis auctoribus liquido clarescit, ut quae Pisidia, Cilicia, Alexandria, Ægypto, et vicina Campania, et ipsa Italia, aliisque locis huc immigrarunt. Vide quaeso igitur, lector, humanae vitae certamen Parthenopen redactam iam ex vetustissimo sui primordii aevo; quot populi, quotque gentes aliae toto coelo ab aliis diversae eam incoluerunt! Verum enimvero ex hisce fuerunt, quae urbem publicis aedificiis nobilem reddidere, suumque cultum, atque deos introduxerunt. ribus urbem habuere.

Prima Colonia quae Neapolim pervenit, Phoenicium fuit, ut autumat Martorellius in Colon. Phoenic. Altera et haec praeclarior Cumanorum, qui ex Euboea insula profecti fuere ducibus Megasthene, et Hippocle Cumanis civibus, ut iam ex citatis auctoribus probavimus. Sunt qui scribunt, hosce Cumanos non ex Euboea insula, sed ex urbe vicina Cumis Puteolis haud procul advenisse, sed citatus Martorellius in Colon. Euboic. pag. 14 et seqq. hosce alteros colonos ex Euboea certissime huc pervenisse scribit, idque probat solidis Graecorum, et Latinorum scriptorum auctoritatibus. Inter alios Statius nostras qui canit Silv. lib. IV. c. 8. Colonia Euboea.

Dii patrii, quos auguriis super aequora magnis
Littus ad Ausonium evexit Abantia classis,
Tu ductor populi longe emigrantis, Apollo,
Cuius adhuc volucrem laeva cervice sedentem
Respiciens blande felix Eumelis adorat.

Haec classis, seu gens Abantia nulla alia profecto fuit, quam ea quae ex ipsa Euboea insula in nostra commigravit litora. Legesis Martorellium loco citato, qui Colonia Attica.

satis belle in hanc rem disseruit. Tertia Colonia Atheniensium, seu Atticorum fuit. Has igitur praefatas tres Colonias Neapolim diverso migrasse tempore, tutissimo confirmatur argumento. Martorellius idem in peculiari quadam Diatriba, cui titulus *Spiegazione d' un marmo Greco, nel quale si vede l' Attico modo di celebrar i giuochi Lampadici*, pag. 7 Neapolitanum affert nummum, eumque vetustissimum, in cuius antica facie Hebo deus repraesentatur bovina facie, promissaque barba, quod numen ab Eumelo Neapolim ducente Phoenicium Coloniam fuit introductum, ut diserte probat citatus auctor. Circa Hebonem legitur epigraphes Νεοπολιτων. In postica vero parte Apollonis adest figura, eaque Euboicam praesefert Coloniam, quae Hippocle, et Megasthene ducibus fuit introducta. Tertia Colonia per Dianam, seu Artemidem significatur, quae sedet supra Hebonis dorsum. Hanc enim Atheniensium Coloniam Neapolim advectam fuisse duce Mopsopo scribit idem auctor, Col. Attic. tom. III.

Vtrum Palaepolis extiterit, et quo in loco sit ponenda.

Iam diximus hanc vetustam urbem Parthenopis, Phaleri, et Neapolis nomine fuisse designatam; verum sunt qui arbitrantur, haud procul ab ea veteri fuisse antiquum opidum, idque haud incelebre nomine *Palaepolis*: at istud utrum extiterit, an non, et quo in loco, heic enucleandum censemus.

Nullus vetustos inter historiographos est, qui illius faciat mentionem, praeter unum Livium qui haec scribit lib. VIII. c. 22 *Palaepolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est: duabus urbibus populus idem habitabat. Cumis erant oriundi: Cumani vero ab Chalcide Euboica originem trahunt. Classe qua advecti ab domo fuerant multum in ora maris eius, quod accolunt, potuere. Primo in insulas Ænariam, et Pithecusas egressi, deinde in continentem ausi sedes transferre. Haec civitas cum suis viribus, tum Samnitium infida adversus Romanos societate freta . . . . . agrum Campanum, Falernumque incolentes fecit. Igitur Lucio Cornelio Lentulo, Q. Pu-*

blilio Philone iterum Coss. Faecialibus Palaepolim ad res repetendas missis, cum relatum esset a Graecis, gente lingua magis strenua, quam factis: ex auctoritate Patrum populus Palaepolitanis bellum fieri iussit. Quibus verbis recitatis liceat aliqua heic in medium afferre. Vrbs haec primum a Livio non procul Neapoli figitur, ipsumque populum eiusdem Cumanae gentis, atque originis heic habitare dicitur. Secundo bellum Palaepolitanis a Romanis infertur; tertio, ibi magistratus, et gubernamen non incelebre erat: ergo civitas quam maxime erat potens, quae bellum cum Romano gessit populo. Ipsa insuper non longe a Neapoli distabat: at quo in loco eiusdem Cumanae, sive Graiae originis opidum? alii alia e nostris patriis scriptoribus: ubi igitur eiusdem antiqua rudera? Magna nostrorum auctorum pars ad orientem Palaepolim collocat, a Sebetho haud procul, et inter Neapolim et Nolam. Ex eodem Livio ibidem constat, Nolanorum duo millia, qui ad urbem defendendam accurrerant, ne in hostium pervenirent manus, per aversam urbis portam via Nolam ferente effugisse. Non alia ex parte fugisse creditur, quam ex ea, qua Nolam iter erat: hinc ad orientem recte Palaepolis fuit sita, ut ex hac Liviana constat narratione: et haec eruditorum opinio est.

Idem Patavinus auctor ibidem c. 23 hoc narrat modo: *Publilius inter Palaepolim, et Neapolim loco opportune capto diremerat hostibus societatem auxilii mutui.* Ex hac auctoris descriptione satis elucet, Publilium cum exercitu castra inter duo praedicta opida posuisse. Hinc dicet aliquis, inter duas urbes distantiam fuisse, cum Livius unam ab altera haud procul scribat. Verum dicendum, hasce Romani ducis copias paucas fuisse, quae inter duas urbes castrametarent, nec credendum (ut quidam suspicantur) hunc Livii locum corruptum, cum ita restituant *inter Neapolim, et Herculanum*, aut *inter Neapolim, et Nolam.* Livius ibid. c. 25 fuse narrat, quomodo Charilaus, et Nymphius civitatis principes urbem in Romani Consulis manus Publilii dederint.

Ambrosius Leo de urbe Nola lib. I. c. 6 Palaèpolim non procul a Sebetho collocat: Pellegrinius Disc. II. paragr. 21 extra portam Campanam, cui adstipulatur Celanus Giorn. II. At Capacius eandem alio ponit in loco Hist. Neap. lib. I. c. 7. Summontiuslib. I. c. 3 in S. Martini colle, cui arridet Silla, Fondaz. di Part. c. 8. Cluerius Ital. ant. lib. IV. c. 3 ad S. Ioannem ad Teducium vult positam, ubi etiam falso affirmat tumulatum fuisse Virgilium. Ioannes Baptista Bolvitus mediam tenuit viam. Hic enim accuratissimus scriptor, hanc vetustam urbem etiam extitisse arbitratur, quàm a Neapoli parum distare ait, et sua fortasse tempestate antiquissimam moeniorum partem adhuc adsurgere, quam ipse ad imae urbis partem, et ad mare versus collocat ad orientem, qui situs cum Livii recte concordat historia. Hinc laudatus Bolvitus in opere MS. cui titulus, Diario di varie cose, tom. I. pag. 104 haec prodit: *Quando poi Napoli, et Palepoli s' unirono insieme, et tutta quella valle a porta Ventosa in bascio fu edificata, romperno il muro de Napoli, et vi ferono una porta chiamata Portanova: nel qual loco essendoci poi redutta una nobil eongrecacione d' alcune fameglie: dal loco pigliò il nome, et si chiamò la piazza di Portanova, et fanno per arme una porta meza aperta et meza serrata.* Quis autem scit, utrum ea antiquissima moenia illa, quae sequenti describemus capite, fuerint ipsa Palaepolis moenia? Extat insuper vetustissimum instrumentum anni MCXXIX. in Archivio SS. Trinitatis Cavensis, in quo occurrit mentio antiquorum urbis moenium prope hunc locum, et proprie haud procul ab Parocciali Ecclesia S. Michaelis vulgo *agli Armieri del Pendino*. Huiusce instrumenti verba hoc affert modo Sabatinius, Calendario Napolit. tom. V. pag. 49 *De integra Ecclesia bobaculo Sancti Michaelis Archangeli, qui dicitur sub muro positi vero foris anc civitatem Neapolis, foris illa porta, qui dicitur de illi Monaci, seu et in memoratu muro publico in eius civitate una cum integris portionibus.* Ad orientem profecto haec moenium

vetustissimorum fuit pars; quis autem scit, utrum moenia isthaec ad Palaepolim spectarint? Capacius loco citato de hac urbe dubitat an extiterit: hinc scribit: *Palaepolis nomen saepius me in dubium revocavit: nulla enim geographos apud urbis mentio facta est: apud Stephanum qui accurate urbes describere conatus est, non reperitur . . . . , . a Suida non commemoratur; a nullo praeterea observatur indice.* Nihil autem obstat, quin urbs Palaepolis a nullo memoretur auctore praeter Livium; in Fastis enim Consularibus huius urbis occurrit mentio, eaque satis est. Et nihil etiam officit, si Livius idem tantum de Palaepoli verba faciat, et nullus praeter illum ipsius meminerit, cum certissimum debeat esse, diligentissimum auctorem hanc cunctam Palaepolitanam historiam ex publicis tabulis, et historiis desumpsisse. Fieri ne poterat, ut ipse in Romana historia scribenda, eaque Romanis ipsis civibus tradenda, vicinis, dissitisque etiam populis in mendacium incidisset, historicam hanc enarrationem scribendo? Et non obstat etiam, si nulla templa, et publica aedificia, et peculiaria etiam neque rudera aliqua ad nos pervenerint, neque theatra, thermae, et cuncta alia, quae in Graeca urbe condecoranda quaerenda erant. Neque etiam interest, si nullus auctor, ut Halicarnassaeus, Strabo, Paterculus, aliique huiusce urbis mentionem fecerint, cum horum scriptorum aevo eadem cum Neapoli iam una coaluerit urbs. Cum enim in tanta essent vicinitate hae duae urbes, unum efficientes populum, eosdem habentes mores, una eademque utentes lingua, auctis aedificiis in ea parte, qua prius haud habitabatur, unus populus, eademque gens Neapolis, et Palaepolis conflata. Velim vero animadvertas, lector erudite, Livium quo tempore suam scribebat historiam dixisse: *Palaepolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis etc.* Ex hisce auctoris verbis satis intelligitur, praefatas urbes suo tempore unam efficere urbem, fortasse divisas in duas magnas partes in vetustam nempe Palaepolim, novamque Neapolim dictam.

At concedamus Livianum ante citatum textum esse ab Amanuensibus foedatum (ut nonnulli arbitrantur) hasque duas urbes Neapolim, et Palaepolim ab uno populo fuisse habitatas: facillimum enim est, Romanum historiographum intelligere potuisse, easdem duas urbes ipsos habuisse magistratus, usus, et nihil per Palaepolim significasse, quam Neapolitanae urbis vicum, et eiusdem partem, quamvis differenti nomine, sed semper eosdem habentem magistratus: sed tamen Palaepolim haud urbem prope Neapolim fuisse. Id omne probari posset duobus eiusdem historici exemplis. Primum est illud quod narrat de urbe Roma, et Veiis lib V. c. 6 ubi eadem affert prope verba: *Quin illa quoque actio movebatur, quae post captam utique Romam a Gallis celebrior fuit, transmigrandi Veios. Ceterum parti plebi, partim senatui destinabant habitandos Veios: duasque urbes communes Reipublicae incoli a Romano populo posse.* Alterum de Syracusis lib. XXIV. c. 21 ubi narrat Marcellum urbis partem occupasse; *Inter Neapolim, et Tycham* (nomina partium urbis, et instar urbium sunt) *posuit castra, timens ne si frequentia intrasset loca, contineri a discursu miles avidus praedae, non posset.* Haec insuper urbs quinque urbibus simul fuit conflata nempe *Neside*, *Achradina*, *Tyche*, *Neapoli*, et *Epipoli*, quae omnes urbis partes muro continebantur. Adhaec Carthago duabus constabat partibus *Byrsa*, et *Cothone*. Tandem Athenae olim tribus opidis muro cinctis constabant: ex urbe nempe vetere, quae postea Ἀκροπολις, *arx* appellata fuit: ex Piraeo portu, opidoque, et ex Munichio minoris aliquando dignitatis portu, et opidulo. Vide quaeso, sicuti ergo praefatas urbes olim, quamvis nomine, et muro divisas, tamen unam conflasse urbem certum est: ita etiam Neapoli, et Palaepoli evenisse crediderim.

Tandem haud aliis credendum, qui obiiciunt Halicarnassaei textum lib. IV. hoc describentis bellum, ubi nullam facit mentionem Palaepolis. Hanc Graeci auctoris

enarrationem haud integram esse, nemo est quem lateat, cum haec historiae pars pluribus abhinc saeculis interciderit, praesertim ubi de Palaepoli verba facit scriptor ille: hinc eiusdem operis pars ad nos haud pervenit.

Ex his usque modo a nobis allatis argumentis, Palaepolim urbem a Neapoli differentem fuisse satis coniicitur, cum diversa primitus moenia, differentesque habuerit magistratus, quamvis unius fuerit originis utrumque opidum, et postea in unum coaluerit.

CAPUT III.

De urbis vetustae ambitu, de moeniis fortissimis, et à quibusnam fuerint restaurata: de portis antiquis, de regionibus, de viis praecipuis, deque singulis Phratriis.

Hactenus incessimus per incertum itér, vetustae inter potius antiquitatis fabulas, quam veram historiam, incerto semper lumine, atque duce: in tenebrosiorem modo incidemus quaestionem, quinam scilicet fuerit Neapolitanae urbis ambitus, aliaeque huiusce urbis partes.

Primum de ambitu scriptores patrii alii alia senserunt, diversasque iverunt in sententias. Iuxta Fabium Iordanum liquet, antiquae urbis moenia ex occidente principium sumpsisse ab S. Agnelli Ecclesia, ac inde per viam fuisse producta, quae vocatur *S. Maria di Costantinopoli*: hinc extensa eadem per S. Petrum ad Majellam, S. Dominicum Maiorem, S. Angelum ad Nidum, et tandem usque ad Ecclesiam S. Hieronymi. Celanus, Giorn. II. ubi adsurgit S. Dominici obeliscus, vulgo *la Guglia di S. Domenico*, olim reperta fabricae rudera, atque heic fuisse vetustae urbis portam arbitratur, quam ipse Regiam appellat. Tutinius tradit in via, quae dicitur *Mezzo Cannone* fuisse olim aliam portam, quam Ventosam, et Liciniam vocat. Ex meridie vero moenia procedebant per viam, quae vulgo *Mezzo Cannone*: hinc per aedi- Vrbis vetustae ambitus.

culam S. Michaelis Archangeli, postea per Iesuitarum Collegium, per SS Marcellini, Severini, et Sossii Ecclesias: hinc perveniebant, ubi nunc vulgo *i Ferri Vecchi*. Martorellius tom. II. Theca Cal. pag. 636 ex disiectis ruderibus cuiusdam templi in eo urbis loco, ubi dicitur *S. Giuseppe Maggiore*, urbem ampliorem, atque extensiorem fuisse arguit; quin Matthaeus Ægyptius De Bacchanal. pag. 41 ex quibusdam repertis aedificiis aliis in locis vetustam urbem maiorem arbitratur. Ab oriente moenia ex ea incipiebant parte, quae dicitur *Pendino*: hinc extendebantur per S. Augustini Ecclesiam, vulgo *la Zecca*; postea per regionem Furcillensem; tandem procedebant eadem per locum, qui etiam nunc vocitatur *Sopra muro*, ubi aderat porta Campana. Ad huius urbis situm erant Thermae, et Gymnasium, de quibus fuse inferius sermo prodibit.

De antiquis urbis moeniis, deque portis consulatur Iustinianus, Dizion. del Regno, qui in artic. Napoli pag. 383 et seqq. Nicolai Lecterii Neapolitani Architecti Relationem affert, ut legitur apud Bolvitum in opere MS. quod nunc servatur in Archivio Patrum Regularium Theatinorum Neapolis S. Pauli. Lecterii Relationi de Panthenopis antiquae ambitu concordant plures patrii scriptores. Per me fateor, Neapolim utpote antiquissimam, et a centenis habitatam gentibus, populisque diversis, tantas rerum vices esse passam, quot erant eaedem gentes, quae heic advectarunt, indeque de vero urbis ambitu omnia prorsus incerta sunt existimanda, et res isthaec adeo obscura est, ut nullus ex antiquis adsit auctoribus, qui huius mentionem faciat praeter Summontium, Iordanum, et laudatum Bolvitum; qui aliqua de antiquae Parthenopes ambitu dixerunt. His omnibus adiungendum, vetustae urbis ambitum, et moenia (utpote ante nostram tempestatem ad infinitum excrevit, et aedificia pene innumera addita) prorsus deperdita fuisse, si pauca, et vix nonnulla excipiamus rudera sub immensis novae urbis aedificiis, quae vix supersunt. Iuvat tan-

dem advertere, Neapolim, ut diximus, a gentibus variis fuisse habitatam, eamque a Regibus, et Ducibus, et ab iisdem Imperatoribus identidem muro auctam, atque restauratam esse, ut mox dicendum.

Huius interim turres, atque moenia praedicantur a priscis historiographis, eaque obsidiones, atque hostium incursiones iam a Romanae Reipublicae aevo passa sunt. Hannibal enim praecipue, qui tot urbibus fortissimis non solum Italiae, verum etiam Campaniae vi, atque obsidione fuerat potitus, statim ac Neapolim adpropinquavit, exterritus profecto fuit. Ea ut Livius lib. XXIII. c. I testatur; *Ab urbe oppugnanda Poenum absterruere conspecta moenia haudquaquam prompta oppugnanti.* Belisarius etiam Iustiniani Imperatoris dux strenuus post multum tempus eam urbem oppugnans, desperatione eadem potiundi motus iam discedere cogitabat, in eaque obsidione plures amisit milites. Ita narrat Procopius lib. I. de Bello Gothico c. 8 quod confirmat etiam auctor Historiae Miscellae lib. XVI. c. 14. Tandem Neapolim fuit ingressus idem Belisarius anno DXXXVI. non per muros, qui quidem erant tunc validissimi, sed per aquaeductum, ubi via facta est, et militibus immissis magna internecio peracta, ut ex eodem patet historico. Huiusce aquaeductus pars adhuc extat in depressiori, et subterranea parte S. Ioannis ad Carbonariam, ut vulgus appellitat. Per hunc urbis locum invectus est etiam Alphonsi Regis Aragonii exercitus. Moenia fortissima.

Totilas Neapolim quoque obsedit anno DXLIII. promisitque si suae ditioni se sponte darent cives, nihil urbi mali, moenibusque facturum: sed Rex ille sacramentum haud servavit. Procopius loco ante citato tradit eundem Gothorum Regem Totilam antiqua urbis moenia evertisse, ea tantum parte servata, quae mare respiciebat, quo si alias opidum foret obsessum ex ea parte, hostibus resisteretur. Ita igitur antiquissima urbis moenia, quae per Augustum, Traianum, aliosque fuerant restaurata per sequiora saecula, eversa sunt.

Constituto postea, firmatoquè in Italia Langobardorum regno, cuncta opida, et urbes in ipsorum manus pervenere. Per ea tempora Neapolis ab ea gente fuit obsessa anno DLXXXI. quae adeo Barbaris obstitit, ut impossibile fuerit urbem moenibus munitam occupare. Videsis Assemannum de Regibus Neapolitanis, et Siculis tom. I. pag. 463.

A quibusnam Imperatoribus moenia fuerint restaurata.

Huiusce urbis vero moenia non semel, sed saepius restaurata fuere, atque etiam turres additae. Ex hoc marmore a Celano, Giorn. II. allato, Caesarem Augustum patet moenia reaedificasse:

IMP . CAESAR . DIVI . F . AUGUSTUS
PONTIFEX . MAX . COS . XIII . TRIBUNITIA . POTESTATE
XXXIII . IMP . XVI . PATER . PATRIAE . MUROS
TURRESQUE . REFECIT .

Adest alius lapis olim repertus in Cathedrali Neapolitana, nempe in Sancti Asprenatis primoris urbis Antistitis sacello, suppletusque a Ioanne Lamio, ut scribit Ludovicus Sabbatinius de Anfora in Dissertatione Cardinali Spinellio Neapolitano Archipraesuli dicata. Ex hoc vero etiam Theodosium, et Valentinianum Imperatores urbis muros restaurasse constat.

Portae antiquae.

Vrbs antiqua quadrata erat forma, uti narrant nonnulli; quatuor eadem habuit portas quatruplici dictas nomine. Prima vocata fuit *Montana*, quia huius portae situs elatior erat, et hinc ad montes adibatur. Altera dicebatur *Campana*, qua ad Capuam iter erat: tertia *Nolana* ad hanc urbem: harum duarum nomina adhuc restant. *Puteolana* (1), seu *Cumana* ita appellabatur, quia

---

(1) Per hanc portam, quae iam fuit excisa a Rege Carolo Andegavensi anno MCCC. Puteolos viator perveniebat. Haec porta sita erat, ubi nunc adsurgit S. Dominici obeliscus. Ex hoc igitur loco incipiebat via Puteolana, quae per vicinos extendebatur colles: hinc per Antinianum, *Antignano*, per sinistrum

ex illa ad hasce urbes facile quis pervenire poterat. Temporis progressu aliae portae iisdem adiunctae, mutataeque, alioque fuere nomine decoratae, quippe quod urbs excrevit, aliaque aedificia illi addita fuere.

De antiquae huius urbis regionibus incerta res est, cum nihil aliud ad nos pervenit, quam vix pauca nomina, uti praecipue regio Herculanensis, quae et Furcillensis nomine fuit compellata, vulgo *Quartiere di Forcella*. Hinc reperimus hanc regionem etiam sic dictam S. Gregorii Romani Pontificis aevo, qui vixit VI. exeunte saeculo. Hinc ipse scribit lib. II. epist. 59 *Rustica per ultimae voluntatis suae arbitrium in civitate Neapolitana, in domo propria, in regione Herculanensi, in vico qui Lampadarius dicitur*. Prostat lapis apud Gruterum pag. CCCCXXX. num. 6 in quo fit mentio Regionis Thermensis a vicinis Thermis, de quibus agemus capite sequenti; De urbis regionibus.

LICINII . ALFIO . LICINIO . V . P . PATRONO
COLONIAE . EX . COMITIBUS
REGIO . THERMENSIUM . VERE . PATRONO .

Ex quo vide quaeso, hanc urbis viam etiam dictam *Thermensem*.

Sunt qui putant fuisse aliam Neapoli regionem vulgo appellatam Palatinam, nunc *Quartiere di S. Lorenzo*, ut liquet ex marmore ab Honuphrio Panvinio recitato in Fastis Consularibus. Haec et Augustalis etiam dicta fuit, ab Augusti palatio, quod in ea adsurgebat regione. Fuit etiam Alexandrinorum ibi regio ab Alexandrinis mercatoribus, qui hanc urbis incolebant partem. Tutinius, Origine dei sedili di Napoli, mentionem facit vici Alexandrinorum: locus hic nunc temporis dictitatur *Quartiere di Seggio di Nido*, vel *Nilo* a Nili fluminis

---

Aniani lacus latus; per montes inde Olibanum, Leucogaeos, per Vulcani Forum Puteolos viator perveniebat.

*

statua, quae nunc *Corpo di Napoli*. Fama est quondam heic aediculam extitisse ab Alexandrinis mercatoribus Nilo flumini dicatam cum statua. Ea vero ob temporum longaevitatem iam deperdita, et prorsus immemorata fuit. Tanti ne monumenti ad posteros memoria foret obliterata, anno MDCLXVII. urbis Neapolis Ædiles ex marmore statuam conlocandam curarunt ad Corpus Nidi, ut vocitant. In eadem regione adsurgit Ecclesia vulgo dicta *Donnaromita*, in qua servatur Graecum marmor, quod mentionem facit Theodori Consulis, et Neapolitani Ducis, qui templum hoc a fundamentis excitavit. Videsis Cl. Martorellium Theca Calam. tom. II. pag. 667.

Non procul ab hac regione alia aderat Cimmeriorum, vulgo *Quartiere di Seggio di Porto*, quae medio aevo dicebatur *Cymbrorum*, ut adnotat Pelliccia De Eccles. Polit. tom. IV. Fuisse etiam constat alias Neapoli regiones vetusto aevo, easque ignoti nominis, quarum quidem enarrationem praetereundam arbitrámur, ne in fabulosam incidamus historiam.

Viae urbis praecipuae.

Medio aevo celebrantur tres viae, quae mediam intersecabant urbem: de his ita scribit Bolvitus Vol. MS. II. pag. 71 et seq. *La preditta città de Napole consisteva anticamente in tre piaze principali, situate da levante verso ponente: delle quali l'una è summa piaza, alias puzo bianco, che incominciava dala porta de Santa Sophia iuxta le case del Magn. Sig. Barone de Bernaudo, et finiva ale case del qu. Magn. Narciso, et del excell. Sig. Conte di Potenza: l'altra era la piaza de Capuana, mercato vecchio Seggio de la Montagna, et torre de Archo, che incominciava dal castello de Capvana, che al presente è lo palazo de la Giusticia, et finiva deretro lo monast. de Santo Petro ad Majello, dove era una porta, che se nominava Don Vrso: l'altra era dela Vicaria vecchia, et seggio de Nido, quale incominciava da Forciella, dove era una porta nominata de Forciella, et finiva ad porta regale, che era ionta al*

iardino de le case del olim Prencipe de Salerno, et fra mezo de le pred. tre strate principale nce erano multi vichi, che al presente nce sono: talmente che tutto lo corpo de la città era dali pennini in sù anticamente.

Nunc de Phratriis sermo est instituendus. Neapolis semper Graeca fuit urbs: hinc usum, et cultum ipsum usurpasse compertum est. Inter cetera apud Graios memorantur Phratriae. Cumque ea urbs Graecorum Colonia (ut ante diximus) et praesertim Atticorum fuerit, hinc colligere fas est, eam quoque Phratrias habuisse. Diotymus Atheniensium dux Neapolim Phratriarum usum invexit. Strabo lib. V. Geogr. de Graecis usibus, deque Phratriis sermonem instituit, aitque in hac urbe suo tempore adhuc fuisse Gymnasium, Ephebea, Phratrias, et Graecanicos mores. Cl. Ignarra in opere, quod inscripsit *de Phratriis primis Graecorum politicis societatibus*, Servii Æn. VII. v. 286 Vossii Etymolog. voce *Frater*, aliorumque auctorum testimoniis probat c. I. Phratriam a voce Φρέαρ, *puteum* significantem derivari: ac inde Phratores sic dictos autumat, quod communi uterentur puteo. Hinc paulo post inferius ostendit, vocem φράτριαν a voce φράτηρ oriri: hinc ait φράτερα, sive φράτορα apud antiquos Graecos *fratrem* significasse. Civitas igitur Athenarum instar vivebat: quae quidem Phratria iuxta Suidam est tertia pars tribus. Neapolis divisa fuit in tribus, atque Phratrias eo ipso modo, quo erant olim Romae curiae, et tribus. Sunt vero qui putant Neapoli decem extitisse Phratrias, nempe Phratria Eumelidarum, Panclidarum, Eunostidarum, Arthemisiorum, Oenomoeorum, Cumaeorum, Antinoitarum, Dioscoridum, Ionacorum, et Herculanensium, quas omnes laudatus Ignarra ad octo tantum enumerat. Hae singulae denominationes gentile aliquod, vel quoad genus, vel quoad alicuius herois patrocinium designant, a quo scilicet ipse heros praecipue colebatur. Phratriae.

Primum omnium occurrit Eumelidarum Phratria: Phratria Eumelidarum.

Martorellius Theca Calam. pag. 616 tom. II. hanc occupasse credit primam urbis regionem (ubi iam adsurgebat Campana patriciorum Curia, vulgo *Seggio Capuano*) Metropolitanum nempe maximum templum, locum omnem prope S. Laurentii Ecclesiam, ac S. Pauli usque ad Patrum Cruciferorum aedem, vulgo *i Mannesi*. Extat marmor Neapoli a Iordano, Capacio, aliisque patriis scriptoribus recitatum, ex quo hanc Eumelidarum Phratriam extitisse certum est.

Quoad Eunostidarum attinet Phratriam idem Martorellius pag. 663 tom. II. coniectat, Eunostidas castitatis, pudicitiaeque tutius servandae causa seorsim in urbis habitasse pomoerio, ibique in luco consenuisse virgines: indeque factum, ut suburbium hodiedum nuncupatum *Borgo de' Vergini* ab Eunostidarum virginitate nomen illud usurparit. Ad hoc probandum duas affert auctoritates a Plutarcho, et Pausania depromptas, qui virginem quandam Boeotiae celebrem fuisse scribunt. At Ignarra Martorellium putat heic prorsus insanire, qui nova semper cudit: ceteroquin Ignarra castos, pudicosque Eunostidas haud credit.

Pelasgi vero ex Graecia oriundi patrios ritus, ac praecipue Eunosti cultum Neapolim intulere: hinc Eunostidae dicti, qui postea in urbe Phratriam habuerunt; quique Eunostum, qui ipsorum dux fuerat, ut Deum coluerunt, Phratriamque ab eius nuncuparunt nomine. In Virginum suburbio pluribus abhinc annis multa antiquitatis rudera reperta fuisse laudatus tradit Ignarra: ibi enim plura monumenta in subterraneis adhuc adservantur; quin imo et hypogaea cum lapidibus eruderata esse scribit idem auctor. Anno MDCCXC. extra D. Ianuarii portam cameram vidisse testatur in quodam subterraneo quadratam, columnisque in ordinem dispositis suffultam: in intercolumniis reperti sunt loculi supra solum extantes, in quibus humanorum ossium compages iacebant. Adhaec narrat anno MDCCLIX. sub aedibus PP. Missionis S. Vincentii de Paulo aedificium fuisse detectum aliud cum co-

lumnis, loculis, et fornice e topho facto: inde plures lucernas, et ipsa sepultorum nomina in pariete Graecis characteribus depicta cum epigrammate allato a pluribus patriis scriptoribus, in quo occurrit mentio cuiusdam Aristonis.

Arthemisiorum Phratria, seu Arthemisii phretores erant Arthemidis sacerdotes, quo sub nomine Graii Dianam significabant, cuius templum iuxta patrios auctores, et praesertim Capacium, et Martorellium fuit situm, ubi nunc S. Mariae Maioris aedes adsurgit, vulgo *S. Maria della Pietra Santa.* Id confirmatur ex reperto marmore quondam apud eandem Ecclesiam eruderato: Phratria Arthemisiorum.

Λ . ΚΡΕΠΕΡΛΙΟΝ . ΠΡΟΚΛΟΝ . ΥΠΑΤΟΝ . ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ
ΤΩΝ . ΙΛΙΩΝ . ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ . ΑΡΘΕΜΙΣΙΟΙ .
ΦΡΕΤΟΡΕΣ . ΑΜΟΙΒΕΣ . ΧΑΡΙΝ .

Hoc marmor ita vertit Martorellius Theca Cal. tom. II. pag. 522 *Lucium. Creperlium. Proculum. Consulem. Proconsulem. Iliensium. benemeritum. Arthemisii. Curiales. retributionis. gratia.*

Fuit etiam alia Phratria quam Cumaeorum appellarunt, ut probatur ex hac ab eodem Martorellio adducta epigraphe: Phratria Cumaeorum.

ΘΕΟΙΣ . ΦΡΗΤΟΡΣΙ . ΚΥΜΑΙΩΝ .

Diis. Curialibus. Cumaeorum.

Vbi vero adsurgit nunc maximum D. Paulo templum dicatum, fuisse Dioscoridum Phratriam, et aedem certum est, ut ex hoc patet lapide: Phratria Dioscoridum.

ΤΙΒΕΡΙΟΣ . ΙΟΥΛΙΟΣ . ΤΑΡΣΟΣ . ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ
ΚΑΙ . ΤΗΙ . ΠΟΛΕΙ . ΤΟΝ . ΝΑΟΝ . ΚΑΙ . ΤΑ . ΕΝ .
ΤΩΙ . ΝΑΩΙ
ΠΕΛΑΓΩΝ . ΣΕΒΑΣΤΟΣ . ΑΠΕΛΕΥΤΕΡΟΣ . ΚΑΙ .
ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ
ΣΥΝΤΕΛΕΣΑΣ . ΕΚ . ΤΩΝ . ΙΔΙΩΝ . ΚΑΘΙΕΡΩΣΕΝ .

idest : *Tiberius. Iulius. Tarsus. Dioscuris. et. urbi. templum. et. quae. in. templo. sunt. Pelagon. venerandus. libertus. et. procurator. sua. perfecit. pecunia. dicavitque.*

Phratria Antinoitarum.

Neapolitani Hadriani Augusti Imperatoris Phratriam sub Antinoitarum etiam nomine dedicarunt. Qui quidem Atheniensium instar apud urbem suam ob eximia beneficia ab Hadriano recepta Hadrianidem tribum, Phratriamque ipsi dicarunt. Hinc nostrates Atheniensium mores imitati idem effecerunt sub Antinoitarum nomine. Hunc vero Imperatorem de Neapolitanis etiam fuisse optime meritum inde ostenditur, quod passus sit in ea urbe Demarchus salutari, qui erat ibi summus magistratus. Nostrates igitur ob studium erga Imperatorem ita effecerunt: hinc et templum Antinoi nomine sacrarunt, in quo conveniebant Phratores, remque sacram statutis diebus (Antinoo iam in deorum numerum ab Hadriano relato) fecerunt. Adhaec quendam P. Sufenatem Myronem Phretriaeum Antinoitarum elegerunt, qui sacris praeesset, ut patet ex alio lapide a Martorellio allato. Antinoi vero templum, quod Neapolitani huic numini dicarunt, fuit ubi nunc adsurgit S. Ioannis Maioris aedes, ut infra dicemus.

Phratria Ionacorum, et Aristaeorum.

Fuit etiam Neapoli alia Phratria sub Ionacorum nomine: hinc prostat vetustum marmor, ex quo etiam Aristaeorum aliam Phratriam extitisse liquet. Reinesius huius facit mentionem Clas. IV. num. 6.

Phratria Panclidarum.

Quo tempore Ecclesiae S. Petri in Vinculis fundamenta iacerentur, marmor fuit effossum, ex quo heic habitasse quondam Panclidarum, vel Panelidarum Phratriam colligitur. Videsis Martorellium Theca Calam. tom. II. pag. 676.

Phratria Herculanensium.

Cl. Ignarra De Phratr. c. 7 Latiaribus characteribus lapidem affert, qui ad Herculanensium spectat regionem, ubi fit mentio cuiusdam Munatii Concessiani Coloniae patroni. Laudatus auctor mascula eruditione probat, hanc vocem Herculanensium non referendam esse opido Herculaneo, sed Neapolitanae urbis regioni, in

to, Herculanenses cives, civitate Neapolitana fortasse donati, se recepere; ac inde Herculanei nomen accepit nova urbis regio, eaque etiam primariae, atque splendidissimae nomen usurpavit.

Plura si quis cupit, adeat Martorellium loco ante citato, Lasenam, Dell' antico Ginnasio Napolitano, et Ignarram praecipue, qui in opere quod inscripsit de Palaestra Neapolitana accuratissime hanc tractavit materiam.

CAPUT IV.

De Gymnasio Neapolitano, de Thermis, deque earum structura, de Theatro, de Metronactis schola, de Circo, de Ludis, de Pancratio, de ludis Augustalibus, de Ephebeis, deque ludo Lampadico.

Ex antiquis historicis compertum habemus, eximias magnasque urbes, ut Athenas, Neapolim, aliasque olim Gymnasia habuisse; nam apud quamvis urbem nobilem ea magna fuere aedificia, in quibus ludorum variae species exercebantur. Hoc autem publicum aedificium ad id destinatum negat Cl. Martorellius Theca Calam. tom. II. pag. 573 et seqq. fuseque probat, marmor illud Titi Vespasiani filii, quod hodiedum mutilum legitur Graecis, necnon et Latiaribus characteribus in loco, quem vocant *il Bollo dell' Annunziata*, Theatro adfixum, non vero Gymnasio fuisse. Hoc enim iuxta eundem auctorem haud fuit peculiare aedificium, idque est nomen γενικὸν: hinc id probat solidis veterum scriptorum testimoniis. Verum enimvero contra eundem plures adsunt antiquorum auctoritates, ex quibus satis superque non solum Neapoli, verum etiam et in aliis celebratissimis olim Graeciae urbibus Gymnasia extitisse colligitur. Contra Martorellium duos afferemus recentes auctores, Lasenam qui opus illud elucubravit *dell' antico Ginnasio di Napoli*, in quo satis belle docteque probat, aedificium istud quondam in hac urbe fuisse. Lasenam est secutus Cl. Ignarra,

Gymnasium Neapolitanum.

qui in alio opere, quod exaravit *de Palaestra Neapolitana*, de Gymnasio verba facit. Nos igitur duobus hisce ducibus, de eodem primum breviter dicemus; inde de Theatro, de Circo, de Thermis, deque Ludis.

Vrbs Neapolis a Graia origine (ut saepe indicavimus) illius gentis cultum, et mores usurpavit: atque inde deos ipsos ea coluit, quibus Graeci templa dedicarant, ludosque ipsos edidit. Hinc et ludorum variae species ibidem introductae, et publica aedificia ad id operis destinata e fundamentis erecta fuerunt. Cum igitur Neapolis Graecorum viveret moribus, inde ludi fieri soliti in Atticis urbibus, in eadem celebrati fuere simili more, atque instituto. Variae erant ludorum species, quae in Neapolitano edebantur Gymnasio, et duae praesertim Gymnicum nempe, et Musicum certamen nuncupatum. Gymnicum vero Neapoli fiebat quotannis, ut patet ex Lycophrone in Cassandra v. 719.

Hoc publicum aedificium in eo urbis loco (1) fuit, ubi nunc adsurgit aedes D. Nicolao dicata, vulgo *ai Caserti*, ubi Thermae quoque extitere. Gymnasium vero a Graecis splendidissime fuit erectum variis ordinibus: praeter enim magnas porticus, intra quas commode erat deambulandum, fuit etiam Palaestra, ubi athletae seipsos ungebant, et pulvere conspergebant. Hoc autem aedificium ex pretiosis constructum marmoribus, atque picturis fuit exornatum, quod postea terraemotu conlapsum, inde a Vespasiano fuit restauratum, ut ex marmore mutilo patet Graecis, Latinisque characteribus se-

---

(1) Hoc fuit in ea urbis parte, ubi aquarum aderat abundantia: et re sane vera circa hanc vetustam fabricam magnae adhuc aquarum scaturigines adsunt non solum subterraneae, verum etiam non procul magnus fons dictus *la Scapigliata* pro illorum temporum Gymnasii opportunitate. Apud Graios in more fuit positum, ut prope Gymnasia aquarum esset copia ad varios usus necessaria.

cus viam, cui nomen *l'Egiziaca* in regione Furcillensi.

Quod ad Gymnasium attinet, dicendum, hoc illud ipsum fuisse, de quo loquitur Suetonius in Nerone c. 21 quo ipse imperato eadem ipsa die, qua matrem Agrippinam inhumane apud Baulos necarat, se contulit ad athletas inspiciendos quam maxima spiritus hilaritare, animique tranquillitate. Hinc tantam animi delectationem in iis percepit ludis, ut Romae aliud huic simillimum aedificium construendum curaverit.

Hoc igitur Gymnasium in ea urbis fuit parte, ubi nunc dicitur *S. Nicola ai Caserti* (ut ante diximus) quod confirmat Celanus, Gior. III. qui narrat suo aevo plura in subterraneis huiusce fabricae rudera invenisse: quin etiam Thermarum reliquias vidisse. Hoc vero confirmatur ex D. Gregorii Papae auctoritate lib. II. ep. 59 mentionem facientis viae Herculanensis. Fabius Iordanus Hist. MS. haec de Thermis scribit: *Alia etiam inter Nolanam, Capuanamque viam fuere loco, quo a novo praetorio Furcillam aditus patet Divo Petro appellato. Harum vestigia maxima ex parte etiam nunc extantia iuxta porticum Casertanam, et intra vicinas aedes eximiae magnitudinis, et splendoris apparent.* Ea insuper urbis pars a recentioribus scriptoribus *Regio Thermensis prope amphitheatrum* appellatur. Hinc apud Lasenam, Ginnasio di Napoli pag. 181 sic habetur: *Ecclesia S. Sergii, et Bacchi in platea amphitheatri in vico* Seccarino *ad portam Furcillae.* Ex quibus verbis haud coniicere debemus Neapoli quondam amphitheatrum fuisse: hoc enim vocabulum Barbarorum aevo pro *Stadio* fuit usurpatum; quae Gymnasii pars erat prope Thermas. Videsis Cl. Ignarram Pal. Neap. 120 c. 5.

Non procul a Gymnasio reperta fuit in vetustis quibusdam subterraneis inscriptio allata ab eodem Ignarra loco citato anno MDCCLXIV. Neapoli prope Nolanam portam, quaeque nunc prostat in S. Mariae Ægyptiacae parietinis secus viam publicam. Ea enim fuit posita cuidam T. Flavio Artemidoro Adaneo Antiochensi, qui

vicit certamen magnorum Capitolinorum primo actum. Sed quia laudatus Graecus lapis est longiusculus, et ab Ignarra illustratus, idcirco lectorem ad illum remittimus ibidem.

Duae vero in hoc Gymnasio peragebantur ludorum species, nempe literarum schola, in qua philosophi, rhetores, poetae, aliique viri docti addiscendi causa, et edocendi quamque scientiam conveniebant: alterae ludorum species erant Gymnicae: a Graecis Παγκράτια, et a Latinis *Quinquatria* appellatae, qui quidem ludi ad quinque exercitationes redigebantur, Cursus nempe, Luctae, Saltus, Disci, et Pugilatus. De hisce infra.

Schola interim Neapolitana dubio procul alias omnes cum Graeciae, tum Italiae ceteras superavit urbes, hominesque apprime eruditos, sapientesque efformavit. Ibidem enim primos e Graecia viros philosophos evasisse scimus, ut sileam celeberrimos aureae aetatis poetas. Hinc constat Virgilium in Neapolitano ludo se efformasse: ipse enim heic plures annos fuit moratus, ut testatur in fine Georgicor. Haec urbs tam celebris in literariis evasit exercitationibus, ut praeter alias una inter ceteras usque fuerit commendata. Iam illa ex suapte (ut ita dicam) origine, scientiis omnibus sese addixit. Et ut doctissimos cuiuscunque aevi, et cuiuscunque regionis viros praeteream, qui heic turmatim convenientes, in publicis ludis sui experientiam faciebant, Statii poetae auctoritate liquet suo tempore Graecanica lingua, necnon, et Latiari Neapolitanos adolescentes ita celebres evasisse, ut cum Graecorum, tum Latinorum auctorum, et praecipue poetarum in Gymnasio certamina inierint, quin et praemia deposuerint. Vnus prae ceteris afferatur Statii pater, qui in Neapolitano ludo pueros in Homeriana lectione instituere coepit, ut canit ipse filius Silv. lib. V. car. III. v. 146 et seqq. Hinc Neapolitani *Homerici* salutati eo tempore fuere. Demum tam Graium sermonem assequi studuerat Statii pater, licet adolescens, ut filius canat ibidem digito monstratum fuisse tamquam

ceteris exemplum pueris. Hinc etiam dicendum non solum Neapolitanos Graeco locutos idiomate, verum etiam mores, usus, et omnia Graecorum instar usurpasse. Eorundem insuper omnes nummos ex Martorellio Theca Calam. pag. 488 semper Graios fuisse constat iisdem insculptos characteribus, non solum prima tempestate, sed usque etiam dum urbs graecissavit. Capacius Hist. Neap. lib. II. c. 12 et Ignarra Pal. Neap. c. 20 nummos afferunt Neapolitanos, qui Graecis characteribus sunt cusi.

Iam supra diximus, Thermas fuisse in eodem loco sitas, quo et Gymnasium. Celanus, Giorn. III. prae ceteris patriis scriptoribus id probat, et ipse antiqua rudera in subterraneis vidisse testatur. A Graecis Θέρμη, a Latinis *Balnea* dicta fuere. Strabo libro V. Geogr. easdem maxime commendat. Suetonius etiam in Nerone c. 20 earundem mentionem facit: narrat enim hunc Imperatorem Neapolim advenientem primum in Theatro cantasse, hinc ad Thermas transisse: en eiusdem verba, *Sumpto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore; impatiens secreti a balneis ad Theatrum transit, mediaque in orchestra, frequente populo epulatus.* Haec vero balnea duplici fuere specie, naturalia nempe, et artificialia. Naturalia illa fuere, quae passim in nostra regione, et praecipue super Neapolitanum Craterem adhuc adservantur; artificialia vero illa, quae ab Graiorum, et Romanorum arte, luxu ubique diffuso, in hac urbe aedificata fuere. Eadem autem Gymnasium prope erigenda curatum est: circa quem locum adhuc in subterraneis tubos, et fistulas olim, et aedificium quoddam vetustum ad thermarum formam adspectasse Celanus idem testatur ibidem. Thermae.

Has vero Thermas ad Gymnasii similitudinem constructas fama est: eae nempe quaedam porticus erant, in quibus praeter innumeras cameras ad ignis, et balneorum usum, hiemali tempore iuvenum fiebant certamina, et aliquando etiam gymnica. Magna inde et spatiosa erant loca ad iuvenes exercendos in lucta, saltu, aliisque id

genus certaminibus. Hinc Ἐξέδρα, ubi multae ad confabulandum sedes; Καρικεῖα, ubi vestes exuebant, et ubi pila ludebatur: Κονιστήρια luctatorum pulverem continebant. Hoc vero aedificium urbis fortasse erat praeclarissimum.

Balneorum usus apud veteres adeo invaluit, et praesertim apud Romanos, ut necessarius prope fuerit: cum enim apud illos caligarum usus intra urbem haud esset, et ob id nudis incedentes pedibus, ex luto, aut pulvere sordes contraherent: hinc balnea quotidie frequentabant. Maximus inde balneorum usus, et luxus. Quicunque ad balnea ventitabat, oleo, et pretiosis unguentis se ungebat. Ex aerario equitibus hoc subministratum innuit Suetonius in Nerone c. 12 hoc modo: *Dedicatisque Thermis, atque Gymnasio, senatui quoque, et equiti oleum praebuit.* Adhaec utebantur strigilibus in ipsis balneis ad radendas nempe corporis sordes, sudoremque emittendum. Persius Satyra V. v. 126, et Iuvenalis Satyra III. v. 261 de hisce strigilibus mentionem faciunt.

Plura de Thermis si cupis, earumque usu, Pitiscum Diction. Antiqq. Rom. artic. *Thermae*, Borrichium Antiq. urb. fac. c. 14 Baccium De Thermis antiquorum, et Thesaurum Antiqq. Roman. Graevii tom. XII. consule. Hoc unum de eodem aedificio dicendum superest, illud magnificentissimum, et spatiosissimum fuisse in hac urbe; at hodiedum nulla quidem restant vestigia, quin et memoria prorsus obliterata, cum tanta saeculorum longaevitas, Barbarorum immanitas, et nupera praesertim aedificia loci faciem omnino immutarint.

Theatrum. Prae ceteris publicis aedificiis Theatrum Neapolitanum etiam omnium fuit magnificentissimum. Tacitus Annal. lib. XV. c. 33 hoc terraemotu conlapsum refert, dum Nero caneret. En auctoris verba: *Neapolim quasi Graecam urbem delegit . . . Ergo contractum opidanorum vulgus, et quos e proximis coloniis, et municipiis eius rei fama civerat: quique Caesarem per honorem, aut varios usus sectantur, etiam militum manipuli Theatrum Neapolitanum complent. Illic ple-*

rique ut arbitrabantur, triste; ut ipse, providum potius et secundis numinibus evenit. Nam egresso qui affuerat populo, vacuum, et sine ullius noxa Theatrum collapsum est. Ipse autem Imperator tanta canendi libidine fuit captus, ut cum modulatas Alexandrinorum accepisset laudes, qui Neapolim confluxerant, Alexandria plures evocarit, quos postea Romam adduxit. In Neapolitano deinde Theatro tantam gloriolam fuit prosecutus, ut ne veritus quidem sit, quin sacras coronas adipisceretur. Hinc Suetonius de eodem, atque motu terrae ita memoriae prodit in Ner. c. 20. *Et prodiit Neapoli primum, ac ne concusso quidem repente motu terrae Theatro, ante cantare destitit, quam inchoatum persolveret νόμον* (1). *Ibidem saepius, et per complures cantavit dies.* De hoc terraemotu Seneca narrat Quaest. Natur. lib. IV. c. 1. *Pompeios celebrem Campaniae urbem . . . . desedisse terraemotu . . . audivimus . . . Regulo, et Virginio Coss. . . . Herculanensis pars ruit . , . Neapolis quoque privatim multa, publice nihil amisit, leviter ingenti malo perstricta.* In hisce laudatorum auctorum textibus magna apparet discrepantia. Tacitus inter alios Nerone canente hoc Theatrum labefactatum tradit. Seneca haud haec narrat, sed tantum ait, urbem in privatis potius, quam in publicis desedisse aedificiis. Hic auctor eo ipso scribebat tempore, quo haec gerebantur. Tacitus e contrario suam conscripsit Annalium historiam aliquot post annos. Hinc concludendum Senecae auctoritatem esse potius accipiendam: aliter enim evenisset, ut Nero haud cantasset amplius in Theatro, si hic motus terrae partem aliqnam labefactasset: quin imo ex supra laudata Suetonii auctoritate, evi-

---

(1) Νόμος nihil aliud indicat, quam carmen in honorem deorum compositum, musicis modulis instructum, quod ad tibiam, vel citharam canebatur: saepe in Apollinis honorem fiebat; unde Νόμιχος est dictus.

denter narratur, Neronem ipsum per sequentes dies haud cantare destitisse.

Sunt qui putant, ut Iordanus lib. IV. et Capacius lib. I. Neapolitanum Theatrum eo fuisse in loco, ubi Gymnasium, et Thermae; at hoc falsum omnino est, cum huius aedificii pars maneat uti perennitatis monumentum opere lateritio (1) in eo urbis loco, ubi nunc dicitur adhuc *Anticaglia*. Nam et eiusdem forma, et aedificii structura satis superque demonstrat, hoc Theatrum potius fuisse, quam quodvis aliud aedificium, et haec communis non solum veterum, verum etiam recentium eruditorum hominum est opinio. Statius Silv. lib. III. c. 5 v. 89 de hoc Neapolitano Theatro sic canit:

Quid nunc magnificas species, cutlusque locorum
Templaque, et innumeris spatia interstincta columnis,
Et geminam molem nudi, , tectique theatri.
Et Capitolinis quinquennia proxima lustris?

Vbi vide quaeso quanta hominum frequentia requirebatur ad haec bina (1) Theatra implenda, ut in immensis cun-

---

(1) Heic mecum advertas velim, lector, Neapolitana omnia aedificia ex antiquo tempore lateritia fuisse. Ad hanc rem demonstrandam afferri potest Theatrum (de quo supra sermo) vetustarum Thermarum reliquiae, aliaque antiqua fudera, quae supersunt in huiusce urbis subterraneis non solum, verum etiam in aliis vicinis, dissitisque locis; ea quidem omnia aedificia hunc in modum constructa fuere. Hinc putandum maiores nostros parum tofo fuisse usos, ut in nostra nupera aetate in more positum: veteres enim hanc materiam adhibuerunt. Hinc est ut aliqua vix vestigia huiusce fabricae usus hodiedum reperiantur; quod si aliquando ipsi tofum usurparunt, tessellato nonnisi opere eodem usos fuisse comperimus, ut plerumque apud Romanos mos hic invaluit. Hinc crediderim Neapolitanos tofum longam post tempestatem usurpasse: isque usus nonnisi ex Andegavensium, vel Normannorum aevo introductus, vel auctus.

(1) Ex citatis Statii nostratis patet versibus, Neapoli duo Theatra extitisse: primum tam celebre, et de quo ad nos usque rudera pervenere, quae restant in loco vulgo *Anticaglia*; alte-

heis sederent, et longissimis deambularent porticibus, et illa celebrarent Quinquennalia a poeta laudata. Hinc pulchrum videre erat tot proceres, nobilesque Romanos senatores Neapolitanis immixtos sedere, dum Menandri, Aristophanis, Euripidis, aliorumque poemata exhiberentur.

Non procul a Theatro Metronactis fuit Schola, quo Seneca philosophus identidem ad illum audiendum se conferebat, ut ipse tradit epist. LXXVI. *Quoties scholam intravi, praeter ipsum Theatrum Neapolitanum, ut scis, transeundum est Metronactis petentibus domum.* At quo in loco ea proprie fuerit, et quisnam hic Metronactes, utrum Neapolitanus, an ex alia urbe ortus, incertum. Metronactis schola.

Prope theatrum fuisse quoque Circum arbitror, quippe cum is prope Castoris, et Pollucis aedem adsurgeret. Id confirmatur ex Statio, qui cum Theatro Circum coniungit loco ante citato. Circus

Eruditus Lasena, Ginnasio di Napoli c. 4 solidis probat argumentis, Neapoli nunquam Circum fuisse, aitque allatos Statii versus ad uxorem Claudiam de Romano in-

---

rum quo urbis loco, nobis nulla scriptorum auctoritas, et nulla vestigia et memoria. Pontanus de bello Neap. lib. IV. heic quondam duo theatra fuisse hoc modo scribit: *Extant in ea monumenta illustria, templi maximi inclyti Castoris, et Pollucis, et item fori, ac secundum ipsum forum, theatri, alterius vero theatri; nam duo ea urbe fuere, quorum alterum intectum erat, nullum apparet vestigium.* Ex ultimis auctoris verbis iam noscitur de illius theatri vestigiis verba facere, cuius adhuc restant rudera, et hoc tectum appellat Pontanus. Verum prout ex supra citatis Statii versibus patet, Neapoli duo extitere theatra: tectum unum, quod a Graecis Ὠιδεῖον; alterum intectum: et id haud mirum: nam si apud Pompeios duo huiusmodi fuere aedificia, quis scit, utrum alia fuerint adhuc non eruderata; cui mirum videbitur, quod Neapolis urbs Pompeiis nobilior tria habuerit theatra? At quo in urbis loco ea fuerint, nullum restat monumentum.

teiligendos, haud vero de Neapolitano Circo. Verum bona pace huius praeclari Viri ex lapidibus quibusdam Neapolitanis, quos heic recitare possem, arguitur, ex variis ludis in Circo haberi solitis, hoc Neapoli aedificium extitisse. Hoc etiam maximum, et longum aedificium ab una parte in hemicyclium, ab alia in lineam rectam desinebat. Quaenam huius structura, longitudo, quique ludi, videsis Romanarum antiquitatum collectores.

Circum etiam Hippodromus fuit nuncupatus, quippe quod in illo equorum ludi peragebantur. Dioscurorum imagines in Circo fuere; nam Castor, et Pollux veluti huius aedificii tutelares dii fuère. In hoc agebant athletae, cursores, pugiles, et luctatores. Nos heic interim pro re nata de vetustis Neapolitanorum ludis verba faciemus.

Ludi. Omnium primus occurrit ludus Quinquennalis. Hi ludi nuncupati fuere ab Olympiade exeunte, aestate celebrari soliti, et autumno adveniente. Quinquennales ludi instituti fuere in Augusti honorem, ut scribit Suetonius in eius vita c. 98 *Mox Neapolim traiecit, quamquam et tum infirmis intestinis morbo variante, tamen et quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum perspectavit.* Ea certamina per id temporis celeberrima fuisse patet ex eo quod Statius Silv. lib. III. c. 5 uxorem ut Neapolim e Roma regrediatur, invitat, ubi ea tunc celebrabantur. Et eo res rediit, ut ipsi Imperatores Quinquennalis Duumviratus dignitatem accipere passi fuerint: hinc extat apud Lasenam c. 8 vetusta epigraphes, ex qua Commodum Imperatorem Neapoli hoc munere donatum arguitur. A Domitiano triplex Quinquennale institutum Musicum nempe, Equestre, et Gymnicum. In hisce enim ludis fiebant certamina, nempe cum oratoribus poetae sese exercebant, necnon et musices arte pollentes iuvenes: patricii vero cum solis gladiatoribus certabant, ut liquet ex Tranquillo in Claudio c. 30.

Pancratium. Pancratium ludi genus, Παγκράτιον, in quo adolescentes pugnabant. Hic autem ludus proprie athletarum erat, qui quidem pluribus certaminum generibus dimi-

carunt, uti praecipue lucta, pugilatu, cursu, saltu, et disco: unde luctatores, pugiles, cursores, saltatores, et discobuli vulgo dicti. Quidam arbitrantur duplex apud Neapolitanos Pancratium fuisse, alterum ex lucta, et pugilatu; alterum volutatorium, et luctae speciem praeseferens. De hisce ludis consulatur doctissimus Potterus Archaeolog. Graec. lib. II. c. 21 et seqq. et Lambertus Bos Antiqq. Graec. lib. I. c. 17.

Ludis Augustalibus etiam Neapolitani sunt delectati, qui ab iisdem in Antonini Imperatoris fiebant honorem, qui ab Hadriano fuerat adoptatus. Hi ludi Quinquennales erant; Tacitus Annal. lib. I. eosdem commemorat, quos postea a senatu octavo quoque anno celebrari iussum est: quod quidem accidit Ælio Tuberone, et P. Fabio Coss. Ipsi primum Puteolis effecti sub *Pialium* nomine, quia Hadrianus Imperator Baiis supremam obiit diem, cuiusque cadaver postea Puteolos advectum est, et in Ciceronis Academia tumulatum; Puteolani in grati animi amorem ea certamina ediderunt, et ab Antonino instituta. De hisce ludis agit Cl. Ignarra de Palaestra Neapol. sub nomine Ἀγὼν τῆς βουϑισίας. Ludi Augustales.

Edebantur insuper a nostris maioribus ludi Ephebo-rum. Hoc certaminis genus e Graecia fuit advectum: apud ipsos enim Graecos tanti aestimabantur hi ludi, ut ad rempublicam nemo admitteretur, nisi in hoc Epheborum coetu fuisset, et nisi sui experientiam prius fecisset. Hinc in hisce ludis pueri, et adolescentes, unde Ephebi, in uno manebant loco addiscendi causa. Cum vero ad provectiorem pervenissent aetatem, ex his evadebant: unde apud Latinos dictum: *ex ephebis discedere.* Ludi Ephebo-rum.

Lampadum ludus a Graecis Ἑλλωτία ab Ellotide virgine, nempe Minerva a loco in quo colebatur, dictus. Fertur Diotimum Atheniensium classis praefectum, bellum cum Siculis gerentem, Neapolim ad Parthenopes sepulchrum, et oraculum commigrasse, peractisque sacris festum indixisse, in quo iuvenes facibus accensis currere debebant. Lycophron in Cassandra v. 730 Mopsopum Lampidicus ludus.

classis Atheniensis praefectum canit hosce ludos in nostram invexisse urbem. Mopsopus hic, et Diotimus hunc in honorem Parthenopes morem invexerunt instar Atheniensis Minervae. Fortasse etiam ludus iste introductus Euboicorum colonorum tempore; qua in urbe pestis maxime grassabatur: hinc oraculum fuit consultum, ut ante cum Lutatio Grammatico narravimus; ex eo tempore Parthenope magno honore fuit habita.

Pausanias in Attic. Athenienses scribit, hosce lampadicos ludos ante Promethei aram celebrasse, ubi homines accensas lampades proferentes per urbem decurrebant. Hi vero ludi triplici fuere specie distincti: primus ἐν Παναθηναίοις, idest in Minervae honorem celebratus; ἐν Ἡφαιστείοις alter, nempe ad Vulcanum celebrandum: tertius ἐν Προμηθείοις, ut scilicet Prometheum honore prosequerentur.

Statii vero tempore extabat adhuc ludus iste, qui fiebat in Cereris honorem divae tutelaris Campaniae, Siciliaeque: hinc poeta Menecrati scribens sic canit Silv. lib. IV. carm. 8

Tuque Actaea Ceres, cursu cui semper anhelo
Votivam taciti quassamus lampada cursu.

Extant apud Capacium lib. I. c. 15 Hist. Neap. nummi vetusti: ex antica parte visitur Apollo, ex postica fax insculpta, circa quam legitur Νεοπολίταν: ex his nummis certe arguitur, apud Neapolitanos usuvenisse, isthaec lampadum certamina celebrari. Martorellius vero in quadam Diatriba, Spiegazione di un marmo Greco etc. Graecum affert marmor Scylacium apud repertum antiquam Atticorum coloniam, in quo agitur de his ludis, ubi occurrit mentio de Συνέφηβοις, seu de iuvenum collegio, qui seipsos in Gymnasio exercebant.

Hic tandem ludus Neapoli celebrabatur eo in loco, qui nunc dicitur *la Regione*, *o quartiere di Forcella*: is enim locus a S. Gregorio Papa lib. II. epist. 59 memoratur (ut ante diximus) isque Lampadicus dictus a Gymnasio haud dissito. Plura de hoc ludo si cupis,

Cl. Averanium legesis de Lampadum ludo Monum. Postuma, Florentiae 1769. Fuere et alia ludorum genera heic celebrari solita, sed minoris momenti; quare nos illa silentio praeterimus.

CAPUT V.

Neapolis Romanorum foederata; utrum Colonia, et Municipium fuerit. De antiquis eiusdem Magistratibus, de civium Cultu, et Numinum Templis.

Antequam de Neapolitanorum antiquo Cultu, Magistratuum forma, patriisque Diis sermonem instituamus, primum de Coloniae, et Municipii iure dicendum operae pretium ducimus.

Neapolis a vetusto tempore in Reipublicae formam recta, et administrata fuit, sicut et aliis evenisse urbibus liquet, ut Capuae, Cumis, Puteolis. Hoc nos confirmat vetusta epigraphes, in qua mentio de Neapolitana occurrit Republica:

S . P . Q . NEAPOLITANUS D. D. K.
ABRUNTIO . L . F . GAL . BAEBIO . CENSORI
REIP . NEAP .

Ex Livio autem lib. XXXV. c. 16 compertum habemus, hanc Romanis foederatam fuisse sic narrante: *Qui enim magis Smyrnaei, Lampsacenique Graeci sunt, quam Neapolitani, et Rhegini, et Tarentini, a quibus stipendium, a quibus naves ex foedere exegistis?* Hinc idem scribit lib. XXI. c. 20 Neapolitanos ad Romanorum gratiam captandam, et in foedere magis quo se devincirent, legatos Romam misisse cum LX. aureis pateris magni ponderis, qui dicerent *se scire Romani populi aerarium bello exhauriri, et cum iuxta pro urbibus, agrisque sociorum, ac pro capite, atque arce Italiae urbe Roma, atque imperio geratur.* A Romanis tunc una

Neapolis Romanorum foederata.

fuit patera accepta, quae minimi erat ponderis. Neapolitani igitur ex eo tempore adeo Romanorum socii foederatique fuere, ut ab Hannibale cuncta Italia subiecta, suam urbem haud unquam in Poeni ducis potestatem dederint, ut ex ipso liquet lib. XXIII. c. 1. Cicero etiam narrat Orat. pro Corn. Balbo n. 24 Neapolim Romanis foedere coniunctam fuisse.

Colonia. Ea vero multam pone tempestatem Coloniae, et Municipii ius acquisivit. Plures patrii scriptores urbem nunquam in eo fuisse statu asserunt. Martorellius inter alios Theca Calam. pag. 427 et seqq. Neapolim nunquam Coloniam fuisse, sed usque liberam: hinc omnia marmora a nostris scriptoribus recitata iuxta eundem falsa omnino sunt. Ex aliis inscriptionibus satis liquet, nostram urbem Coloniam factam esse sub ipsum Nervae Imperatoris principatum, ut autumat Cl. Mazochius de Eccles. Neapol. pag. 239. Verum enimvero haud obstante huius scriptoris auctoritate, qui credit sub Nerva principe Coloniam Neapolim deductam, tamen paulo ante huius Imperatoris aevum illam ad hunc statum pervenisse puto, idque factum Tito imperante, ut narravimus lib. II. c. 7. cum Campania omnis post horrendam Vesuvianam conflagrationem, et urbes propinquae maxime vexatae fuere; hinc perplures opidani timore correpti aufugere. Hanc ob rationem Titum colonias quasdam in Campania deduxisse memoriae prodit Frontinus, quarum unam Neapolim misit. Sequiori fortasse Nervae tempore alia vel deducta, vel ibidem aucta.

Municipium. Ex Ciceronis insuper textu Neapolim etiam Municipium evasisse liquet, quamvis suo aevo crediderim, ut ipse ait lib. XIII. epist. 30 *L. Manlius est Sosis; is fuit Catinensis; sed est una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, decurioque Neapoli. Erat enim adscriptus in id Municipium ante civitatem sociis, et Latinis datam.* Hinc eo pacto haec urbs fuit per id temporis gubernata, ut magistratus et Graecos, et Latinos habuerit. Id constat ex Capacio loco ante citato.

Magistratus varii.

Eo vero tempore quo Neapolis fuit Respublica, aristocratico modo fuit administrata: hinc ad eam regendam duo aderant supremi Magistratus; unus qui patricios, alter qui populum repraesentaret. Primus Ἀρχων, qui *Princeps* audiebat; alter Δημαρχος, qui *populi caput* erat. Hi duo supremi magistratus aliis inferioribus praeerant, iique varii erant. Eorum unus erat Φροντιστης, *sacrorum* nempe *curator*. Ἀγορανομος, *annonae praefectus*; Στρατηγος, *dux exercitus*, Ναυκελαρχος, *navium praefectus*. Alii magistratus, qui Δημαρχῳ erant subiecti, ii quidem adnumerantur, Φρηταρχος, *Decurio*, Διοικητης, *tribulium negotiorum administrator*, et Χαλκολογος, *censuum Quaestor*. Hi omnes magistratus suum cuique munus sibi vindicabant. Istorum interim singulorum magistratuum quaenam fuerint munia, breviter enucleandum. Primum omnium occurrit Ἀρχων, *Princeps* qui idem erat, ac Romae Consul. Hic Neapolitanus magistratus veluti senatus ipsius princeps habebatur; ab Atheniensibus summus hic magistratus derivavit, qui Athenis decem perdurabat annos, quamvis antea in perpetuum creatus, et tandem ad unum annum, uti Romae Consules.

Alius magistratus fuit Δημαρχος, *caput populi*, qui idem erat ac Romae Tribunus plebis. Hic idem post Archontem primus habebatur. Quamvis Demarchis summa esset auctoritas, tamen subiungit Potterus Archaeol. Graec. lib. I. c. 13 *iis incumbebat cura populum in pagis, qui sub ditione sua erant, convocabant, et electioni senatorum, aliorumque magistratuum, qui sorte creabantur, praeerant.* Φροντιστὰς fuisse illos ait Capacius Hist. Neap. lib. II. qui sacrorum mysteria curabant, et aperiebant sacras Curiis disciplinas. Ἀγορανομος erat *annonae Praefectus*. Idem magistratus Romae dicebatur etiam annonae Praefectus. Στρατηγος, *armorum Praefectus*, quamvis Capacius ibidem militem vertit, quod quidem munus idem erat. Hinc Στρατιωτικα, ut ait Potterus erant quae ad sumptus in bello erogandos requirebantur. Ναυκελαρχος erat *navium Praefectus*, qui non solum navium curam habe-

bat, sed et militibus praeerat. Δημαρχοῖ erant subiecti alii magistratus inferiores, et primum erant Διοικητάι, qui erant sacerdotes tribulium negotiorum. Alius Neapoli magistratus erat Φρατάρχος, nempe *Decurio*, qui eandem habebat auctoritatem, quam Romanus Decurio. Χαλκολόγος tandem erat magistratus ille, qui pecuniam colligebat; hinc unaquaeque Phratria hunc habebat Χαλκολόγον, quo publicam acciperet pecuniam. Crediderim Χαλκιδικον ab hoc nomine fuisse derivatum, et locum indicasse, ubi pecunia cudebatur, vulgo *la Zecca*. Videsis quae diximus lib. II. c. 3.

Neapolitanorum Cultus.

Postquam Neapolitanorum antiquorum politiam, et regiminis formam inspeximus, quae ad cultum spectant, nunc videndum. Inficiandum haud est, quod nulla adsit respublica, vel imperium, quod sine aliqua Religionis specie esse possit. Nam in quavis republica recte constituta, sicuti leges, et magistratus adsunt, quo bene cives vivere possint, ita et templa, et cultus primum maxime quaerendus est. Veteres nationes, et praecipue Graecorum natio religioni quam maxime fuit addicta; quin imo ad illum superstitionis pervenit gradum, ut deos innumeros, templaque passim per urbes, vicos, agrosque permillia (ut ita dicam) habuerit. Quapropter Graeca gens Neapolim quo tempore commigravit, deos perplures, atque aedes sacras in nostris aedificavit regionibus, coluitque. Campani proinde populi, aliaeque gentes ea urbe dominatae, ac tandem Romani ipsi deos patrios introduxerunt. Hinc maiores nostri novos priscis adiectos honore deos sunt prosecuti, indeque tam magna deorum evasit frequentia, ut iuxta Petronium Arbitrum Satyric. c. 17 Quartilla solita fuerit dicere, *nostram regionem tam praesentibus plenam esse numinibus, ut facilius possis Deum, quam hominem invenire.* En ad quem superstitionis gradum Ethnici pervenere! Quam multas gratiarum actiones Evangelicae praedicationi non debemus? De tanta interim deorum frequentia, quos Neapoli fuisse cultos liquet, vix monumentum, ac vestigium

aliquod superest, cuius veteres scriptores aegre mentionem fecere. Nos igitur eo quo antea usi sumus breviloquio, patrios Deos cum templis describendos curabimus.

Vnus e diis praecipuis a maioribus cultus, fuit Apollo e Graecia heic invectus ex Abantis classe, ut e Statio liquet lib. IV. Silv. c. 8. Huiusce numinis templum patrii auctores ponunt, ubi nunc adsurgit Basilica S. Restitutae dicata. Et reapse Celanus, Giorn. II. narrat olim in Metropolitanae Ecclesiae effossione eruderatam fuisse antiqui pavimenti partem Apollinis templi opere vermiculato, atque murum opere lateritio. Plures ex columnis, quae hodiedum recto ordine extolluntur in aede S. Restitutae, sunt eae ipsae, quae iam Apollinis condecorabant templum. Vbi vero nunc adsurgit recentis Cathedralis Ecclesiae ara maxima, fuit olim ipsa Apollinis cella. Quo tempore Neapolitanus Archipraesul, et Cardinalis Pignatellius nempe anno MDCLXXXVII. dum sepulchrum adhuc vivens sibi parabat (quod nunc visitur cum eiusdem effigie in latere ipsius Ecclesiae e dextera regione Chori) vetustis in parietinis subterraneis reperta pars fuit antiqui pavimenti ex albo marmore, quod idem pavimentum ad Apollinis templum pertinuisse creditur. In Sanctae Restitutae vero templo praeter columnas memoratas, servatur adhuc sub ara maxima eiusdem Basilicae pyra ad sacrorum usum adhibita, quatuor angulis leonina facie suffulta: haec hodiedum ad Missae Sacrificium inservit, quo in loco servatur S. Ioannis Episcopi Neapolitani corpus, qui in hac urbe sedit anno DCCCXXXVIII. Apollo.

Alter Deus quem Neapolitani studio sunt prosecuti, fuit Hebo idem ac Sol. Hic barba repraesentabatur prolixa, humanaque facie, sed taurino corpore, ut e plurimis nummis argenteis, aereisque videre est. Capacius Hist. Neapol. lib. I. c. 14 Graecum recitat lapidem, ex quo Aquilam quendam nomine civitatis Δημαρχον huic numini vovisse constat. Hebo.

Adhaec Serapidem Neapolitani sub bovina etiam fa- Serapis.

cie coluere. Nullus est qui ignorat, maiores nostros commercium opportunissimum ultro citroque cum omnibus fere gentibus, et praecipue cum Alexandrinis exercuisse, qui urbem appetentes, mores suos introduxere. Inter alia Alexandrini hunc deum patrium invexerunt: unde postea illa gens Neapoli adeo excrevit, ut temporis progressu etiam Alexandrinorum Phratriam efformarit. Parthenopaei vero eidem numini templum (ut fertur) ad Platamonium antrum, nunc *Chiatamone* secus Plagam Olympicam, vulgo *Chiaja*, dicarunt. Sannazarius hoc indicasse videtur Ecloga V. v. 5.

Diana. Sicuti Neapolitani Hebonem, sive Solem, sic et Lunam eodem more prosecuti fuere. Haec igitur fuit ab illis sub Ἀρτεμίδος nomine culta. Hinc maiores eidem templum in urbis medio ordine Ionico aedificandum curarunt: quod fuit ubi nunc nobilissima adsurgit S. Mariae Maioris aedes, vulgo S. *Maria della Pietra Santa.* Et re sane vera Celanus, Giorn. II. ceterique patrii scriptores tradunt, quo tempore huius Ecclesiae fundamenta a D. Pomponio Neapolitanae Ecclesiae Praesule iacerentur, disiecta plura Dianae templi rudera fuisse. Conspicitur adhuc latericii operis pars (1), ubi nunc est Ecclesiae turris campanaria, vulgo *il Campanile*, quae vetusti templi magnificentiam praesefert. Apud nostrates vero Dianae sacerdotes celebres evasere, qui sub Dianarum nomine salutati fuere. Quo enim tempore iratum credebant numen, iidem tunc facibus accensis per urbem discurrebant vagantes. In hisce ritibus multa patrabantur: inter alia carmina quaedam canebant. Temporis progressu eversa Ethnicorum religione, et Christianorum introducta, ni-

---

(1) Hoc opus lateritium est pars vetustae Campanariae turris a D. Pomponio aedificatae, in cuius basi restant adhuc plura antiqui templi marmorea frusta. Celanus quasdam subterraneas cameras suo aevo, et plura vasa Graeco opere, et Graecis characteribus reperta fuisse narrat loco ante citato.

hilosecius Dianae sacerdotum ritus, et praecipue carmina atque praestigia haud deperdita, neque adhuc apud vulgus immutata fuere. Hinc crediderim illorum speciem sequiori aevo extitisse, et nostra fortasse tempestate eas foemellas, quae vulgatim sub *Ianare* nomine veniunt, suam derivasse a Dianae sacerdotibus originem.

Non procul ab S. Mariae Maioris Ecclesia adsurgit Ioviani Pontani aedicula, in qua plures vetustae leguntur Graecae inscriptiones, Latinaeque, quas affert Carlettus, Topografia di Napoli pag. 179, et noster Ignarra commentario illustravit in Opusculis.

Cererem quoque Neapolitani coluere, eiusque festus dies quam maxima peragebatur pompa, laetitiaque. In his sacris prae ceteris facibus accensis per urbem currebatur; unde repraesentabatur Ceres cum Baccho, quae raptam filiam Proserpinam taedis per orbem quaesierat accensis, imposito calatho supra currum simul virgines prodibant, ut scribit Capacius lib. I. c. 14 et ut prostat ex tabula reperta cum epigraphe, quam Latine reddit Martorellius Theca Calam. tom. II. pag. 711. Celanus hoc Cereris templum fuisse ait, ubi fuit aedes S. Mariae Rotundae dicata in Regione Nili: prope Ecclesiam duos lapides ad Cereris templum pertinentes eruderatos idem scribit. In Cereris tandem festis peragebatur ludus Lampadicus ante descriptus, ut constat ex Statio Silv. lib. IV c. 8. Ceres.

Dioscoridum templum, nempe Castoris, et Pollucis perantiquum Neapoli censetur, quippe quod etiam illorum cultus ex Graecia derivavit. Verum ex inscriptione, quam ante retulimus huius libri cap. IV. Dioscoridum templum Augusti aevo a Tiberio Iulio Tarso eiusdem liberto restauratum fuisse liquet, quod ex antiquitate labefactatum Iulius ipse Tiberius in eorum honorem magnificentius excitavit. Templum hoc celeberrimum, atque splendidissimum fuit: prout enim adhuc ex eius apparet ruderibus, nihil eo nobilius esse potuit. Intercolumnium enim Corinthio fuit opere, uti ex qui- Dioscoridum templum.

busdam columnis nunc in fronte novae aedis S. Pauli videre est: in vetusti templi fronte plura erant deorum simulacra opere anaglyptico. Inter alia Apollinis imago; Tellus ad dexteram cornu copiae tenens, aliaque id genus conspiciebantur. Iacent in solo Castoris, et Pollucis (uti creditur) ex marmore trunci ab eiusdem templi veteris aggestionibus eruti anno MDXCI nudi clamydatique. In templi trabeatione Graeca epigraphes olim legebatur, quam ante retulimus.

Sunt qui scribunt, haec duo Dioscurorum signa corruisse eo ipso tempore, quo Apostolorum Princeps D. Petrus Neapolim advenit, atque hac pertransiit: muta tunc ea numina ad Apostoli praesentiam statim ad solum fuere prostrata. Vbinam eae statuae collocatae fuerint olim, utrum ad templi frontem, an in ipso templo, incerta quidem res est. Hoc templum magnificum fuit, et fortasse urbis antiquae nobilissimum aedificium: nam anno IV. et XL. supra sesquimillesimum, quo tempore vix ingentia adhuc templi supererant rudera, Tunetanum Regem Muleassem Neapolim advenientem, et Genuam transgressurum, quo auxilium a Carolo V. Imperatore contra Hariadenum Ænobarbum impetraret, statim ac templum ad hoc pervenit, reliquias ingentes contemplantem, stupore et admiratione correptum fuisse, et lacrymas effudisse narrat Iosephus Silos pag. 202 Histor. Clericor. Regular. edit. Romae 1650.

Grates debemus Rev. Patri Valerio Pagano, qui in Hist. MS. cui titulus, Relazione d' alcuni fatti della Religione Teatina, plura narrat de hoc templo, deque reliquiis, quae extabant adhuc suo tempore. In sua enim historia MS. (quam paucis abhinc annis prae manibus habui) novi templi D. Paulo dicati aedificationem supra Dioscoridum ruinas enarrans, cuncta quae suo etiam aevo restabant, describit. Vetustum templum erat ubi nunc praesens est coemeterium, et ubi adhuc ingentes visuntur ruderum ruinae opere lateritio. In novi templi fronte duae

dimidiatae magnae restant columnae ordine Corinthio, duaeque bases ad alias sustentandas columnas.

Ex Diario insuper MS. Rerum notabilium Domus S. Pauli R. P. Antonii de Angelis, quod servatur in Archivio eiusdem Domus Theatinae S. Pauli, confirmamur de horrendo motu terrae, qui accidit anno MDCLXXXVIII. Pentecostes vigilia hora diei XXI. quo tempore sunt conlapsae columnae quatuor, et epistylium, quod Graecam sustentabat inscriptionem ante recitatam, aliaeque intactae fuerunt. Citatus auctor narrat, hunc terraemotum adeo vehementem fuisse, ut plura urbis aedificia corruerint. Ea vero civium pars, quae secus erat viam, in ipsum atrium D. Pauli Ecclesiae aufugit, ubi Castoris, et Pollucis templi adsurgebant columnae: XXII. heic homines sub ruinis fato perierunt. Eandem D. Pauli aedem D. Caietani, qui pluribus id temporis super aera visus, a terraemotu miraculo servatam tradit idem scriptor. Memoriae tandem prodit Chronogrophus anno MDCCXII. quo tempore B. Andreas Avellinus Sanctorum albo fuit adscriptus, duas alias columnas, quarum in praesentiarum tantum restant bases, fuisse ablatas: ubinam vero eaedem fuerint collocatae, incertum.

Priapum quoque deorum impudentissimum Neapolitani studio prosecuti fuere. Huic aedem dicarunt maiores nostri prope Cryptam Pausilypanam, ut scribunt plures patrii auctores (1). In eo fama est sacrificasse foeminas nocturno tempore, ut legere est apud Petronium Satyric. c. 17. Eiusdem sacerdotes Ithyphallici dicebantur. Hic Deus hortorum tutelare fuit numen, ut est apud Virgilium Georg. IV. v. 410 et Catullum lib. II. Epigr. 20. Priapus.

Aliud tandem templum est illud quod Neapolitani Antinous.

(1) Cl. Grimaldius, Annali del Regno di Napoli, epoc. I. tom. VI. pag. 248 et seqq. hoc Priapi templum, et Quartillae Cryptam alio in urbis loco ponendam autumat, in regione nempe Furcillensi, vel in ea vicinitate.

Antinoo dicarunt. Hoc adsurgebat ubi nunc dicitur S. Ioannis Maioris Ecclesia. Pontanus (1) huius mentionem facit his verbis: *Hadrianus templum in tumulo proxime portam, quae ad mare ferebat, aedificavit mirae amplitudinis, idque postea conlapsum ab insequentibus est principibus instauratum;* de Bello Neapol. lib. VI. Fama vero est Imperatorem ipsum cuiusdam adolescentis Antinoi nomine adeo amore captum, ut eidem templum excitarit. Hoc vero ad mare (2) fuit situm. Evulgata postea Evangelica praedicatione, eversis undique idolis, et ubique diffuso Christianorum cultu, hoc D. Ioanni Praecursori fuit dicatum.

Atque haec satis sint, quae de Politia, patriis Diis, templisque iisdem dicatis erant dicenda.

---

(1) Cl. Pelliccia in quadam diatriba typis edita Neapoli 1801 parag. 1 hanc Pontani auctoritatem falsam esse probat, et Hadrianum nunquam Antinoo Neapoli templum sacrasse, ut produnt omnes patrii auctores: idque coniectat laudatus auctor ex Spartiano in eius vita c. 19 qui tantum Neapoli Hadrianum Demarchi honore habitum fuisse scribit.

(2) In dubium haud vertendum est, quin quondam mare huc usque pervenerit. In eo enim loco, qui adhuc *Seggio di Porto* vulgo dicitur, mare extendebatur ad Ecclesiam usque S. Ioannis Maioris supra collem positam. Ibi reapse fuit antiquus urbis portus: adhuc Celani aevo vetustae Phari Neapolitanae pars aderat, ut narrat Giorn. IV. et ad radices collis S. Marcellini, vulgo *Monterone* repertos annulos, quibus naves alligabantur, in subterraneis quibusdam parietinis disiectos quondam fama est. Ad *Mercati* forum in aliis subterraneis Iustinianus Dizion. etc. artic. *Napoli*, maris antiqui vestigia, nempe arenam, et testaceos adspectasse testatur. Ex dictis liquet mare quondam ad haec usque loca pervenisse.

Ad quam autem urbis partem fuerint celebres porticus, ubi tot tabulae a Philostrato lib. I. *Iconum* descriptae, et ubi tot Graecae artis monumenta adservabantur, haud clare patescit. Crediderim ipsas fuisse, ubi fortassis Neapolitanae moles aderant, quo loco urbis aedificia adsurgebant nobiliora.

CAPUT VI.

Pausilypanae describuntur deliciae, de Vedii Pollionis villa, deque alia Lucii Luculli, deque Sannazarii poetae Sepulchro.

Amoenissimum nunc terrarum orbis angulum describere est animus, Pausilypanum nempe promontorium. Si nominis primum vim spectemus, hoc a λύπη, *cura*, et παύω, *relinquo* descendit, quia tanta est eius amoenitas, ut qui ad illum accedunt locum, statim animi moerorem, curasque a se avertere cogantur. Cum vero mari immineat, ex parte dominatur Neapolitanum Craterem; ab oriente Neapolim respicit urbem, subiectosque vicos ad Vesuvii pedes sitos, nempe Leucopetram, vicum S. Ioannis a Teducio, Porticensem, et Resinensem villas, Herculaneum, et Pompeios. Praeterea ex alia parte Picentinorum catenam prospectat, Stabias, Vicum Æquensem, Surrentum, Massam Lubrensem, et Minervae promontorium. Ad occidentem prospicit Leucogaeos colles, Puteolos, Baias, et Misenum Romanorum quondam classis stationem. Vicinum vero mare exquisitis abundat piscibus, omnique deliciarum genere, qua parte praesertim sinistrum alluit promontorii latus, aedificiorum frequentia, elegantiaque celebratum, cum ei adiaceat Olympica Plaga, vulgo *Chiaja*. In ipso eius mari adsunt parvae insulae; quarum prima est Megaris, sive Megaria, vulgo *Castel dell' Ovo*, quae hystmo terrae nunc adhaeret, et e regione parvum adsurgit promontorium nomine Echia, nunc *Pizzofalcone* Capreas contra. Euplaea est propius, nunc *Mare Piano*, Εὐπλεῖα (1), quae a

(1) Non procul hinc montem ascendentibus fit obviam magna crypta, quam Seiani vocant indigenae, *la grotta di Sejano*. Haec enim plurium aquarum alluvionibus vicinarum rupium in dies oppletur; ipsa fortasse a Lucullo fuit aperta.

felici navigatione nomen accepit: Alexandrinae enim naves olim Puteolos petentes, ea urbe conspecta veluti fausto omine, felici se navigatione usas laetabantur. Hinc Statius cecinit lib. II. Silv. c. 2. v. 79

Inde vagis omen felix Euplaea carinis.

Creditur ibi olim Venerem adoratam, ut ostendunt aliquot templi ruinae, unde Statius cecinit ibidem:

Et placidum Limon (1), *numenque Euplaea carinis.*

Prope Limon alius adiacet scopulus in loco, quem appellant *la Gajola*, sub nomine Scholae Virgilii. In eo restant adhuc plures vetustae fabricae opere lateritio, ex quibus quondam heic fuisse thermas demonstratur, ut ex porticuum reliquiis adhuc videre est. Hinc a nostratibus *Schola* dicitur locus iste, dum a Vitruvio lib. V. c. 10 pro thermis accipitur, vel forsitan etiam a vicino Virgilii Maronis tumulo *Virgilii schola* vulgo vocitatur. Hodiedum locus hic a Neapolitanis aestate comessationibus, et ebrietatibus satis celebratur.

Inde Puteolos versus adest Nesis insula, et ad eam proximus amoenus scopulus Limon, ut coniectat Cluerius Ital. ant. lib. IV. c. 2 ex allata Statii auctoritate fortassis, cum alterius insulae nullum remaneat vestigium, quae nunc dicitur *lo Sporgatojo*, aut *Lazaretto*, quo scilicet ab extremis oris onerariae appetunt naves, et hinc in proximo Nesidis portu contagionis suspicionem (si quam advectunt) aliquandiu heic immorantes diluunt.

Hic vero mons Pausilypus feracissimus uvis, et nobilissimis vinis celebratur. Inter alia laudatur uva praesertim Apiana, quae nomen accepit ab apibus, quia de illa maxime delectantur apes, ut Plinius tradit Hist. Na-

---

(1) Vox isthaec Limon iuxta Martorellium, Colon. Fenic. tom. I. pag. 51. Graeca est, et *pratum* significat. Ea vero voce utitur laudatus auctor ibidem ad affirmandum Harpyas, quae ἐν Λειμῶνι, *in prato* pascebantur, extitisse in regione Baiana.

tur. lib. XIV. c. 1. Hanc uvam aliam non esse credo, quam illam, quae a nostratibus salutatur *Muscatella*, a muscarum nempe telis. Laudatur etiam in hoc monte uva Duracina: haec nunc dicitur *Duraca*, quae etiam ab antiquis in more fuit posita.

Fructus vero perquam ibi exquisito, et cuiuscunque generis sapore sunt, et eo modo, ut hodie ex totius Campaniae agris excellentiores aestimentur. Praetereo ficus, pyros, cerasos, aliasque sexcentas fructuum plantas. Quoad flores insuper excellentissimos, et quoad colorem, odoremque, reapse nihil est nunc illo uberius solo, ita ut Pomona ibi potius habitasse videatur cum nymphis, et agricolis, qui heic vitam felicem degunt in agris. Pausilypanae deliciae.

Nihil illo litore amoenius, et piscibus abundantius: heic aer perquam purus semper zephyris spirat: haec patria deliciarum est: coelum ibi dulce, mare omnibus fere piscium generibus abundat, et praesertim memoratur hoc litus ob ostreas, echinos, paghuros, thynnos, ac prae cunctis ob exquisitos mugiles. Nihil vero isto litore aestate amoenius, et otiosius est. Laudantur ab antiquis iure meritoque Baianae, Puteolanaeque deliciae, sed haec loca nunc pestifera, et horrenda sane sunt; ibique aer graveolentior, et aegritudo potius dominatur, quippe cum horum locorum status, atque situs sit omnino a natura immutatus ob tot nostrae regionis conflagrationes, vulcanicasque materias, et ob assiduos motus terrae, quibus subiectum saepe fuit solum, aliasquae naturae vicissitudines. Nihil ergo his locis hodie lacrymabilius, atque miserabilius est. Solus atque unus Pausilypi angulus nunc ridet, et cum Baianis certat deliciis. Ibi enim passim huc illuc tot Neapolitanorum celebratae, et pulchrae adsurgunt per litora villae, rusticaeque domus. Æstate vero tot civium huc confluentium per litus catervae iocos inter, comessationes, choreas, plausus, risusque ad multam noctem Luna micante, sonos inter, ac symphonias cum Neapolitanis Syrenibus concentum dulcem modulantium, atque Vlyssis socios rursus aures demulcentium adliciunt,

Haec igitur Veneris sedes, atque Nympharum domus, Cupidinumque, in quibus tot deliciae, et illecebrae reperiuntur, quibus undique Pausilypanum abundat promontorium. Quid hoc igitur loco gratius, amoenius inveniri potest? Haec terrae pars ridet praeter omnes. O vita heic expetenda, atque amplectenda!

Pollionis villa. Nec vero solum locus hic a Neapolitanis nunc adamatur, verum etiam ab antiquis, et praesertim a Romanis villae heic, et sumptuosa vivaria quam magno sumptu excitata fuere. Inter alias Romanorum equitum villas ea prae ceteris Vedii Pollionis (1) memoratur, cujus plures ex antiquis meminere. Plinius prae aliis hoc modo Hist. Natur. lib. IX. c. 53 *Ævi piscium memorandum nuper exemplum accepimus. Pausilypum villa est Campaniae haud procul Neapoli: in ea Caesaris piscinis a Vedio Pollione coniectum piscem, sexagesimum post annum expirasse scribit Annaeus Seneca. Duobus aliis aequalibus ex eodem genere etiam tunc viventibus.* In ea vero villa muraenarum vivaria extruxit Vedius Pollio, quas saeviter humanis etiam pascebat carnibus. Citatus auctor de muraenis sic scribit ibid. c. 23 *Invenit in hoc animali documenta saevitiae Vedius Pollio eques Romanus ex amicis Divi Augusti, vivariis earum immergens damnata mancipia, non tamquam ad hoc feris terrarum non sufficientibus, sed quia in alio genere totum pariter hominem distrahi, spectare non poterat.* Laudatus a Plinio Seneca pluribus in locis ipsius villae muraenarum vivaria, totque saevitias

---

(1) Cl. Ancora, Viaggio di Pozzuoli pag. II. edit. Neapol. 1792 hanc Pollionis villam supra Euplaeae scopulum ponit, ubi adhuc visuntur plura huiusce fabricae rudera, et ubi proprie dicitur vulgo *Mare Chiano*. Verum non solum Pollionis villa fuit super hunc scopulum, sed etiam eiusdem pars in vicina extendebatur continenti, ut ex pluribus vetustarum fabricarum ruinis videre est.

a Pollione inventas probre commemorat. Inter alia sic memorat lib. III. de Ira c. 40 *Divus Augustus cum coenaret apud Vedium Pollionem, fregerat unus ex servis eius crystallinum: rapi eum Vedius iubet, nec vulgari quidem periturum morte; muraenis obiici iubebatur, quas ingens piscina costinebat . . . . Evasit e manibus puer, et confugit ad Caesaris pedes, nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, nec esca fieret. Motus est novitate crudelitatis Caesar, et illum quidem mitti: crystallina omnia coram se frangi iussit, complerique piscinam.* De immani etiam Pollionis saevitia idem scribit Cassius lib. LIV. qui narrat Pollionem Augustum huius villae haeredem ex testamento fecisse.

Haec ipsa villa quae olim Vedio fuerat, nunc temporis ad familiam Mazzae cognomento pertinet: restant adhuc in illa pervetusta Pollionis vivaria. In vicino vero mari exquisitae enascuntur muraenae.

Praeter hunc Romanum equitem, fuit heic etiam Lucii Luculli villa, de qua sic scribit Plinius Hist. Natur. lib. IX. c. 54 *Lucullus exciso etiam monte iuxta Neapolim maiore impendio, quam villam exaedificaverat, eurypum, et maria admisit.* Hinc laudatus auctor de eodem subiungit: *Magnus Pompeius Xerxem togatum eum appellabat.* Et hoc procul dubio: nam hic Romanorum ditissimus eo loci infinitos insumpsit sumptus, cum mare in terram vicinam immiserit, ut adhuc videre est in huiusce montis extrema parte, ubi vulgo dicitur *la Scuola di Virgilio*, et ubi Lucullana aderat villa. Heic loci hodiedum adhuc restant vestigia. Varro etiam de ipsa mentionem facit lib. II. de R. R. necnon et Paterculus lib. II. c. 33. Post Luculli mortem omnes villae, et praesertim isthaec, de qua sermo est, ad filium eius M. Lucullum cum tota haereditate pervenerunt. Cato Vticensis qui huius Luculli filii impuberis fuit tutor, senioris Luculli luxum detestans, pisces ex his Pausilypanis distraxit piscinis. Id omne narrat Plutarchus in Lucullo, Plinius lib. IX. c. 54 Columella de R. R. aliique.

Luculli villa.

*

Temporis progressu mutato Reipublicae statu, Lucullanae villae, aliaeque forsitan ad principis patrimonium pervenerunt. Id ediscimus ex ipso Plutarcho ibid. At cum eae villae plures essent in ora Campaniae, quas Caesar possideret, hinc ab eo mitti solebat procurator aliquis, non vero villicus. Talis fuit ille Traiani libertus, qui sequiori aevo Euphrates nomine Pausylipo procurasse dicitur, ut est apud Fabrettum in quodam recitato marmore pag. CXC. n. 48.

Non procul a Luculli villa, et supra Pausilypanum promontorium fuit Fortunae aedes, cuius adhuc visuntur in eo loco vestigia, qui vulgo dicitur *S. Maria a Fortuna*, ab aedicula B. Virgini Deiparae dicata. Capacius Hist. Neap. lib. II. c. 1 extare adhuc sua aetate templi huius narrat ruinas.

Via Pausilypana nova.

Super hoc monte aperta fuit alia nova via secus mare paucis abhinc annis, eaque deliciossima quidem est, certatque cum Romanorum potentia, cum sumptus permagni, et labores ad id operis fuerint insumpti. Haec via extenditur ad IV. circiter milliaria a Sannazarii sepulchro ad Balneolanam usque regionem supra eundem collem, atque inde coniungitur cum Puteolana via secus mare. Nihil hac amoenius, et magnificentius esse potest, si propinquum subiectum mare, si aedes ad rusticandum aptas, si hortos florentissimos, si urbem procul Neapolim, si urbes dissitas supra Apenninorum catenam, si Vesuvium ipsum respicies. Quo via minus difficilis redderetur, pontes passim efficiendos fuit curatum. Hinc nostrates, et praesertim exteri quotidie ad hanc magnificentissimam visendam viam turmatim adveniunt.

Sannazarii sepulchrum.

Sannazarii sepulchrum est supra Pausilypanum litus: hoc adsurgit in Ecclesia S. Mariae de Partu Virginis in ora Mergellinae (1). Quo tempore vitam ipse agebat poe-

---

(1) Martorellius, Colon. Fenic. tom. II. pag. 667 asserit ubi olim aderat Sannazarii villa, antea vocatum fuisse Φαληροῦ τύρσιν,

ta, summum ius in administrandis rebus Neapolitanis erat Federico Regi Aragonio, qui viros honestos, et virtute insignes, quibus familiariter utebatur, donis opidorum, et vectigalium locupletavit. Sannazario autem pecunias est elargitus Federicus, quae illi ad sexdecim millia H. S. quotannis ex aerario solvebantur, rus etiam suburbanum in Pausilypi montis latere situm, cui nomen Mergellina ob pulcherrimum Tyrrheni maris prospectum, et ob fructuum ubertatem, et superioribus Regibus in pretio habitum. At Sannazarius quasi hoc rus despiciens (cum adhuc loci illius haud agnosceret pulchritudinem) hoc eidem Federico scripsit epigramma:

Scribendi studium mihi, tu Federice, dedisti,
Ingenium ad laudes dum trahis omne tuas.
Ecce suburbanum rus, et nova praedia donas:
Fecisti vatem, nunc facis agricolam.

At non multo post loci ipsius amoenitate captus, villam reddidit nobiliorem, ubi vitam ducens tranquillam, poema de Partu Virginis, Eclogas Piscatorias, Arcadiam, Elegias, aliaque poetices elucubravit opera. Hinc regni postea rebus mutatis, et urbe Federico privata (cum in custodiis fato functus esset) ob odium in illum excisa fuit eiusdem poetae villa. Temporis progressu Sannazarius monasterium cum Ecclesia aedificavit, quam D. Mariae de Partu Virgini dicavit. Templum etiam appellatum fuit S. Nazarii ab auctoris cognomento; idque tunc Patribus Servitis fuit donatum. Sannazarius vero anno MDXXXII., ut tradit Angelus Constantius, in aedibus Cassandrae Marchionissae Neapoli e vita excessit. Cum in vivis adhuc ipse ageret, testamento praeceperat, ut post fata ad Ecclesiam S. Mariae de Partu Virginis in ora Mergellinae tumularetur, ut reapse factum.

Palheri arcem, quod ex Poeta Lycophrone haurit, aitque Phalerum *mergum* significare: hinc locum Mergellinae dictum postea, a mergis derivatum autumat.

Hoc ergo sepulchrum situm est post aram maximam eiusdem templi: stat ipsa eius effigies ex marmore sculpta inter duos pueros alatos; in sepulchri parietibus depictae adservantur variae satyrorum, nympharumque figurae. Ad latus vero duorum puerorum adstant duo signa, Apollinis unum, Minervae alterum. Hoc opus exaratum, atque marmore fuit scalptum a Fratre Ioanne Montursulo Servita Florentino. Cardinalis Bembus Sannazario familiaris tumulo hoc superaddidit carmen:

Da. sacro. cineri. flores. hic. ille. Maroni
Sincerus. Musa. proximus. ut. tumulo.

Atque haec satis de Pausilypo, eius deliciis, deque Sannazarii sepulchro.

CAPUT VII.

Describitur Crypta Neapolitana: de Virgilii Maronis sepulchro, de aquis mineralibus: de insula Megaria, de villa Antiniana, de rure Arenulano, de Plaga Olympica, deque Regia Villa.

Crypta Neapolitana. Ad cryptam nunc accedimus Puteolanam, sive Neapolitanam, ad immane antrum Romanorum potentia excitatum, et post tot saeculorum longaevitatem adhuc extans, quin meliorem in statum nunc redactum, nihil obstantibus assiduis motibus terrae, et Barbarorum colluvie. Hoc unum antiquitatis monumentum totius Romani imperii cuilibet excitat admirationem cum ad eam excavandam cryptam sumptus permagni adhibiti fuere.

Non procul a descripto Sannazarii sepulchro est ea, de qua loquimur. Quo vero tempore florebant urbes Neapolis, atque Cumae, quarum unaquaeque pro loci opportunitate latissimum commercium exercebat, hinc mare aut navigandum, aut Pausilypanus viatoribus mons erat ascendendus; inde factum, ut illum perforarint, quo mercaturam liberius commodiusque exercerent, viamque redderent breviorem. Huiusce vero specus origo est

adeo vetusta, ut ea nonnullis scriptoribus sexcentas reperiundi, et excudendi fabulas ansam praebuerit. Hoc unum satis dictu est, Strabonem, Senecam, aliosque auctores illius mentionem fecisse. Quorum quidam a Basso, alii a L. Lucullo apertam esse scripserunt. Illam reapse Cocceium architectum M. Agrippae iussu, qui Tiberio imperante vixit, excavasse auctor est Strabo lib. V. Geogr. eiusque sententiam virorum eruditorum plerique amplexati sunt. Strabonis aevo eam habebat latitudinem, quae onusta iumenta, et adverso itinere gradientes currus admitteret, illustrabantque aditum superne per Fenestras immissa lumina, ut scribit idem. Hinc ipse auctor Agrippam Augusti generum narrat a Cocceio architecto duas effodiendas cryptas in agro Puteolano curasse: quarum prima ab Averno ad Cumas viatorem ducebat: altera per Baias ἐπὶ νέαν πόλιν, *ad novam urbem.* A Strabone indicantur ipsae Baiae, non vero Neapolis, quae semper a scriptoribus scripta reperitur Νέαπόλις. Ex auctoris textu hanc cryptam a Baiana differentem ab Agrippa extructam fuisse elucet, quamvis haec depressior fuerit a principio, et viatoribus satis incommoda.

Lumina insuper a Strabone descripta nonnisi post longiorem aetatem aperta fuere, eaque nonnisi duo, ut adhuc videre est. Annaei vero Senecae tempore obscurissimum per cryptam erat iter: narrat enim ipse ad Lucilium scribens epist. LVII. lib. VII. *Cum Baiis deberem Neapolim repetere, facile credidi tempestatem esse, ne iterum navem experirer. Sed tantum luti tota via fuit, ut possem videri nihilominus navigasse. Totum athletarum fatum mihi illo die perpetiendum fuit. A ceromate nos aphe excepit, in crypta Neapolitana. Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obscurius, quae nobis praestant, non ut per tenebras videamus, sed ut ipsas. Ceterum etiamsi locus haberet lumen, pulvis auferret. In aperto quoque res gravis, et molesta. Quid illic, ubi in se volutatur, et cum sine ullo spiramento sit inclusus in ipsos, a quibus excitatus est, recidit.*

Hunc Senecae textum Lipsius conciliare cum Strabone cupiens, ea lumina, scribit, obstructa, vel neglecta fuisse Senecae aevo, qui Nerone imperante vixit. Verum videtur Strabonem recte dixisse, cum crypta suo tempore lumina passim habuerit. Sebastianus enim Bartolus Thermolog. Aragon. part. II. pag. 17 et seqq. hanc graphice describit, et quatuor lumina, vel fenestras, ab oriente duas, duasque alias ab occidente habuisse semper ait, quamvis in praesentiarum duas tantum contineat: duaeque etiam eiusdem Bartoli aevo aderant, atque hae quidem oppletae, ut ex vestigiis, quae supererant, agnoscebatur. Easdem fortasse quoque oppletas Senecae tempore fuisse crediderim, quamvis vix paucum intercidit spatium a Strabonis aevo, cum cryptam hanc carcerem veluti obscurum describat.

Verum id quod magis Senecae occasionem praebuit cryptam carcerem appellandi, fuisse videtur illud, quod scribit, tum *tempestatem esse*, nempe tempus pluviosum, et propterea coelum nubilum, et obscurum. Quid igitur de crypta eo tempore? nonne obscurissimam esse dicendam, ut periculum quoque possunt facere nunc temporis illi, qui coelo obnubilo per illam iter instituunt. His adde tandem, quod eiusdem Senecae aevo ea crypta esset satis humilis, angusta, et perfectus carcer.

Praeter laudatum Strabonem, et Senecam huiusce cryptae facit etiam mentionem Petronius in Fragmentis edit. Burmann. pag. 870 hoc modo: *Satis constat, eos nisi inclinatos non solere transire cryptam Neapolitanam.* Vbi vide quaeso quam bene concordat Petroniana auctoritas cum citatis ante textibus. Horrendum profecto fuisse arbitror hunc locum, atque immane antrum.

Haec autem crypta fuit a principio satis humilis (1),

---

(1) Dignum observatu est, vetustissimam cryptae formam, et altitudinem fuisse satis a praesenti differentem: nam eadem, prout ex supra allato Senecae textu apparet, perfectus erat car-

ut vix hastatus homo super equum transire posset. Ea postmodum ab Alphonso Aragoniae I. Rege excavata est, et latior effecta, et passim aditus superne per fenestras adiectus immisis luminibus, quo viatoribus daretur iter, ne per tenebras commearent. Petrus vero Toletanus Neapolitanorum Prorex cum urbem Puteolos motu terrae partim excisam restaurasset, altiorem fecit, et quadrato stravit lapide, atque ita evasit viatoribus commodior. Adest in cryptae medio Beatae Mariae Virgini sacellum dicatum, ubi lumen diu noctuque intra ipsius cancellos adest, quo commodius viatoribus iter ostendatur. Haec tandem crypta a Carolo III. Borbonio Hispaniarum Rege fuit pluribus in locis restaurata, et iterum meliorem in statum redacta adiunctis stratis silicibus.

Ante cryptae ingressum ex parte Plagae Olympicae in ipsius montis visceribus visitur aquaeductus Neapolitani pars, qui aquas Baias ferebat. Hic vero in duos seiungebatur ramos, primum qui aquam Pausilypum ad Pollionis, et Luculli villas: alter qui Puteolos ducebat, uti ex ipsorum ruderibus videre est.

Extra iam descriptam Neapolitanam cryptam duae adsunt viae, quarum una ad Anianum lacum viatorem fert, altera Puteolos prope mare: haec via *Nova* dicitur ab antiqua omnino diversa, qua per montes Neapoli eundum erat. Haec vero *Nova* via aperta fuit a Parafano Ribera Neapolitano Prorege regnum administrante anno

---

cer, dum satis depressior erat, ut adhuc ex rotarum cognoscitur ab utroque latere vestigiis in ipsis parietibus, quae restant supra cryptae altitudinem. Adhaec visitur adhuc aedicula puta antiquorum Christianorum opera elaborata, et tabula in ipso pariete depicta. Ipsa procul dubio per eam tempestatem erat in eiusdem cryptae plano: at vero temporis progressu factum, ut eadem crypta, quae satis depressa erat, excavata fuerit ad eam altitudinem, quae nunc est. Crediderim etiam vetusto aevo viam fuisse satis altam, et sequiori depressam versus Plagam Olympicam, ut adhuc restat pars.

MDLXVIII. Hinc ea via dicta fuit *Rivera*. Adest lapis extra cryptam in bivio eo loco, ubi dicitur *l' Epitaffio*.

Haec autem via *Nova* amoenissima est hodiedum, qua per Balneolanam regionem, vulgo *i Bagnuoli* Puteolos itur. Sebastianus Bartolus Thermol. Aragon. tom. II. pag. 100 huius viae mentionem facit hoc modo: *Ager iste apud incolas triplici nomenclatura distinguitur. Etenim pars quae mare attingit, dicitur li Bagnuoli: quae vero Antiniano subiacet ob lapidum fodinas dicitur Soccavo; tertia inter has media, in quam cryptae Neapolitanae aperiuntur fauces, Fuori Grotta appellatur.* Ex hoc loco nempe extra cryptam incipiebat vetusta via Puteolana nunc impervia, quae per Anianum lacum, inde per Leucogaeos colles, tandem ad Puteolos perveniebat.

Idem Bartolus ibidem in hac Balneolana regione octo enumerat balnea, quorum primum est *S. Germani Sudatorium*, de quo infra agemus lib. IV. c. 4 in Aniani lacus litore positum. Alterum cui nomen *Bullae balneum* in collibus Leucogaeis: tertium *Astruni*, quod a loco nomen desumpsit: quartum *Foris Cryptae*, quod extat in radicibus Pausilypi montis extra cryptam Neapolitanam. Quintum *Iuncarae* non procul a proxime dicto: sextum *Plagae* in ipsa Balneolana regione haud procul a mari e Nesidis regione. Septimum *Petrae* prope Plagam: octavum tandem *Colaturae* ibidem. Balneum *Foris Cryptae* scribit idem auctor pag. 114 fuisse satis magnificum etiam apud antiquos, ut ex ruinis, quae restant, videre est; nam parietes internos, ait, adhuc structurae elegantiam servare, et praeter laterum muros, quatuor pilas ad fornicem sustentandum erectas cerni.

Virgilii Maronis sepulchrum.

Celeberrimum, atque pervetustum monumentum, quod servat adhuc Neapolis extra cryptam ante descriptam, est P. Virgilii Maronis insigne sepulchrum, de quo heic nonnulla dicenda. Is natus est Cn. Pompeio Magno, et Licinio primum Coss. Idibus Octobr. in pago, qui Andes dicitur, quique parum a Mantua distatbat. Hic a

natura fuit auctus tanta mentis gratia, ut cum ad poesim factus videretur, longe alios antiquitatis celebres superarit poetas. Hinc plura scripsit, praesertim Æneidum libros XII. Bucolicam, et Georgicam (1), quae usque ad nos pervenere. Ipse testamento sua opera cremandum iusserat, sed ne tanta monumenta pessum irent, vetitum fuit. Anno vero aetatis suae LII. ut ultimam Æneidi imponeret manum, in Graeciam perrexit: hinc iter aggressus, Athenas pervenit. Parum ibi est moratus; languorem enim nactus, quem non intermissa auxit navigatio; tandem Brundusium advenit, ubi paucos post dies obiit X. Kal. Octob. Cn. Plautio, et Q. Lucretio Coss. Vivus Tuccam amicum rogaverat sua ossa Neapolim transferri, ubi diu fuerat otiatus, et extrema valetudine hoc ipse suo sepulchro distychon apposuit;

Mantua me genuit: Calabri rapuere; tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Translati interim iussu Augusti eiusdem cineres, prout praeceperat, Neapolim, et conditi fuere prope viam Puteolanam intra secundum lapidem (2) supra montem Pau-

---

(1) Hoc opus Georgic. nempe Neapoli exarasse Virgilium constat: ipse enim septennio in hac urbe ingenuas didicit artes, atque heic confecit, ut ipse testatur in fine Georg.

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.

Unum heic mecum, lector, advertas volo, Cl. nempe Martorellium Thec. Calam. tom. II. pag. 705 ubi poeta canit *Ignobilis oti*, nescio qua dementia captum fuisse, ut scribat, hanc *otiosam* urbem, et ubi ingenuae artes, et studia quam maxime colerentur, intellexisse *superstitiosam*, quasi ob superstitiones, atque ubi magicae edocerentur artes. Hinc ipsum poetam magum celebrem, et Neapolitanae cryptae auctorem fuisse narrat. Plura alia magnifica opera ab eodem arte magica fuisse confecta scribit. Praetereo nonnullas alias gerras, quas pueriliter enarrat ceteroquin doctissimus Ellenista. Capiti elleborum!

(2) Cluerius Ital. Ant. lib. IV. c. 3 supra illos Statii versus: *En egomet* etc. paulo post. vers. 77 subiungit:

silypum. Eius sepulchrum veluti templum antiqui venerati fuere, et praecipue Statius nostras ut canit ipse lib. IV. Silv. c. 4 v. 51 Hoc monumentum, cuius hodie pars restat, parvae aediculae octagonae opere concamerato formam praesefert, fornicis instar ex ipsius montis lapidibus, interius latae palmos XVIII. altitudine vero XVI. circiter. Restant adhuc circum quidam loculi duobus spiraculis. Quin imo a nostris patriis scriptoribus stulte memoriae proditur, usque a Reparatae Salutis anno MCCCXXVI. in medio ex marmore urnam adfuisse, quae cineres, atque ossa poetae servabat.

Haec ego Chalcidicis ad te, Marcelle, sonabam
Littoribus, fractos ubi Vesvius egerit iras.

haec scribit: *En ut diserte testatur, sub Vesvio, sive Vesuvio monte, qui ab orientali urbis parte est, Virgilii fuisse monumentum cum templo apposito.* Et paulo post subiungit: *Notandum autem maxime quod Statius ait, se litus secutum, et in litore magni tumulis adcantasse magisiri, sedentem in margine templi eius: non vero per iugum montis, neque per litus tendebat, sed introrsum per cryptam Neapolitanam.* Isque Neapolim antiquam ponit, ubi nunc est vicus S. Ioannis a Teduccio, et Virgilii monumentum collocat ex ea parte contra scriptorum communem opinionem.

Virgilii ossa Neapoli ad secundum lapidem tumulata fuisse ad unum omnes clamitant scriptores. Donatus Grammaticus in huiusce poetae vita sic ait: *Voluit etiam sua ossa Neapolim transferri, ubi diu, et suavissime vixerat . . . . Translata igitur iussu Augusti eius ossa prout statuerat, Neapolim fuere, sepultaque via Puteolana intra lapidem secundum.* Et D. Hieronymus lib. III. in Chron. Eusebii sic etiam scripsit: *Virgilius apud Brundusium moritur Sentio Saturnino, et Lucretio Cinna Coss. Ossa eius Neapolim translata, in secundo ab urbe milliario sepeliuntur titulo istiusmodi, Mantua me gennit etc. Quum moriens ipse dictaverat.* At hisce haud obstantibus auctoritatibus Martorellius Theca Cal. tom. II. pag. 679 solidis probat argumentis, hoc sepulchrum non pertinuisse ad Maronem, sed ad Parthenopem ipsam, aitque nostros patrios scriptores cuiuscunque auctoritatis iidem fuerint, ad unum omnes errasse.

Quamvis autem Patrii scriptores unanimiter hoc Maronis monumentum eo in loco conlocarint, tamen recentium auctorum opinio est alia, neque hoc sepulchrum ad Virgilium, sed communiter ad aliquam familiam potius pertinuisse asserunt, cum ex fabricae constructione satis luculenter eruatur varios loculos ad cineres immittendos habuisse. Hoc profecto Maronis sepulchrum esse debebat super viam publicam, ut scribunt veteres citati auctores. Nulla hoc loco viae antiquae pars restat, neque heic via isthaec fuit unquam. Hoc sepulchrum etiam magnificum esse debebat, cum iussu Imperatoris Augusti fuit erectum: huiusce nunc nulla superest pars, neque ubinam fuerit proprie situm, per auctores constat. Reicienda est igitur communis omnium nostrorum opinio, qui Virgilianum sepulchrum eo loco posuerunt. Cl. Canonicus Iorius, Guida di Pozzuoli, edit. Neapol. 1822 hanc etiam opinionem est secutus.

Ex Martiale insuper compertum habemus, Virgilium Neapoli villam habuisse non procul forsitan a suo monumento; hanc Silius Italicus postea possedit, ut canit Martialis lib. XI. Epigr. 49 hoc modo:

Silius haec magni celebrat monumenta Maronis,
Iugera facundi qui Ciceronis habet.
Haeredem, dominumque sui tumulique, larisque,
Non alium mallet nec Maro, nec Cicero.

Et in hac certe villa extremum obiisse fatum hunc Silium commemorat Plinius lib. III. ep. 2 his verbis: *Silius Italicus in Neapolitano suo inedia vitam finisse:* et paulo post subiungit; *Multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur: Virgilii ante omnes, cui natalem religiosius, quam suum celebrabat. Neapoli maxime, ubi monumentum eius adire, ut templum solebat.* Capacius tandem hanc villam *Paulcidem*, vel *Patrusculum* appellat Hist. Neapol. lib. II. c. 2.

Ad Echiae promontorii radices, quod parum a Pau- Aquae Minerales.

silypo distat, adsunt duae aquarum scaturigines a Neapolitanis celebratae. Vna est in regione S. Luciae ad orientem, qui locus urbis est amoenissimus; ea aqua sub *Sulphureae* nomine salutatur. Haec colore nitidissimo, sapore sulphureo, et acidulo est. Ea autem a medentibus pluris aestimatur, et aegrotis magno est remedio, et apta ad plures infirmitates curandas. Neapolitani aestate hac utuntur medicorum consilio. Altera ad occidentem est aquae scaturigo, quam vulgo appellant *Acqua Ferrata*, quae ab alterius differt colore, cum non sit adeo nitida ac illa, tendatque ad albedinem. Tota autem ea regio sub Echia promontorio fuit, non procul a Castro Lucullano.

Megaria insula. E regione Echiae promontorii parva adiacet insula Megaria (1) nomine, nunc *Castello dell' Ovo*. Ea etiam *Salvatoris insula* fuit dicta, quippe cui ibi monasterium cum Ecclesia fuit dicata ab Athanasio Neapolitano Episcopo. Hodiedum haec appellatur *Castello dell' Ovo*, quia ibi arx sit munitissima, quae urbem ex mari defendit, et hoc nomen servat forsitan ab ovi figura, quae talis repraesentatur. In hanc insulam pervenisse quondam D. Patriciam (2) narrat historia. Haec enim Con-

---

(1) Cl. Mazochius de Eccles. Neap. pag. 220 Punicum nomen hoc esse ait, vel Hebraeum; hinc Magar iuxta eundem *habitationem* significat. Martorellius vero Thec. Calam. tom. II. pag. 353 hanc Megariae, vel Megaliae a Phoenicia voce derivatam esse autumat, quae quidem vox *falcem* significat, eo quod instar falcis mari curva insideat. Hinc iuxta eundem etiam Statium *curva* dicebatur, qui Silv. lib. II. c. 2 v. 80 de ea sic canit insula:

Quaeque ferit curvos exserta Megaria fluctus.

(2) Quo tempore Patritia Neapolim pervenerit, haud constat. Dubitandum vero, an isthaec Costantini Magni neptes fuerit, an alterius Constantini, dum per eiusdem Divae Acta haud liquet, neque ulla occurrit mentio. Quando Neapolim pervenit, nondum existebat Basilianorum monasterium, nam eo tempore, quo Costantinus imperabat, nondum hic Basilianorum ordo ex-

stantini fuit neptes, quae e Constantinopoli in Italiam pervenit, et Neapolim inde, quo ea inviseret loca, et in hanc insulam velut in solitudinem se contulit, ut vitam ageret sanctiorem.

Antiniana villa.

E regione insulae Megariae super Plagam Olympicam, vulgo *Chiaja* adsurgit villa Antiniana, nempe *Antignano* a Capacio memorata Hist. Neap. lib. II. c. 5. Sunt qui putant, hanc villam nomen accepisse ab Aniano lacu, quod sit contra ipsum: hinc quidam derivant Antinianum ab ἀντὶ, *contra*, quippe cum haec sit contra Anianum lacum sita. Sed haec derivatio haud mihi arridet: dicendum potius arbitror, eandem nomen usurpasse ab Antonio Panormita, qui ibidem Academiam habuit, eandemque auctam a Ioviano Pontano, ut scribit Galateus epist. ad Hieron. Carbon. Ex dialogo Pontani, cui nomen *Antonius*, id confirmatur, ubi iugiter mentionem de *Porticu Antiniana* facit, quae pars eiusdem villae fuit.

Arenulanum Rus.

Prope Antinianam villam adsurgit alia Arenulana nomine, vulgo *l' Arenella*, locus satis celebris aeris salubritate, et villarum frequentia nobilis, et non procul a Neapoli. Locus hic a Ioanne Baptista Porta nomen desumpsit, qui heic villam possedit magnificam: unde postea nomen eidem loco factum, *le due Porte*. Nihil heic memorem fructus cuiuscunque saporis, et generis, tot delicias, atque villas in eo loco sitas.

Plaga Olympica.

Super Plagam Olympicam via eiusdem nominis adest silice strata, et urbis amoenissima. Ibi enim passim adsunt tot publici fontes, tot domus ornatissimae, totque templa. Praetereo piscosum mare piscibus exquisitis abundans, mitto vicini Pausilypi adspectum. Isthaec nobilissima via a Duce Medinae Coeli Caroli II. vices gerente anno MDXCII.

---

tabat; dicendum fortasse D. Patriciam posteriori tempore Neapolim commigrasse. Videsis quae sentit Sabatinius Kalend. Neapol. tom. I. pag. 84 et seqq.

restaurata, et in meliorem formam fuit redacta, ut patescit e lapide publico secus viam apposito.

Villa Regia. Secus viam Olympicam adsurgit nobilissima villa Regia, nempe *Villa Reale* aedificata anno MDCCLXXX. regnante Ferdinando I. Borbonio. Hac nihil amoenius est, sive aerem, sive locum spectes, quum prope Pausilypanum sita sit promontorium, sive artem, cum tot salientes aquarum fontes, tot statuae hunc nobilissimum ornent locum. Praetereunda haud est illa statua, quae in villae adsurgebat medio, et praeteritis annis maximum ornabat fontem, quaeque usque ad annum MDCCCXXV. heic stetit, sed nunc sapientissimi Regis Francisci I. Borbonii iussu in Regio adsurgit Museo. Haec Dirces fabulam repraesentat.

Hoc sculpturae veteris marmor antiquissimum existimatur, cuius fortasse mentionem facit Plinius Hist. Natur. lib. XXXVI. c. 5. Hoc monumentum Imperator Antoninus Caracalla ex Rhodo Romam adsportavit: eiusque memoria omnino deperdita erat, cum sedente Paulo III. Romano Pontifice, a Cardin. Farnesio erutum, et in eius aedibus fuit conlocatum. Anno vero MDCCXCI. Roma Neapolim advectum.

Hactenus de Crypta Neapolitana, de Maronis tumulo, vicinisque locis.

CAPUT VIII.

Describitur S. Ianuarii extra moenia Coemeterium (1).

Inter vetustiorum aedificiorum rudera, quae supersunt

(1) Haec loca generatim loquendo compellata fuere a priscis Ecclesiasticae historiae scriptoribus diversis nominibus. Tertullianus ad Scap. c. 3 ea loca *Areas*, vel *Sepulchrorum Areas*, et *Arenaria* vocat. Ex Actibus vero S. Sebastiani c. 22 dicuntur *Martyrum Concilia*. Hodiedum non alio appellantur nomine, quam vulgo

adhucdum, non ultimum aestimandum arbitror S. Ianuarii extra moenia Coemeterium. Locus hic vulgo salutatur *le Catacombe di S. Gennaro*, quippe quod olim eo loci dicata ipsi fuit Ecclesia sub eiusdem nomine. Primum omnium iuvat advertere varias fuisse, quoad ipsum spectat, auctorum opiniones, ut iam adnotavimus. Cum enim non solum Neapoli, verum etiam Romae praesertim, aliisque Italiae opidis subterranea isthaec reperiantur: diversae ea de causa dubio procul fuere scriptorum opiniones. Sunt qui putant Romana Coemeteria a tempore prope immemorabili fuisse excavata, quo tofum ad aedificia construenda et publica, et privata extraherent cives: eaque insuper loca temporis progressu, et Christianorum tunc nova introducta Religione, et ethnicis Imperatoribus in ipsis saevientibus fuisse iisdem veluti tutas, firmasque mansiones, et Ecclesias, quo sacra peragerent, et Martyrum praesertim sepulchreta. Nos interim haec antra, et Cimmeriorum sedes, et Daedaleum Labyrinthum Ariadnaeo adhaerentes filo describemus.

Re quidem vera Cl. Alexius Pelliccia in opere, quod

Catacumbae. Bulengerus de Templis lib. III. c. 24 de ipsis sic sermonem instituit; *Coemeteria Christiani veteres vocarunt Arenarias, et Cryptas, Catacumbas, vel Catatumbas, et Arenas.* Idem ait Bollandus tom. II. Februar. in S. Soter. paragr. 3 pag. 389. Coemeterium vero a Κοιμάω, *dormio*, unde; Κοιμητήριον, locus nempe dormitionis, figura a dormientibus desumpta.

Mazochius vero in Kal. Neap. tom. III pag. 898 longam exaravit Diatribam, in qua vocem *ad Catacumbas* disquirit: primum huius vocis etymon affert, aitque ipsam a Κατά, *secundum*, et Κύμβη derivare, quae vox apud Graecos *navis* sonat. Hinc est, subiungit Cl. auctor, ut quo tempore Christiani primum SS. Apostolorum Petri, et Pauli corpora in Callixti Coemeterio invenerunt (qui locus erat iuxta Naumachiam) Christiani vocem hanc *ad Catacumbas* efformarint quasi iuxta naves. Norunt omnes, Latiares auctores, hanc *Cymbae*, nempe navis vocem saepe usurpasse, et etiam *Cumbam* dixisse. Mazochius ibidem Avieni poetae locum affert ad hoc probandum.

inscripsit De Ecclesiae Christianae Politia tom. IV. eruditissimam elucubravit Diatribam, in qua Neapolitani Coemeterii accurate, et diligenter historiam, et topographiam descripsit. Is enim ea loca quondam a Cimmeriis (1) excavata fuisse (quae gens Cumanum, Baianum-

---

(1) Laudatus Pelliccia in citata Diatriba affirmat, hosce Cimmerios antiquissimos Campaniae populos quondam circa Avernum incoluisse lacum, eosque in subterraneis habitasse antris, sibique cuniculos excavasse, quo ultro citroque ex uno in alium commigrare locum esset commodum. Hinc mirum haud est, si plures in Campania reperiantur cuniculi. At id utrum verum, an falsum, quod gens isthaec vetustissima ea tenebricosa incoluerit loca, haud nostra interest, cum et temporum longaevitate, et monumentorum deficientia, quae nulla supersunt, de hac re disserere haud possimus. Nihil vero apud antiquos scriptores fabulosius, quam ea gens. Plura de illis non solum poetae, verum etiam alii scriptores sunt fabulati. At eorum vera historia prorsus ambigua est. Sunt qui putant, hasce gentes ex primaeva origine in Asia ortum habuisse apud Bosphorum Cimmerium: horum fortasse prima origo. Crediderim ipsorum aliquam coloniam in Italiam praeternavigasse, sedemque fixisse inter Avernum lacum, et non procul a Sibyllae specu antiquissimo ex tempore. Eo vero loci antequam mons Novus apud Puteolos adsurgeret, locique facies verteretur, vallis erat horrenda inter montes, cuius pars restat in praesentiarum. Ab ipsis locus hic ad incolendum selectus. Sunt qui autumant, ut Grimaldius, Annali del Regno di Napoli, tom. I. has gentes ne cum vicinis Oscis, aliisque bellum gererent quotidianum, patrias deseruisse regiones, et heic sedem fixisse. Hinc factum ut hasce subterraneas incolerent specus, quae per eam aetatem fortasse nondum in tofum erant mutatae. Tunc temporis vicini montes ignem adhuc emittebant, et fortasse etiam haec alia iisdem fuit causa, ob quam in specubus habitarent, ne ignis, cinerum, lapidumque eruptione forent deterriti.

A poetis postea fabulatum ipsas gentes subterraneas incoluisse specus, ubi metallorum maxime effossione victum quaeritantes, die latentes, noctu vero ad latrocinia egrediebantur, ut tradit Strabo ex Ephoro Cumano. Homerus Ὀδυσσ. Λ. v. 14, Lycophron in Cassandra v. 746, Ovidius Metamorph. lib. XI.

que incolebat agrum) et in hisce specubus habitasse probat, ubi perplures subterraneos cuniculos, et cum spiramentis caveas passim ad incolendum habuere, quo loci templum, et oraculum (1) fuit, quo vicini populi scita-

---

v. 92, Tibullus lib. IV. eleg. I. v. 64, Silius lib. XII. v. 131, et Plinius Hist. Natur. lib. III. c. 5 hasce gentes circa Baias, et Avernum habitasse scribunt. Quin imo idem Plinius ibidem easdem etiam opidum condidisse *Cimmerium* nomine historiae prodit. At nihil insipidius quam asserere has olim gentes extitisse, et subterraneas habitasse cryptas: crediderim ego ipsas nullas alias fuisse, quam ipsos vicinos Cumanos.

Verum enimvero scriptores omnes citati hanc fabulam ex Homero hauserunt, qui ut suo Vlyssi, quae de Scythicis audierat Cimmeriis, applicaret, illos a Circes domo unius diei navigatione removit. Pompeius Festus de Verb. Signif. fabulam naturaliter hoc modo interpetratur: *Inter Baias, et Cumas convallem esse satis eminenti iugo circumdatam, quae neque matutino, neque vespertino tempore Sole contegatur.* Et Cicero ante de iisdem Cimmeriis dixerat Quaest. Acad. lib. II. *Cimmerii populi in Italia ad Baianum, et Avernum sinum, incolentes vallem ingenti iugo circumductam, quae neque matutino, neque vespertino sole contegitur: unde proverbium: Cimmeriae tenebrae.* At undenam ipsamet fabula exorta? non alia ex causa eam derivasse arbitror, quam ex eo quod Apollinis sacerdotes aliquandiu constiterint in quadam crypta prope eiusdem numinis aedem, et ubi etiam Cumana Sibylla responsa dabat. Exterae gentes, et vicinae etiam, quae confluebant oraculum consulendi gratia, non solum hasce profundas subterraneas specus erant adituri, ubi Sibylla aderat, et Apollinis sacerdotes, verum etiam per hosce terrae meatus iter aggredientes, lapidicinas reperiebant, qui stipem advenientibus quaeritabant. Iidem Apollinis ministri diu eo loci aderant, noctu vero haud permanebant. Isthaec igitur Cimmeriorum fabulae origo.

(1) Cimmeriorum oracula satis celebrata fuere: et Cumanam Sibyllam a Cimmeriis ipsis originem duxisse putandum est. Cumanorum autem quendam principem Cimmeria oracula sciscitatum venisse, atque illa a veritate prorsus aberrantia aversatum, pro re rata, et odio fortasse, hanc gentem evertisse, et extinxisse ex historia compertum habemus. Iam tandem Romanorum

tum illud venirent. Strabo lib. V. Geogr. narrat Agrippam Romanae classi praefectum Amym silvam ab Averno parum dissitam propter huiusce gentis latrocinia, aliaque facinora, quae religionis specie patrabat, evertisse. In hac enim silva duos cuniculos, sive potius subterraneas specus repertas tunc narrat idem auctor, unam qua Neapolim, alteram qua Cumas erat adeundum: eaque gens Cimiterii populi ab auctore Historiae Miscellae dicuntur lib. XVI. qui iidem ac ipsi Cimmerii profecto fuere. Ea gens igitur utpote olim sparsa super Campanum solum, et praecipue super Baianum, Cumanumque agrum, hasce subterraneas horrendasque cryptas passim habitavit. Ea vero gens (si historicae narrationi, et haud fabellis fidem praestamus) commercio opportunissimo perquam addicta cum vicinis, et longinquis populis, quo illud redderent commodius (gens sane industriae, et labori comparata) hosce cuniculos, ut nec aestubus, neque pluviis essent subiecti, collium quoque, atque montium effugerent adscensum, aperuere. Hinc nata fabula est, eandem usque in tenebris delitescere, et vitam degere. Atque ex eo factum est, ut non solum vicini, verum etiam longinqui populi, sive quod Cimmerii ab iisdem morem acceperint, apud urbes hosce cuniculos, sive vias effecerint, quo commercium ultro citroque redderent commodius.

Norunt omnes apud antiquos usuvenisse, ut mortui intra urbes sepultura caruerint, sed loca fuerint extra quamque urbem publica, aut privata, in quibus ipsimet efferrentur. Apud Graios vero hic usus invaluit, et Romani acceptis moribus, et legibus ab iisdem, et praesertim XII. Tabulis eundem usum servarunt. Quare hoc cautum erat ex illarum lege: HOMINEM MORTUUM IN

---

aevo haec gens omnino deperdita. Id omne enarrat fuse Strabo lib V. ex Ephoro Cumano vetustissimo scriptore, et horum locorum accuratissimo (uti putatur) investigatore.

URBE NE SEPELITO, NEVE URITO qui usus a Romanis religiosissime fuit servatus non solum, sed a cunctis etiam subiectis ab iisdem gentibus. Hinc extra urbes fuere publica, et privata aedificia ad mortuos inferendos, quae vulgo Sepulchra, et Sepulchreta appellari placuit. Nostra Neapolis utpote Graecorum opidum eundem patrium servavit usum. Et re sane vera extra eandem fuisse olim publica, et privata Sepulchreta liquido eruitur, ex quo adhuc passim eruderantur. Ea autem sequiori aevo, et Christianorum invecta Religione, subactis idolorum cultibus, immutato nomine sub ethnicorum Imperatorum persecutionibus in Christi discipulos, *Coemeteria* appellari placuit, quippe quod ibi effugientes tyrannorum iram seipsos abdebant; ibique se ab hominum consortio averruncantes rempublicam veluti sanctam constituebant, ac inde spiritum efflantes, in ipsis efferebantur subterraneis caveis in loculis aptis, ubi locus erat ad corpora condenda dispositus.

Iam diximus Romanis cautum fuisse ex lege XII. Tabularum cadavera humare extra urbem: consuetudo apud ipsos invaluit etiam corpora (1) comburendi: at

---

(1) Cadaverum cremandorum usus a Graecis acceptus iam inde a primo Romanae urbis primordio obtinuit, ut indicat Numae Regis exemplum, qui prout ex Plutarcho constat in eius vita, corpus flammis aduri testamento iusserat. Praetereo leges XII. Tabularum supra citatas. Haec vero ratio est, ob quam Romani corpora cremabant, nempe quod arbitrabantur, vitiorum maculas (si quas contraxerant) flammis purgari, animasque per ignem ad primorem reverti naturam. Id constat ex Ovidio Trist. lib. III. Eleg. 9. Hic vero usus perduravit usque ad Christianorum aevum, quo prorsus evanuit, utpote res quae potius barbariem praeseferebat. Verum non solum Romanis mos fuit cadavera cremandi extra urbem, verum etiam sepeliendi. Pueros, et qui a fulgure erant tacti, aduri vetitum est teste Plinio lib. VII. c. 6. Adhaec Cornelia gens sepulturam maluit, quam cremationem, ut constat ex eodem auctore. Quaenam vero fuerit pyrae forma, et ornamentum, Lipsium, Rosinium, et praecipue Kirckmannum de Funer. Rom. consulsis.

utrum solum divitum, an etiam pauperum corpora crèmarint Romani, adhuc sub iudice lis est. Crediderim fortasse divitum potius cadavera adusta, quippe quod apud illos hic ritus multo sumptu perficiebatur, praesertim quod apud Romanos eo tempore maxime invaluit, cum Imperatorum politia vigeret.

Quis vero harum cavernarum auctor? per auctores liquet, illas veterrimae Romanae reipublicae aevo excavatas fuisse, et a quonam hoc opus fuerit effectum; nullus adest auctorum, qui idem commemorat, nisi aliquis qui olim a Cimmeriis effossas, et habitatas historiae prodit. Christiani vero harum auctores haud esse potuere: ipsos enim per ea tempora, et insaeviente ethnicorum Imperatorum in eos furore, in subterraneis specubus clam sacra peregisse, et ad corporum efferendorum aptam, atque tutam illis fuisse mansionem certa res est. At dicet aliquis: hoc opus Christianorum fuit; credi ne potest, illos easdem in subterraneis fecisse excavationes, et a populo, et a cunctis haud esse agnitos? sub quorum tutamine hosce immensos cuniculos effodisse poterant, et a nemine impeditos, cum pauperes, et sine commodis, et ab omnibus spretos comperiamus? Fieri ne etiam, et excogitari potest, perplurimos infinitosque homines in ipsis antris Cimmeriorum instar confertos sine lumine, omnibus humanae vitae necessitatibus expoliatos heic immorari, atque a magistratibus, et populo id nesciri? His insuper adde hasce inter Christianorum turmas, atque gregem fuisse etiam nonnullos, qui persecutionis metu, atque suppliciorum in ethnicorum cultum transibant, ut ex Ecclesiasticis Fastis ediscimus; ipsosque creditur potuisse etiam apud magistratus eos coniurationis alicuius, et *novae superstitionis* (ut ipsimet eorum temporum ethnici scriptores Christianam compellabant Religionem) incusare, ipsosque certiores fecisse magistratus de tanta hominum, ac fortasse mulierum frequentia in hisce specubus commorantium. Quapropter concludendum arbitror, easdem subterraneas cryptas longe ante Christianorum tem-

pus extitisse non solum Neapoli, verum etiam Romae, aliisque praecipuis urbibus, et a Cimmeriis populis, sive aliis gentibus eas habitatas fuisse, ut ante diximus. Christiani vero loca isthaec persecutionum tempore potius elegerunt, quo tyrannorum effugerent furorem, et proinde sepulturae loco illa fuere. Hoc autem magis confirmatur, ex eo quod horum subterraneorum paries arena sit durefactus temporum immemorabilium colluvie.

Pace vero Ecclesiae reddita, Neapolitani easdem specus ut sacras habuere. Temporis progressu Neapolitanam Ecclesiam moderante S. Severo Praesule, corpus S. Ianuarii Episcopi, et Martyris in hunc locum adsportatum fuit ex agro Marcianensi, eique aedicula ex eius nomine sub titulo *S. Ianuarii ad Corpus* dicata. Quo in loco condita fuere posteriori tempore corpora SS. Agrippini, Laurentii, Athanasii, aliorumque Neapolitanorum Antistitum. Postquam loci huius originem, quoad e re nostra fuit, detegimus, illius nunc topographiam describemus.

Coemeterii aditus (1) est in ipso Ecclesiae novae ingressu, quae hodie nuncupatur *S. Gennaro extra moe-*

---

(1) Iuvat heic adnotare pro ne nata, hoc eximium Coemeterium olim quinque habuisse aditus. Primus est ille S. Ianuarii ad occidentem vergens in ipso Ecclesiae novae ingressu, sic dictus a S. Ianuarii corpore heic tumulato. Alter aditus est, cui nomen S. Mariae Sanitatis ab eius Ecclesia appellatus, quique etiam S. Gaudiosi Bithiniae Episcopi cognomen accepit, ubi eiusdem aderat corpus cum aedicula: hodiedum hic penitus occlusus restat. Tertius S. Severi a templo excitato in ipso Coemeterio, quod templum temporis progressu non procul erectum fuit, ipsique Praesuli dicatum in loco, qui a nostratibus dicitur *S. Severo a Capodimonte*. Quartus aditus ab aedicula S. Viti, qui postea vocatus S. Maria ad Vitam. Hic aditus ad saeculum usque XV. patuit, et postea impervius remansit. Quintus tandem S. Ephebii Episcopi ab eiusdem corpore heic sepulto. Sequiori aevo S. Ephebii Coemeterium audiit. Hic restat nunc etiam occlusus, et est sub ipso Cappuccinorum Coenobio, vulgo *S. Efrem Vecchio*.

pia ad partem dexteram ingredientium. Prope hunc aditum, qui e tofo est, stat adhuc aedicula D. Ianuario dicata a S. Severo, quae quidem est nullo ordine effecta cum ara, et sede Episcopali ex eiusdem montis materia. Coemeterium vero tribus ordinibus constat, vulgo *Piani*, aut *Appartamenti* cum diversis ambulacris, atque viis, quae quasi labyrinthum efficiunt; ita ut duce sine quis forsitan viam haud invenire posset. Magna parietum pars huiusce Coemeterii picturis, loculis, inscriptionibus, aliisque rebus passim abundat. In primo ordine adsunt hypogaeorum innumerae caveae, quarum quaedam in locum prominent, quo commodius ad cadavera inferenda esset opportunitas. Passim sunt pluribus in locis spiramina quaedam, sive lumina, quae per fenestras immittuntur. Hic primus ordo ad Ecclesiam S. Mariae Sanitatis extenditur, quae erat olim aditus Coemeterii. Ex parte Ecclesiae S. Ephebii, sive S. Ephremi Veteris aderat olim alius, ut iam adnotavimus.

S. Gaudiosum Episcopum Bithiniensem Neapoli extremum diem obiisse anno CCCCLIII. et in hoc publico sepulchreto tumulatum fuisse certum est. Vrna marmorea fuit reperta, in qua eius cineres, et ossa erant; marmor istud eruderatum:

HIC . REQUIESCIT . IN . PACE . S . GAUDIOSUS
EPISCOPUS . QUI . BIXIT . ANNIS . L . . . . .
. . . US . DIE . VI . KAL . NOVEMBRIS . CON . . .
INDICT . VI .

Heic etiam S. Quovult - Deus Carthaginiensis Praesul S. Gaudiosi socius, aliique plures S. Neapolitani Antistites tumulati fuere. Adhaec adsunt infinita marmoreorum epitaphiorum fragmenta (1) Graecis, Latinisque characteri-

(1) Celanus Giorn. VII. ubi de Neapolitano Coemeterio verba facit, plures lapides Graios, Latinosque repertos fuisse in hisce locis prodit, qui vel temporum iniuria, vel ut potius

bus passim in pavimentis, et in subterranearum cavearum parietibus.

Non procul ab occluso S. Mariae Sanitatis aditu Celanus, Giorn. VII. memoriae prodit anno MDCLXXIII. effossum fuisse antiquissimum hypogaeum, et ex fabricae, et variorum signorum structura illud ad ethnicos pertinuisse coniectavit. Praeter enim urnas cinerarias, vasa lacrymatoria, et picturas, mensam etiam ex lapide cum sedilibus, et loculis passim dispositis reperta fuisse testatur. Crediderim hoc sepulchrum ad aliquam pertinuisse familiam. Per haec vero loca passim reperta sunt antiqua sepulchreta, praesertim prope S. Mariae Sanitatis templum, et in ipso Virginum suburbio celebre est epitaphium illud eruderatum anno MDCCLIX. prope aedes Congregationis Patrum Missionis.

Tota igitur isthaec regio cadaveribus humandis, et sepulchretis vetusto aevo inserviit. Anno autem MDCLXXXV. prope ipsam Ecclesiam S. Mariae Sanitatis repertum fuit aliud sepulchrum cum loculis, quos inter plures urnae cinerariae eruderatae. Ex lapide quem mox afferemus, hunc locum Epicureis pro sepultura inserviisse videtur. Supra urnas varia cum hoc marmore inscripta erant nomina:

STALLIUS . CAIUS . SEDES . HAURANUS . TUETUR
EX . EPICUREO . GAUDI . VIGENTE . CHORO

Laudatus Celanus ibidem narrat anno MDCXLIX. in Coemeterium se S. Ianuarii ingressum cum quibusdam suis familiaribus, et ad quatuor horas incessisse; inter alia reperta tradit loculum vidisse, in quo cadaver erat cum

---

dicam in barbarorum, et ignarorum manus incidentes deperditi fuere. Re sane vera Monachi Basiliani, qui olim heic Monasterium habuere, prae ceteris ultimas ipsis manus intulere. Quin imo illorum ignorantia eo pervenit, ut quo tempore Ecclesiae S. Ianuarii pavimentum restaurandum fuit, plures ex hisce lapidibus ad hoc adhibiti fuerint. Iidem ablati fuerunt paucis abhinc annis in huius Ecclesiae restauratione, et alio loco translati. Quot eruditorum hominum haec insignia monumenta lacrymis deflenda!

ipsis dentibus, et lamina plombea, supra quam erat inscriptum: *Pirrottus C. N.* forsinan *Civis Neapolitanus.*

Anno etiam MDCCCIX. prope turrim Campanariam eiusdem S. Mariae Sanitatis alii lapides sunt eruderati, qui olim in Neapolitano Coemeterio aderant, ut refert Iustinianus, Diz. del Regno, art. Napoli. Et in subterraneae eiusdem Ecclesiae ingressu ad ingredientium dexteram servatur lapis hic in Coemeterio repertus anno MDCIII.

ΕΝΘΑ . ΚΙΤΗ . ΠΑΥΛΑ . ΠΑΥΛΟΥ . ΥΠΟΔΣ
ΘΙΓΑΤΗΡ . ΖΗΣΑΣ . ΗΝ . ΕΙΡΕΝΗ . ΗΤΗΔΣ
ΜΕΝΑΣ . ΒΣ . ΑΝΗΣ . ΠΡΟΣ . ΖΣ . ΚΑΛΣ . ΙΟΥΝΣ .

qui Latine sic sonat: *Hic iacet Paula Pauli Subdiaconi filia, quae vixit in pace annos IV. menses duos: quievit ante diem VII. Kal. Iunii.*

Antequam alio progrediamur, iuvat heic afferre auctoritatem Ioannis Baptistae Vici, qui in inedito opere MS. de Parthenopaea Coniuratione (quod servatur in Schaedis meis) quae accidit anno MDCCI. sub La Cerda Regnum Neapolitanum pro Rege obtinente, dum coniurati in hasce se abdiderant cryptas, ex arrepta occasione, ita Coemeterium describit Neapolitanum: *In crypta ad D. Ianuarii Ecclesiam extra moenia, per cuiusdam sutoris aedes in cryptam pertinentes, Malitia ad insequentem usque noctem occultos agere curat. Eo enim per rudera, et sentes angusta semita, et deserta subducit: quo primus montis hiatus ad occidentem solem spectans, effossam ex ipso coemento cameram exhibet, ubi vetusta Christianorum visitur aedes, sed lacunar, et parietes incondite picti, simulacra infabre sculpta, barbarae inscriptiones, pene aram quoquo versus fornices, in penitissimum usque montem cavati, qui ampliores, altioresque, qui ab his alii per omnes passim, ac temere in alios divertitur, aut in profundiores iuxta per cuniculos declinatur. Alius mons ve-*

tustate subsidens penitus intercluserat, in alios, veluti per theatri vomitoria pervenitur, omnia sepulchretum ostendunt. Sed sepulchra uti armaria alia super aliis pro cuiusque aetatis modo effossa, ea forte communia, quae in fornicum parietibus prominent: certa vero passim, ubi incrustati recessus, et versicoloribus lapillis conserti, ibique intus aere, et post eos instar columbariorum sepulchra. Vndique coecus horror, ossa, religio. Mabillionius in hunc etiam modum nostrum describit Coemeterium Tom. I. Musei Ital. num. 4 pag. 112. *In immensum producitur, et longe altiores habet, quam Romana Coemeteria, fornices, ob duritiem, et firmitatem rupis, secus quam Romae, ubi arena, seu tophus tantum altitudinis non patitur. Multae sunt directae per Coemeterium viae, et quidem triplex ordo cryptarum, alius per alium. In unaquaque via sex sunt ordines loculorum: varia subinde lararia diversarum familiarum cum variis inscriptionibus etiam Graecis.*

Atque haec satis sint quae de Neapolitano dicenda erant Coemeterio: quisquis autem plura cupit, adeat Cl. Pellicciam, qui in supra citata Dissertatione de eodem belle, et mascula disseruit eruditione.

CAPUT IX.

Quando Graecanici mores, et lingua desierit; variae vices, et quo tempore Religio Christiana in hanc urbem introducta.

Ad Romani imperii lapsum adhuc integra manebant Templa, Gymnasium, Theatra, ludi, et quaecunque alia quae concurrunt ad alicuius urbis magnificentiam efformandam. Cassiodorus Variar. lib. VI. 22. Neapolitanam illius temporis pulchritudinem, et amoenitatem describit. At religione mutata, mutatisque moribus, Romanaque fortuna conlapsa, et populorum Barbororum sep-

tentrionalium turmis pene innumeris in Italiam adventientibus, adeo rerum ex eo tempore facies fuit inversa, ut internecione, bellis assiduis, populationibus, caedibusque urbes, regiones, populosque Italiae omnes ad novum omnino morum adspectum exterae gentes adduxerint, ut Neapolim una cum aliis urbibus evertere sint conatae. Iam omnia fuere immutata, sed Graecanici mores, et usus semper in more fuere positi, et Graecus sermo (1) ultra VI. saeculum apud ipsos Neapolitanos invaluit. Quin imo Neapolim ad annum usque supra millesimum graecissasse putarim. Ad quod probandum iuvat heic advertere usque ad annum MCCLXXX circiter in ea urbe duas fuisse Ecclesias Cathedrales, Graecam scilicet, et Latinam, easque uni Episcopo subiectas,

---

(1) Neapolis a temporibus vetustissimis, et ab urbis aedificatione Graio idiomate usa est: hinc Graeca lingua pro vernacula in more fuit posita etiam Romanorum aevo, quo ea urbs in illorum pervenit potestatem. Neapolitani cum Graeco, tum Latiari sermone usi fuere, et Graeco praesertim usque ad millesimum circiter. Hinc non solum Graeci lapides, verum etiam sermo quasi ad nostram usque pervenit aetatem, ut passim in diversis nuperae urbis regionibus licet observare. Quin imo nostra tempestate quaedam etiam corrupta a Neapolitana plebe vocabula usurpantur, quae ex Graeco derivantur idiomate, ut ex his quae afferam, patebit: exempli gratia: *Pede cata pede* ποῦς κατὰ πόδα: *vallana* a βάλανος, *castanea cocta*; *Vastaso* a βαστάζω, *fero*: *Catapano*, a κατὰ πάν, *super omne*: *Strummolo*, a Στρόβιλος, *turbo*, vel *trochus*: *'nfenocchiare*, a φενακίζω, *decipio*: *smorfia* ab ἀμορφία, *forma indecora*: *centrella* a κέντρον, *aculeus*: κακκάβη, *lebes aenea*: *'Ncegnare* ab ἐγκαινιέειν, *encaeniare*, unde postea a Latinis scriptoribus; encaeniare vestem in funus: *Uva glianica* ab Ἑλληνικά: *caruso* a κάρα *caput*. Felem quam patria lingua appellamus *miscia* a μῦς, *mus*, quia mures capit. Aliae sexcentae voces corruptae passim occurrunt huiusmodi, quae vulgus apud saepissime inveniuntur. Plura si cupis, Vocabularium linguae Neapolitanae consulsis editum Neapoli anno 1789 ubi infinitas huiusmodi reperies corruptas voces a Graeco idiomate derivatas.

quippe quod heic cum Graio, tum Latiari idiomate simul cives passim uterentur. Petrus Diaconus in vita S. Athanasii eas describit hoc modo: *Binas praesulum gestat sedes, ad instar duorum testamentorum, quamquam una sit, quae eam gubernat, et regit reliquam, ut capite reguntur artus.* Praefatae duae Ecclesiae diverso nomine insignitae fuere: prima fuit salutata sub S. Restitutae nomiue; alia nominata fuit SS. Salvatoris Basilica, quae vulgo postea dicta fuit Stephania a Stephano II. Neapolitano Praesule. Anno vero MCCLXXXVIII. circiter sub Regibus Andegavensibus ex duabus Ecclesiis Cathedralibus una tantum fuit conflata, eaque magnificentissima. Videsis Cl. Mazochium De Eccles. Neapol. semper unica, et auctorem Dissertationis historicae de Minutolorum sacello pag. 9 et seqq.

Everso Romanorum Imperio, Neapolis sicut ceterae urbes in Barbarorum potestatem est redacta, atque internis dilacerata discordiis, immane subiit crudele fatum. Anno enim CCCCLXXVI. in Castrum Lucullanum Augustulus Romanorum Imperator postremus confugit, et e throno expulsus ab Odovacre Herulorum Rege misere enecatus: hinc per ea tempora urbs huiusce Regis odium, et tyrannidem fuit experta. Postea a Gothis occupata, quique ut barbari, singula monumenta funditus everterunt, eamque obtinuerunt usque ad Iustianianum Imperatorem. Aliquod post tempus Neapolim Duces (1) administrarunt, Variae vices.

(1) Post eam aetatem, et proprie cum Gothi Italiam occuparunt, mutatis rebus Neapolim Duces administrarunt. Iisdem postea Barbaris ex Italia exactis, iterum Neapolis in Graecorum orientalium Imperatorum cecidit potestatem, ad quam regendam e Costantinopoli duces missi erant. Verum temporis progressu Neapolis excusso Graecorum iugo, duces habuit peculiares, et proprios, qui quidem veluti Reges urbem cum vicinis pagis obtinuerunt, atque hinc Neapolitani ducatus origo, qui diu perduravit, isque celeber evasit per sequiores aetates, et nulli fuit subiectus, cum veluti respublica aristocratico modo fuerit administratus.

qui e Constantinopoli missi erant: at urbs aliquod post temporis intervallum partim depopulata, partim a Belisario (1) excisa maximam obsidionem anno DXLV. sustinuit a Totilae militibus Gothorum Regis, qui illam ingressus, et humanitatem potius in eam egit, ita ut moenia tantum fuerint eversa, uti narrat Procopius Hist. Goth. lib. X.

---

(2) Quo tempore Belisarius urbem aggressurus, cum fortissima adspectaret moenia, milites per subterraneum immisit aquaeductum, uti tradit Procopius lib. III. c. 7 de Bello Goth. eaque potius expugnavit, et ad vacuam habitatoribus urbem replendam ex tota vicina regione collectam multitudinem Neapolim contulit. Rem copiose narrat Historiae Miscellae auctor lib. XVI. c. 16 his verbis: *Colligens per diversas villas Neapolitanae civitatis viros, ac mulieres, domibus* (Neapolis) *habitaturos immisit, idest Cumanos, Puteolanos, et alios plurimos Liguria degentes, et Playa, et Sola, et Piscinula, et Summa, aliisque villis: necnon Melanos, et Surrentinos, et de villa, quae Stabii dicitur, adiungens viros, ac mulieres, simulque et de populis Cimiterii adiunxit.* Quaenam autem isthaec Liguria, vel ut alii legunt Liburia, confersis quae sentit Sabatinius Kal. Neapol. die XV. tom. I. pag. 113 ubi autumat, Liguriam non accipiendam omnino pro Campania, sed pro eiusdem peculiari parte. Hinc credit ipsam non longe a Capua fuisse, pluresque urbes, atque vicos ipsius Campaniae comprehendisse, idque probat Erchemperti auctoritate Hist. Langob. num. 71 et seqq. Consule etiam Cl. Pellicciam in Christ. Eccles. Polit. tom. III. part. 2 pag. 29 ubi Michaelis Monachi auctoritatem affert Sanct. Campan. ubi sic legitur. *Terra ultra Laneum versus Vesuvium, Neapolim, et Patriam dicebatur Liburia.* Laudatus etiam auctor Abbatis de la Noce ad lib. II. Chron. Cassin. aliam adducit auctoritatem, qua probare nititur, Liguriam, sive Leburiam fuisse eam Campaniae partem, quae cum Plinianis concordat campis lib. XVIII. c. 11 Hist. Natur. cum medio Ævo iidem corrupte alio audierint nomine. Plura etiam si cupis, legesis Grimaldium, Annali del Regno di Napoli, tom. V. Epoch. II. anno DCCLXXXVI. pag. 47 ubi aliorum auctoritate scribit Medio Ævo Liburiam divisam fuisse in *Ducalem*, *Langobardam*, et *Salernitanam*.

Exciso Gothorum regno in Italia pro Narsetis adventu anno DLXVII. opidum ab Exarchis fuit rectum. At Narses cum ab illis haud obtemperaretur, Langobardos ad Italiam occupandam advocavit e suis regionibus advectos vindictae causa, qui cum in Italiam advenissent, novum condidere regnum, et urbs ab illis liberata, in Imperatorum orientalium manus eo tempore pervenit: tum Neapolis in Ducatum fuit conversa, et iisdem Imperatoribus orientalibus subiecta. Videsis Grimaldium tom. IV. pag. 101 et nostram Diatribam VI. in calce operis. At ne rem historicam in longum protrahamus, hoc unum addam, hanc urbem pro nimia pulchritudine sequiori aevo nunc in unam, nunc in aliam redactam esse potestatem, adeo ut pluries in hostium dominium pervenerit, qui eiusdem magnificentiam ita configurarunt, ut de illa aegre supererint vestigia. Sed ne in mendacium incidamus, et rem historicam ut ad veritatem afferamus, dicendum ab hisce Regibus, quicunque iidem fuerint, urbem quamvis antea vetustate senescentem funditus (prout temporum permiserit aetas) reaedificatam, ornatam, amplificatamque fuisse. Gulielmus enim I. reparatae salutis anno MCLXXX. huius urbis moenia dilatavit, Capuanam condidit arcem, et Megariam insulam ad arcis formam recte munitam effecit. Federicus II. postea Imperator cum Neapolim scientiarum matrem, domiciliumque fuisse antea animadverteret, anno MCCXXIV. publicum studiorum Gymnasium erexit, quoad illius aevi usum, quodque postea adeo floruit, ut semper urbs isthaec scientiarum omnium fuerit sedes.

Ea vero cum in dies populi frequentia, ingenuis artibus, et domibus excresceret, Ferdinandus I. Aragoniae Rex anno MCCCCLXXXIV. ampliavit: viam enim illam prope pomoerium, quam dicimus *Lavinaro*, silice stravit, cum omnes urbis aquae fluitarent ex ea parte: hinc moenia restauravit, et praesertim portas quatuor e fundamentis excitavit. Tunc temporis urbs ad fastigium quoddam gloriae maiestatisque adeo devenerat, ut iam ex eo

aevo urbes inter Europae praecipuas pulcherrima steterit.

Longum vero esset huius urbis amoenitatem, civium hodiernam comitatem, et humanitatem; aedificiorum, viarumque maiestatem describere. Illud satis dictu est, hanc caput esse florentissimi regni, et pulcherrimam Europae totius urbem adeo, ut singulae gentes e longinquis adventantes regionibus haud facere potuerint, quin illius pulchritudine, elegantiaque sint captae. Quid vero dicam de huius populi multitudine, qui dubio procul inter Europae urbes frequentissimus existimatur? nam pulchrum videre est, cum festum aliquod, vel spectaculum in hac editur, tantam esse frequentiam, ut vix per plateas possis incedere.

Quid dicam de templis (1), quorum magnificentia longe antecellit omnes alias Italiae urbes, eorumque numerus a Christianae Religionis (2) incunabulis eo incre-

---

(1) Iam e Christianae Religionis primordio vero summoque Deo O. M. templa dicata fuere, eversis inanibus diis. Ea vero plura fuere, quamvis nonnulla in cryptis, et in aliis reconditis locis aedificata, donec a Costantino Magno pace Christi Ecclesiae reddita, Christiana Religio magis ac magis percrebuit. Sunt qui putant, hunc Imperatorem Neapoli aedificasse templa quaedam vero Deo: at Sabbatinius Kal. Neapol. tom. II. mense April. die XIII. diatribam eruditam elucubravit, in qua probat, illum Imperatorem Neapolim nunquam pervenisse, nullasque Basilicas condidisse, uti vulgus autumat. Ioannes Villanus Chron. Neap. pag. 42 et 28 nonnullas enumerat Ecclesias a Costantino Neapoli erectas, nempe S. Ianuarii Diaconiam, vulgo *all' Olmo*, SS. Ioannis et Pauli, S. Andreae ad Regionem Nidi, S. Mariae Rotundae, et S. Mariae in Cosmodin. Idem confirmat Caracciolus, aliique scriptores. Hic quosdam affert lapides, ex quibus probare nititur, Neapolim Costantinum advenisse: at Sabbatinius eos omnes refellit, neque ex iisdem confirmari posse ait, Costantinum Neapolim pervenisse, quamvis iidem a Caracciolo recitati lapides de Costantino verba faciant, non vero ipsum Neapolim aliquoties advenisse affirment.

(2) Verum Symmachus lib. VIII. epist. 27 de Neapoli verba faciens ad quendam Censorinum ita scribit: *Nunc ad alia*

buit modo, ut prope dici possit ipsa innumera esse? Fama vero est, quin ex traditione constat, hanc a Beato

---

respondeo, quae de me scire voluisti: quamprimum Neapolim petitu civium suorum visere studeo: illic honori urbis religiosae intervallum bidui deputabo. Is enim auctor non alia de causa hanc urbem *Religiosam* appellat, nisi quia aetate sua adhuc gentilitatis errores consectabatur, et forsitan adhuc per id temporis templa, et deorum cultus publice patuerit. Laudatus Symmachus floruit IV vergente saeculo, et V, ineunte, quo tempore nempe CCCXCI. Romae Consulatum sub Theodosio Iuniore gessit, quique ut ethnicismi perditus propugnator, ea de causa Neapolim vocat *Religiosam*: nam plures supererant adhuc deorum cultui addicti: verum id non obstat, cum quo tempore Apostolorum princeps Petrus ex Antiochia Neapolim petiit, statim in hanc urbem Christi veram introduxerit Religionem. Vnum ex aliis monumentis heic adducere debemus, nempe anno Christi CLXXI, Neapoli ludos profanos adhuc celebrari, uti constat ex quibusdam lapidibus a Martorellio recitatis Theca Calam. pag. 613 deorum inanium adhuc statuas erigi, et in eorum templis candelabra, et lucernas appositas a Flaviae gentis libertis; necnon celeberrimum Dioscoridum templum adhuc stare, deorumque cultum publice perdurasse Symmachi aevo, et forsitan ad aliud usque saeculum: quamvis Christianos tunc temporis Christo publice inservisse constat, et paucos superesse ethnicos, ac proinde paulatim fuisse penitus extinctos a Christianis Imperatoribus.

Verum Cl. Mazochius in Kal. Neapol. tom. I. pag. 40 mense Febr. subiungit supra laudatam Symmachi auctoritatem interpretans, hanc urbem adhuc *religiosam* esse per id temporis private, haud vero publice. Inanium enim deorum templa haud patuisse amplius probat Symmachi aevo, et tantum in quibusdam senatorum, et nobilium virorum larariis domorum, aut vero κατὰ τὰ προάστεια *in suburbanis* liberam suae religionis exercendae potestatem fuisse. Pro re nata iuvet heic advertere iuxta Cl. Mazochium ibid. ethnicismum saeculo quinto, qui iam ex pluribus urbibus fuerat eliminatus, adhuc in suburbiis, ac pagis haerere: unde *Paganos* a pagis vult dictos, qui adhuc in iis locis deos colebant.

Si quis plura cupit, adeat Sabbatinium tom. IV. pag. 137 et seqq. Kal. Neap. ubi satis belle hac super re disseruit, quo

Apostolo Petro (1) Christiana fide imbutam esse: ipse enim postquam Antiochenam condidit Ecclesiam, ibique

---

Iannonium Hist. Civil. Neap. lib. I. c. ult. propugnaret, ubi scribit, Neapoli Christianam Religionem IV. nonnisi post saeculum introductam.

(1) Sunt qui putant, D. Petrum Apostolorum Principem Neapolim nunquam advenisse, quibus haud equidem adsentior. Tam certum est, ipsum Apostolum nostram advenisse urbem, ut ex pluribus id monumentis eruere luculenter possimus. Nam qui fieri poterat, ut Apostolorum Princeps cum Italiam adpropinquaret, atque ad fundandam Romanam Cathedram, non prius vicinas regiones, et provincias, et urbes per eam tempestatem nobilissimas inviseret? Illud autem evidens est ex constanti Traditione, atque variorum Sanctorum nostrorum Antistitum genuinis Actibus, D. Petrum fundata prius Antiochensi Cathedra, Romam advenientem Claudio imperitante, Neapolim pervenisse, ibique dies aliquot immoratum. Infimae heic sortis foeminam (uti constat) in foro invenit, Candidam nomine, eamqae senili aetate provectam, eaque ab ipso interrogata, qui mores in eadem essent urbe, statim Christi Religione imbuta, et salutari Baptismatis lavacro fuit lustrata. Candidae tunc amicus quidam erat Aspren nomine, multo abhinc tempore adversa laborans valetitudine; ut ei sanitatem restituat, rogat: quem quidem Christi Apostolus illico sanum, validumque reddidit.

Ad hanc Traditionem confirmandam plura adsunt monumenta, eaque variae aetatis, et auctoritatis. Vt alia omittam, in promptu habemus I. Acta primigenia S. Asprenis quarto Ecclesiae saeculo ab anonymo scriptore exarata. II. S. Athanasii Episcopi Neapolitani vitam a Petro Subdiacono Neapolitano saeculo decimo conscriptam. III. Alia Acta eiusdem S. Asprenis ab Vghellio Ital. Sac. tom. IV. de Episc. Neapol. vulgata, ubi huiusce historiae occurrit mentio. V. Chronicon S. Mariae de Principio, quod tertio, et decimo vergente saeculo fuit exaratum. VI. Praetereo Ioannis Villani Chronicon, et MS. Codices, quos affert Caracciolus de Sac. Neapol. Eccles. Monum. c. 3. Chioccarellius de Episc. Neapol hanc etiam totam sincere narrat historiam S. Petri, et Asprenis ex antiquissimis excerptam Lectionariis, MS. Neapolitanae Ecclesiae libris. Videsis Cl. Mazochium de Cultu SS. Neapolit.

At quoniam D. Asprenis occurrit mentio, praeterendam

aliquandiu immoratus, postea VI. Neronis anno in Italiam peragravit, ac paulo post Neapolim pervenit, ubi hanc urbem, aliasque ceteras Christi Religione imbuit, primumque huius Antistitem constituit Asprenen, Condidamque Seniorem primam civitatis Christianam reddidit. Hinc primum ad eum locum, qui vulgo *S. Petrus ad Aram*, sacra peregisse eundem Apostolum fama est. Hodiedum visitur ara (ut creditur) ad novae Ecclesiae ingredientium laevam, supra quam D. Petrus rem sacram fecit. Ob tantam igitur huiusce Apostoli memoriam, urbs eidem addictissima, *Fidissimae* nomine donata fuit. Extat anonymi poetae hanc super rem distychon:

Regibus, atque Deo quod sis Fidissima semper,
Parthenopes nomen dat tibi iure Fides.

CAPUT X.

Describuntur alia loca circa urbem Neapolim.

Antequam ad agri Puteolani descriptionem veniamus, superest ut de aliis locis circa urbem loquamur. Non procul ab eadem, et qua parte orientem spectat, primum occurrit collis amoenissimus, vulgo *Capodimonte*, Capimontius. Eius aer salubris est: huius loci mentionem facit Pontanus in Lepid. Tanta est loci feracitas, et ubertas, ut fructus exquisiti saporis, et cuiuscunque generis Capimontius.

---

haud arbitror ipsius aediculam, quae restat in loco vulgo: *S. Aspreno ai Tintori di Seggio di Porto.* Communis Neapolitanorum traditio est, heic fuisse ipsius domum, quod quidem credendum haud est, siquidem quo tempore floruit S. Aspren, tota isthaec regio, mare procul dubio fuit, et antiqua moenia haud procul extiterunt. Temporis progressu mare recessit, idque accidit multo post aetatem S. Asprenis. Refellenda igitur est illorum opinio, qui heic ipsius domum fuisse putarunt. Pluribus inde elapsis saeculis hoc in loco eiusdem in honorem dicata fuit isthaec aedicula.

enascantur. Nihil heic dicam de praecocibus pomis.

Via Capimontana.

Supra hunc collem aperta fuit paucis abhinc annis profuso auri pondere via nova, vel Capimontana, qua ad regium praetorium itur, eaque deliciossima. Haec nova via incipit a Regio Museo Borbonio sub hortis Patrum Theresianorum, ubi inventum fuit sepulchretum antiquissimum anno MDCCCX. Via isthaec recto tramite super collium clivos ad Capimontium vergit. Quo esset minus difficilis, pons maximus *Sanitatis* vulgo dictus ab Ecclesia S. Mariae Sanitatis excitatus est, arboribus inde ab utroque viae eiusdem latere passim consitis, quo ab aestivis caloribus viator pergeret commodius. Nihil hac magnificentius, et deliciosius esse potest, sive propinquos amoenos colles, vel magnificas aedes, sive hortos fructibus exquisitis secus hanc viam spectes. Haec via ad duo circiter milliaria extenditur usque ad vetustum aquaeductum vulgo *de' Ponti Rossi*, et hinc pergit usque ad Caput Clivi, *Capodichino*, supra quem locum alia via fuit aperta, qua ad Campum Martium itur, atque inde in urbem viator descendit per Lautrechium collem, vulgo *S. Maria del Pianto* prope commune urbis sepulchretum, *Campo Santo*, et prope pauperum Regium Hospitium. Supra Lautrechium collem urbis Neapolis adspectus est maxime dignus qui videatur; inde enim maris propinquitas, et prospectus paludium, Vesuvii, montium Apenninorum, hortorum, et urbium dissitarum maximam advenientibus affert oblectionem.

Coniclus mons.

E regione Capimontii exurgit alius collis Coniclus nomine, vel Cuniculus, vulgo *la Conocchia*: fuit hic ita dictus *a cuniculis excavatis*, *qui heic reperiuntur oblongi*, *terraeque meatus manufacti*, *qui aliquo pacto inter se coire videntur*, ut ait Capacius Hist. Neapol. lib. II. c. 6. Pontanus etiam de hoc canit, loco ante cit. Ad radices ipsius collis adest Neapolitanum Coemeterium ante descriptum. Supra hunc vetusta rudera quoque reperiuntur, quae ad Romanos, vel ad Graecos utique pertinuere; hinc identidem inter cetera eruderata

fuere vasa, numismata, aliaque id genus, quae saepe ex incolarum ignorantia deperdita fuere. Non procul ab eo loco, et ubi dicitur *lo Scotillo* magnificum restat sepulchrum opere lateritio Romanorum tempore dubio procul factum: rusticorum nunc, et accolarum inscitia pene deperditum.

Caput Clivi.

Ad laevam collis Capimontani adest alius dictus Caput Clivi, vulgo *Capodichino*. Hunc locum ita describit Fabius Iordanus Hist. Neap. MS. lib. II. c. 11 *Sequitur ad septentrionem Caput Clivi ob id appellatum, quod Capua Neapolim petentes hinc primum ad mare, ipsamque urbem descendere incipiant . . . . Caput Clivi appellatum in Sancti Severini monumentis legi.* Cl. Ignarra de Palaestra Neapol. part. II. hunc putat memoratum Petronio Satyric. c. 44 fuisse Clivum Neapoli proximum. Olim agris nimia siccitate arescentibus *Aquaelicium* ab aquis eliciendis dictum credebatur. Tunc mulieres catervatim deum stolatae supplicatum ibant, et quidem nudis pedibus: hinc ea supplicatio *Nudipedalia* vocabatur. Hisce caeremoniis institutas olim mulieres Neapolitanas ex Petronio constat, quae *nudis pedibus in Clivum passis capillis, mentibus puris, et Iovem aquam exorabant.* Iupiter hic a quo pluvia petebatur, dictus fuit *Pluvius.* Verum haec Cl. Ignarrae opinio omnino est refellenda, cum hic usus apud Romanos, non vero apud Graecos invaluit. Petronius cuius hoc loco citatus Ignarra textum, et opinionem affert, non de nostra Neapoli est intelligendus, sed de Roma urbe, ubi mos hic invaluerit. Per eam enim aetatem Neapoli Graeci mores semper fuere, aut saltem Petronii tempore nondum Romani mores in hanc urbem introducti fuerant. Hinc dicendum locum hunc nomen desumpsisse a Clivo, et in chartis Medii Ævi de hoc loco extat mentio hoc modo, *Caput de Chio*, et *Caput de Chiu*, et *Caput Plii.*

Falso etiam existimanda est eiusdem Ignarrae opinio, qui putat propinqua loca sub nomine *Pichiovi* denominationem sumpsisse a Iove Pluvio. Locus hic profecto

nomen accepit a quodam Andrea Pichioli, qui heic olim agrum possedit. Vide Iustinianum artic. Capodichino, Dizion. de' Monti etc. et Iannellium Dissert. III. in Codicem Perott. pag. 258.

Aquaeductus. Haud procul ab hoc colle ex sinistra parte Neapoli exeuntibus fit obviam locus dictus: *I Ponti Rossi*, ubi visitur arcuatus pons opere lateritio excitatus. Hunc aquaeductum creditur constructum fuisse a Claudio Imperatore, quamvis nullum adsit ad hoc probandum monumentum: sed equidem arbitror, ipsum multo vetustiorem fuisse, quam Claudianum aevum: nam ipsum inservisse ad aquas deportandas Baias ad Luculli villam fama est.

Hic vero aquam ferebat a Serino ad Mirabilem usque Piscinam vulgo dictam. Hoc tam certum est, ut inficiandum haud sit. Narrat vero Carlettus, Topograf. di Nap. num. 335 Petro e Toledo Neapolitanum regnum Prorege gerente, iniunctum opus fuisse Petro Lecterio, quo perpenderetur qua ex parte aqua isthaec olim proveniret, quoque se exoneraret. Laudatus architectus Proregem certiorem fecit, eandem aquam Serinensem in quodam loco se colligere, et per quendam pontem adduci in villam, cui nomen *Contrada*. Postquam vero ea per montem Mortellitum, hodiedum cryptam Virgilianam, ad Forini, et Montorii planum per alia loca adsportabatur per subterraneos olim a Romanis excitatos cuniculos, per plures nempe vicos, atque opida, ut S. Severinum, Sarnum, Palmam, Summanum vicum, Afragolam, Casoriam, S. Petrum ad Paternum; hinc Neapolim permeabat, ubi vulgo *i Cantarelli*. Inde per vicinam S. Ephebii Ecclesiam, ubi adhuc stat pars aquaeductus; postea per Virginum suburbium, et portam S. Mariae Constantinopolis, per Ecclesiam Iesu, et Mariae deducebatur, ubi etiam adhuc in subterraneis conspicitur vetustae fabricae pars arcuata opere lateritio sub nomine *i Ponti di Gesù*, *e Maria a Pontecorvo*. Hinc per collem Antinianum aqua deferebatur usque Pausily-

pum, ubi in duos seiungebatur ramos; quorum alter Puteolos, alter suprà Pausilypum per Balneolanam regionem aquam ferebat, ubi Luculli aderat villa. Hic tandem aquaeductus per Leucogaeos colles, hinc Puteolos, inde Baias, et Cumas perveniebat ut passim ex ruderibus, quae restant, videre est.

Hic igitur aquae cursus quinquaginta circiter milliaria extendebatur. Idem Lecterius ad hunc restaurandum aquaeductum sumptum prope immensnm erogandum affirmavit: hinc opus haud fuit perfectum. Id omne huc usque relatum ex eodem Lecterio in Relatione MS. apud Iustinianum, Dizion. del Regno, artic. Nap. compertum habemus. Idem narrat Bolvitus Hist. MS. Celanus Giorn. IV. Galantius, Descrizione di Nap. etc. aliique patrii scriptores. Iuvat heic audire Sebastianum Bartolum Thermol. Aragon. part. II. pag. 3 huiusce aquaeductus mentionem facientem, et Balneolanam describentem regionem: *Venerabile tamen est antiquitatis monumentum in hoc Balneolorum agro aquaeductus, qui ab Antiniano descendens, per huius agri medium productus Puteolos, Baias, et Misenum deducebat affluentissimi Sabati fluminis undas: equidem integer, licet antiquo, induratoque limo obstructus perseverat hactenus, praesertim in sinistro latere viae, quae nunc Agnani lacum ducit.*

Ad Neapolis occidentem adsurgit collis Hermius, qui est pars Olympiani, et postea S. Erasmus nuncupatus ab aliqua aedicula fortasse illic condita. Hic urbi imminet, et olim super hoc monte turris erat *Belforte* dicta, quae a Carolo II. Andegavensi in arcem fuit conversa. Quo vero tempore anno nempe MDXVIII. urbs a Duce Lautrechio fuit obsessa, arcis huius munimina crevere, et sub Carolo V. tandem praesidium evasit munitissimum. Mons Hermius.

Super eundem collem adest Ecclesia S. Martini, et Monasterium Patrum Carthusianorum, hodie militum statio. Neapolitani quondam Reges hoc in loco ae-

dem ad rusticandum habuere: postea Carolus Dux Calabriae parentem suum Robertum Regem induxit, ut aedes in Monasterium converteretur, quod factum circa annum MCCCXLIII. Nihil hoc loco amoenius, et nobilius esse potest, cum urbem Neapolim quaquaversus subiectam habeat, et longe lateque prospectat Apenninorum catenam cum urbibus, vicis, et insulis in mari positis. Ecclesia, et monasterium maximam praesefert magnificentiam, cum marmora pretiosissima, et tabulae Sanctorum depictae heic adservantur ubique.

Collis Aminaeus. Non procul a descripto monte fuit alius Aminaeus nomine, unde postea celebre evasit vinum Aminaeum. Circa Neapolim profecto fuit hic collis, idque confirmatur ex Caleno De Meth. med. lib. XII. c. 4. Macrobius lib. II. c. 16 de eo sic scribit: *Vvarum ista sunt genera, Aminaea scilicet a regione: nam Aminaei fuerunt, ubi nunc Falernus est.* Iuxta Martorellium, Colon. Fenic. pag. 170 nihil aliud fuit Falernum, quam Mergellina, quae olim Phaleri arx fuit. Virgilius vero Falernum ab Aminaeo distinguere videtur Georg. II. v. 95.

Leucopetra villa. Leucopetra hodie *Pietra Bianca* vicus Neapolim prope super viam novam, quae ad villam Porticensem ducit; ita appellatur, ut creditur, ab alba petra ibidem secus viam publicam posita, ut pagos conterminos limitaret. Bernardinus Martyranus villam Leucopetram super hoc litore magnificam aedificavit. Capacius Hist. Neapol. lib II. c. 7 aliique scriptores hanc villam Caroli V. Imperatoris hospitio illustratam narrant; hanc hodiedum vulgus appellat *lo Sguazzaturo.* Locus hic satis est amoenus, habetque aedes, villas, et fontes supra mare divitum Neapolitanorum nobilissimos, iacetque inter viam S. Ioannis a Teducio, et villam Porticensem secus publicam viam,

Doliolum. Extra portam Campanam, qua nunc Nolam itur, locus adest Doliolum dictus, vulgo *Poggio Reale.* Via isthaec fuit aperta sub Philippo II. Austriaco Hispaniarum Rege, et regnum Neapolitanum pro Rege obtinente Ioan-

ne Zunica Mirandae Comite. Alphonsus inde Pimentelius paulo post Beneventanus Comes fontes adiunxit, hinc inde cum arboribus belle dispositis. Ad huius regiae viae calcem adsurgit aedificium semidirutum, quod vulgus falso appellat *Palazzo della Regina Giovanna*. Hoc conditum fuit anno MCCCCLXXXIV. ab Alphonso Aragoniae Rege.

Ad huiusce viae laevam e Napoli prodeuntibus adsurgit collis Lautrechius, quem indigenae corrupte appellitant *Lotrecco*, sic dictum a Duce Odetto Fuxio Lautrechio Gallo, qui anno MDXXVIII. Neapolim urbem moeniis circumdatam cum exercitu ad expugnandam venit. At cum ipsam capere haud posset, aquaeductum aperuit, inde factum, ut aquae undique stagnantes pestem in castra intulerint prope urbem obsessam tendentia; hinc peste undique grassante magna copiarum pars cum ipso Duce Lautrechio fuit extincta: ita urbs liberata ab eiusdem obsidione. Huiusce corpus postea in S. Mariae Novae Ecclesia fuit tumulatum.

Super hoc colle crypta adiacet vespertilionum, vulgo *la grotta degli Sportiglioni*, in qua iacent ad CC. prope millia cadaverum conditorum compages anno MDCLVIII. Quo tempore accidit immanis illa pestis, Neapolim pro Rege gubernabat Comes Castrillius. Causa tanti latet excidii: ipsam tamen ex Hispanicis oris huc advectam sunt qui scribunt. Per id temporis octo, aut decem millia hominum una die mortem sua falce messuisse fama est. Iuvat heic audire aliquid ex auctore contemporaneo, nempe Carolo Maiello, qui hanc historiam exaravit sub nomine: *Pestis Neapolitanae descriptio* etc. quod opus ego servo MS. in Schaedis meis. Hinc ita scribit auctor: *Horror erat inspicere eiecta corpora uncis attracta in plaustro conferta interdum spirantia adhuc cum vita carentibus coniungere. His Lautrechii montis specus subterraneae refertae, ubi templum erectum sub nomine* S. *Maria del Pianto. Partim vero in S.* Ianuarii Coemeterio *extra moenia humata sunt, partim ve-*

Crypta Vespertilionum.

ro in Lecomiis condita, ex quibus nimirum locis ad fabricae usum excinduntur. Illa quoque planities, quae vulgo il largo delle Pigne, *ed il largo di S. Domenico de'* Soriani *sepultorum strue obducta. Cumque iam quaevis latebrae tot millibus humandis haud suppeterent, mense etiam* Iulio, *una dies XXV. millia perdiderat: hinc aut supposito igne combusta, aut in mare proiecta historiae proditum est.* Ex hac auctoris descriptione vide quaeso quaenam caedes, quaenam ruina a peste effecta. Guicciardinius etiam sic huiusce meminit rei Mercur. Campan. pag. 45 *Sub nova Ecclesia* (nempe S. Maria del Pianto) *observata cernitur crypta de li Sportiglioni iampridem appellitata, in qua CC. cadaverum millia tempore pestis in anno MDCLVI. promiscue ingesta sunt: adeo ut via haec vere olim regia, et ob amoenitatem vespertinis deambulationibus reservata, nunc moororis sit semita, et praetereuntibus cladis funestissimae catastrophen repraesentet.*

Hic collis vulcanicas ab immemorabili aevo materias eructavit. Heic ignium vestigia satis superque fidem faciunt: nam passim qua late patet collis Lautrechius, praegrandis molis lapides Vesuvianis haud absimiles restant adhuc. Terrae adhaec ipsius varia pumicum nempe, lapidumque genera quaquaversum sparsa adservantur. Adisis lithologum Breislakium, Topogr. fisica della Campania, pag. 205 et seqq. qui hanc materiam tractavit.

CAPUT XI.

Vrbis Neapolis recens status.

Cum hactenus de Neapoli urbe antiquissima, de aedificiis, deque omnibus, quae ad ipsam spectabant, satis superque prolocuti simus, operae nunc pretium ducimus, ut de recenti eiusdem statu breviter verba faciamus.

Haec urbs aedificata est super Neapolitanum Crate-

rem, et est nunc metropolis totius Regni Neapolitani. Pluribus abhinc saeculis hanc urbem Reges constituerunt regni sedem. Nihil illa praeclarius, et nobilius esse potest, sive aedificia, sive vias, sive Deo O. M. et Sanctis templa dicata spectes. Haec procul dubio est prae antiqua satis splendidior, atque maior. Vetusta urbs Parthenope, ut ante diximus, parva profecto fuit, et super colles extendebatur. Recens urbis ambitus est triplex, vel quadruplus quam antiquus. Vrbs hodierna extenditur a crypta Neapolitana ad Pontem usque Magdalenae supra recentem Sebethum, scilicet ex ea parte, quae amplectitur Echiae promontorium, S. Erasmi collem, villam Arenulanam, collem Capimontium usque ad Regium Pauperum Hospitium, quod respicit Campum Martium. Hanc ob causam populi frequentia est maxima, et post urbes Londinum, Lutetiam Parisiorum, et Constantinopolim Neapolis est totius Europae urbs frequentissima, quum ad circiter tercenta sexaginta millia hominum contineat, praeter exteros, qui quotidie turmatim ad hanc incolendam adveniunt eiusdem deliciis capti.

Recentes mores sunt omnino differentes ab antiquis. Parthenopaei olim Graecanice vivebant, nec nisi ad ultimam Romani Imperii aetatem Latini mores hanc in urbem introducti fuere: quin imo multo post tempus Imperii eversionis, et etiam postquam Gothi, et Langobardi Italia dominati fuere, Graio semper Neapolitani idiomate loquebantur, et illud adhibuerunt ad septimum usque saeculum, et fortasse ad undecimum, uti ante fusius scriptorum antiquorum monumentis probavimus.

Everso Gothorum in Italia Regno ad Narsetis adventum, Neapolis fuit recta ab Exarchis Ravennatibus. Langobardi postea anno nempe DLXVIII. Italiam pene cunctam obtinuerunt, sed Neapolis haud iisdem fuit subiecta, sed Graecis Orientalibus potius Imperatoribus, qui Ducem ad eandem gubernandam mittebant, eaque aristocratice quodammodo vivebat in reipublicae formam. Iuxta Ioannem Diaconum anno DCCXV. Duces a populo Nea-

politano electi haud amplius Orientis Imperatoribus paruerunt, et hinc proprios nummos cudebant. Postea moenia reaedificata fuerunt, quo se defenderent cives a Langobardis, qui urbem obsidione cinxerunt anno DLXXXI. Beneventani vero Principes hanc in sui dominium obtinuerunt, idque circa annum DCCCXXX. evenit, et hinc Pandulphus IV. Campanus Princeps urbem occupavit anno MXXVII. at post tres annos Sergius Neapolitanus Dux Normannorum ope urbem recuperavit, et Ducatum. Ex eo tempore Neapolis redacta fuit miserum in statum, cum antea bella, barbarae nationes, aliaeque vices eam omnino deturparint, quamvis aedificia nova Barbarorum more super magnifica vetusta condita, atque ampliata fuerint, sed isthaec nullam magnificentiam praeseferebant.

Per ea vero tempora vicinae regiones in diversos dividebantur principatus: nonnullae Orientis, aliae Occidentis Imperatoribus, aliae tandem Romano Summo parebant Pontifici. Haec fortasse fuit causa ob quam Normanni nostras occuparunt regiones. Neapolis anno MCXXXIX. Rogerio Siciliae Regi fuit subiecta, aeque ac omnes aliae Regni urbes. Nonnulli Reges post Rogerium urbem ampliarunt, eaque post sequiorem aetatem splendidius est redacta, donec Carolus I. Andegavensis illam Regni sui sedem effecit, qui urbis ambitum maiorem reddidit circa annum MCCLXX. Ferdinandus I. Aragoniae Rex anno MCCCCLXXXIV. ultimam huic urbi effecit ampliationem adiunctis moeniis, turribus fortissimis, et quatuor portis S. Mariae ad Carmelum, vulgo *Porta del Carmine*, Nolanae, Campanae, et S. Ianuarii.

Neapolitanum interea Regnum subiectum nunc Hispanis Regibus, nunc Romanorum Imperatori varias vices passum: hanc ob rationem a Proregibus, et aliis Viris illustribus ab Imperatoribus Occidentis missis Regnum in provinciae formam fuit administratum. Inficiandum haud est, quin sub illorum vario gubernamine urbs Neapolis fuerit saepissime miserum in statum redacta, et per ea tempora nunc factionibus, caedibus horrendis, nunc

peste grassante, et terraemotibus convulsa, nunc per hostes dilacerata, quamvis nonnulli, uti prae ceteris Petrus Toletanus, urbem magnificentiorem reddiderint.

Postquam Carolus Borbonius Hispaniarum Rex regnum obtinuit anno MDCCXXXIV. urbs Italiae magnificentissima fuit. Nam Rex hic providentissimus plura effecit opera, eaque sumptu immenso a fundamentis erexit. Quo mercatoribus navigationem, et commercium redderet tutius, portum antea male constructum, ampliorem condidit, iactis in mari molibus, et viam magnificam effecit maritimam, quaeque antea invia, rotabilem faciendam curavit. Regium Praetorium Neapolitanum ampliavit, et Capimontanum cum nemore a fundamentis, et aliud apud Porticensem villam cum hortis, nemoribus, et arce munitissima supra littus excitavit. Praeter haec S. Caroli theatrum fortasse totius Europae maximum, Regium Pauperum Hospitium opus sane admirandum, Praetorium, et delicias apud Casertam cum aquaeductu sumptibus pene immensis erexit. Ferdinandus I. eius filius, et nunc Franciscus I. Borbonius magni Caroli Borbonii vestigia sectantes hanc urbem nunc procul dubio inter omnes Europae totius alias ad maximum adduxerunt fastigium. Dicendum profecto est nunc temporis urbem Neapolim ad omnia vitae commoda esse comparatam. Nulla alia totius orbis terrarum (ut ita dicam) cum ea comparanda quidem est. Hinc mirum haud esse debet, si ad hanc urbem visendam, quin ad incolendam quotidie huc adveniunt ex omnibus mundi partibus exterae gentes, quae heic vitam degendam constituunt.

Ante iam narravimus Herculanei, et Pompeiorum urbium effossionem regnante Carolo accidisse, qui Rex sapientissimus Academiam Herculanensem constituit, et earundem urbium explanationem per eruditos Viros hanc ob causam constituit. Ferdinandus I. eius filius Museum Borbonium Europae magnificentissimum, et ditissimum erexit, in quo infinita conlocavit suppellectilia ex antiquis urbibus eruderata, praeter immensos antiquitatis ex-

aliis locis collectos thesauros, et hoc vere Regium terrarum orbis primum Museum locupletavit.

Ita constituto regno, et urbe hac nobilissima Neapoli per Borbonios Reges, necnon Ephebeis maritimis, et militaribus, aliisque operibus publicis, et viis novis apertis prope urbem, et per provincias, commercium magis fuit extensum, qua montibus perforatis, qua aequatis, ut ad urbem Neapolim commodius, et tutius provinciales pervenire possent cives.

Quid vero dicam de hodiernae urbis publicarum, et privatarum aedium frequentia, et magnitudine? ea quidem adeo excrevit, ut ultima urbis ampliatio a Ferdinando I. Aragonio effecta haud amplius civium multitudinem continere potuerit, et recentia suburbia fortasse maiorem habeant populi frequentiam. Hinc portae ab Aragonio Rege excitatae eversae fuerunt praeter Nolanam, et Campanam, et urbs hodierna nulla habet moenia, praeter illa quae restant intra urbem ad nullum alium usum. Vrbs recens tres habet praecipuos ingressus. Primus est ille Pontis Magdalenae supra hodiernum Sebethum: hic ingressus ad orientem communicat cum suburbio S. Ioannis a Teducio, et hinc cum vicis Porticensi, Retinensi, et Turribus Octava, et SS. Adnuntiata. Ex hac parte iter est ad Calabros. Alter ingressus ad urbem est per Campanam portam, quae restat adhuc, qua itur in Apuliam. Extra hanc ubi nunc dicitur *ponte di Casa Nova*, invenitur milliare aureum, et hinc via amoenissima fontibus salientibus, et arboribus consitis ab utroque latere usque ad Ioannae Reginae diritum praetorium. Tertius ingressus est per Regium pauperum hospitium prope Caput Clivi, *Capodichino*, et inde ad Aprutium pervenitur.

Vrbs dividitur in praesentiarum in XII. regiones, seu *quartieri*, habetque quatuor magna suburbia; nempe S. Antonii Abbatis ab Ecclesia huic Divo dicata: hoc suburbium est extra portam Campanam. Aliud suburbium est S. Mariae Laureti, vulgo *Sobborgo di S. Maria di*

Loreto, post magnum *Mercati* forum, et Ecclesiam S. Mariae Carmeli. Tertium est suburbium Virginum, *Sobborgo de' Vergini*, quod incipit a porta S. Ianuarii usque ad Ecclesiam eiusdem Martyris extra moenia prope Coemeterium. Quartum tandem est suburbium Plagae Olympicae, vulgo *Sobborgo di Chiaja*, quod extenditur extra eversam huiusce nominis portam per totam maris viam, *la Riviera di Chiaja* usque ad cryptam Neapolitanam prope Ecclesiam S. Mariae, vulgo *di Piedigrotta*. Hoc suburbium est pars hodiernae urbis nobilissima, et amoenissima, quae ab uno viae latere Villam Regiam prope mare, ex altero magnificas continet Neapolitanorum procerum aedes, et prospectat Pausilypanum promontorium.

Nihil heic dicam de templis Deo O. M. dicatis magnificentissimis, et frequentissimis, quae dubio procul cum hodierna urbe Roma certant, inter quae numeranda maxime Archiepiscopalis Ecclesia a Carolo I. Andegavensi Rege excitata supra Apollinis, et Neptuni templorum ruinas, et a Carolo II. perfecta. Alphonsus Aragonius eam a terraemotu conlapsam reaedificavit anno MCCCCLVI. Sanctissimae Mariae Virginis ab Angelo Adnunciatae, S. Philippi Nerii, SS. Trinitatis vulgo *Maioris* excitatae anno MCCCCLXX. S. Martini supra collem S. Erasmi, aliaeque adsunt Ecclesiae nobilissimae.

Praetereo vias urbis magnificas, et praesertim Toletanam a Petro Toletano Neapolitano Prorege aperta, et silice strata, quae incipit a Regis Praetorio ad Capimontium usque, qua nihil est magnificentius, nihil splendidius, ubi omnia quae ad vitae commoda spectant, inveniuntur. Alia via amoenissima est prope mare, praesertim ex ea parte, ubi est villa Regia.

Quamvis hodierna urbs moenibus haud cingitur, (cum urbs excrevit mirandum in modum per nova suburbia) tamen quatuor habet arces munitissimas, nempe S. Erasmi a Carolo I. quae fuit excitata super collem, alia Castri Novi, *Castel Nuovo* prope Regis praetorium, alia Castri Lucullani, vulgo *Castel dell' Ovo*,

et alia S. Mariae Carmeli, *Castel del Carmine* ad populi frequentiam continendam. Haec arx excitata fuit a Ferdinando I. Aragonio anno MCCCCLXXXIV. Inde ab Alcalae Duce Neapolis Prorege fuit ampliata; et Petrus Toletanus, quo urbem a Turcis defenderet, murum auxit cum turribus.

Neapolim usque a Graecorum, et Romanorum temporibus fuisse constat matrem, et altricem omnium scientiarum. Heic Virgilium immoratum esse per aliquot annos, heic Papinium Statium ortum habuisse, alosque viros illustres satis liquet. Posteriori tempore etiam cum Romanum Imperium fuit eversum, hac in urbe viri docti floruerunt. Re sane vera Gothorum aevo Marcus Aurelius Cassiodorus, aliique heic vel ortum habuere, vel sedem fixerunt: Neapolis, cum aliae Italiae urbes maxima ignorantia essent afflictae, tunc ipsa aliquem doctrinarum gradum servabat adhuc, et post saeculum decimum disciplinae quoque noscebantur, donec post scientiarum regenerationem Reges in hac urbe Acadaemias, et Gymnasia constituerunt, quo tempore viri doctissimi in omnibus floruerunt, ita ut isthaec inter Europae urbes ad summum pervenerit gradum; et nunc Neapolis existimanda quidem est praeclarissima.

Explicit liber tertius.

SYLLABUS

CAPITUM, QUÆ OCCURRUNT IN PRIMA OPERIS PARTE.

Dedicatio pag. III

Praefatio in Campaniae Regionem. V

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. *De Campania Felici in genere.* 1

CAPUT II. *De Campaniae incolis, et praesertim de Osca gente, de illorum moribus, atque lingua.* 5

CAPUT III. *In quo agitur de antiqua urbe Capua Campaniae metropoli, de eius fundatione, de deditionibus, Colonia, Praefectura, incremento, maiestate, de illius eversione, et tandem de eius situ.* 10

CAPUT IV. *Describitur Amphitheatrum Campanum, uti hodiedum existit, deque eius partibus.* 18

CAPUT V. *De Theatro, Templis, Catabolo, ludo Gladiatorio, Circo, Gymnasio, Thermis, de Foro Seplasio, Albanoque: de variis vicibus; de Christiana Religione, de vetustis Capuae nummis, aliisque monumentis.* 23

CAPUT VI. *In quo agitur primum de Appia via, de monte Callicula, de opido Casilino, deque eius obsidione; de Butilini copiis prope Casilini pontem a Narsete perfractis, de Calvis, de Sidicino, et agro Falerno.* 32

CAPUT VII. *Describuntur variae urbes, uti Suessa Pometia, Vlubrae, Suessa Auruncorum, Sinuessa, rus Petrinum, Trifanum, via Domitiana, Suessula, eiusque fatum: hinc Argentium, S. Aghata Gothorum, et Vul-*

turnum opidum. Fit mentio tandem de fluvio Savone, deque Massico monte. 41

CAPUT VIII. *Describuntur urbes Formiae, Minturnae, Caieta, Ciceronis Formianum, Fundi, Amyclae, lacus Fundanus, Liris fluvius, Pandataria cum aliis insulis in sinu Caietano.* 49

CAPUT IX. *Fit mentio de aliis ultra Capuam urbibus, ut Casino, Aquino, Fregellis, Arpino, Sora, Atina, Venafro, Alifis, Callifis, et Telesia. Describitur Varronis Museum, et insula Sora.* 59

CAPUT X. *Describuntur cetera opida citra Capuam, uti duae Calatiae, Furculae Caudinae, vicus Novanensis, Caudium, villa Cocceii, Trebula, Compulteria, Saticula, Magdalunum, Acerra, Atella, via Atellana, Aversa, et Pomilianum Atellae.* 71

CAPUT XI. *Describuntur aliae urbes, uti Abella, Nola, aliaeque nonnullae cum vicis incerti situs.*

LIBER II.

Prooemium 95

CAPUT I. *Herculanei urbis effossio; portus sub Retinae nomine salutatus. Hercules urbis conditor: urbis situs; quaenam gentes eam occuparunt; quo anno Romani ea sunt potiti. Villae nobiles, et quo tempore prima urbis acciderit ruina. Vtrum post conflagrationem Herculaneum, et Pompeii rursus fuerint habitatae. Herculaneum Colonia, et Municipium.* 96

CAPUT II. *De primis statuis Herculanei repertis: quando Carolus III. Borbonius urbem effodiendam curarit. Describitur Theatrum, Forum, Templa, Hypogaea, domus: aliae res eruderatae, et praesertim statuae.* 108

CAPUT III. *De Academia Herculanensi, de statuis ex aere, de instrumentis culinariis, cerusicis, et bellicis: de numismatibus, papyris, et picturis in Museo Borbonio existentibus.* 116

CAPUT IV. *Quinam Pompeiorum conditor; incolae diversi;*

quando urbs eversa. Eiusdem portus : Municipium, et Colonia. Describitur Mammiae sepulchrum : anti[illegible] [illegible]ia, templum Isidis, Theatra, [illegible] atrum, et Forum. Arrii Diomedis [illegible], et pagus Augusti Felicis. 125

CAPUT V. *De novis eruderationibus anni MDCCCXIII. apud Pompeios effectis : describuntur monumenta in via Sepulchrali, Basilica, templa, moenia, aliaque nonnulla.* 136

CAPUT VI. *De monte Vesuvio : eiusdem ichnographia delineatur : de vulcanicis materiis ; Spartaci gladiatoris facinus enarratur.* 148

CAPUT VII. *De prima Vesuvii conflagratione ; mors Plinii, aliaeque conflagrationes describuntur, et damna a Vesuvio allata. De vulcanicis materiis, de mephitibus, de veterum opinionibus circa Vesuvium : quanam tandem parte expenditur olim mons ignem evomuerit.* 152

CAPUT VIII. *De Stabiis urbe : a quonam eversa: describuntur templa, et nova urbs : aquae minerales, lac Stabianum, Litorae, et Granianum : sinus Stabiensis, et Petra Herculis.* 161

CAPUT IX. *De urbe Nuceria, de Æqua, de Massa Æquana, de Surrento, de Pollii villa, de Athenaeo Surrentino, de Massa Lubrensi, et de insulis Sirenusis. Tandem perquiritur, utrum Apenninorum catena a Minervae promontorio ad Salerni prope oram fuerit olim insula.* 167

LIBER III.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ. 174

CAPUT I. *Vrbis Neapolis deliciae describuntur : de Sebetho fluvio, deque Neapolitanae urbis origine : disquiritur quaenam fuerit Parthenope Siren.* 176

CAPUT II. *Cumani urbem Neapolim aedificant : variae Coloniae diversis temporibus urbem habuere : de Colonia Euboica, et de Attica.*

Vtrum Palaepolis extiterit, et quo in loco sit ponenda. 184

CAPUT III. *De urbis vetustae ambitu, de moeniis fortissimis, et a quibus fuerint restaurata, de portis antiquis, de regionibus, de viis praecipuis, deque singulis Phratriis.* 191

CAPUT IV. *De Gymnasio Neapolitano, de Thermis, deque earum structura, de Theatro, de Metronactis schola, de Circo, de Ludis, de Pancratio, de ludis Augustalibus, de Ephebeis, deque ludo Lampadico.* 201

CAPUT V. *Neapolis Romanorum foederata: utrum Colonia, et Municipium fuerit. Deque antiquis eiusdem Magistratibus, de civium Cultu, et Numinum templis.* 213

CAPUT VI. *Pausilypanae describuntur deliciae, de Vedii Pollionis villa, deque alia Lucii Luculli, deque Sannazarii poetae sepulchro.* 223

CAPUT VII. *Describitur Crypta Neapolitana; de Virgilii Maronis sepulchro, de aquis Mineralibus: de insula Megaria, de villa Antiniana, de rure Arenulano, de Plaga Olympica, deque Regia Villa.* 230

CAPUT VIII. *Describitur S. Ianuarii extra moenia Coemeterium.* 240

CAPUT IX. *Quando Graecanici mores, et lingua desierit: variae vices, et quo tempore Christiana Religio in hanc urbem introducta.* 251

CAPUT X. *Describuntur alia loca circa urbem Neapolim.* 259

CAPUT XI. *Vrbis Neapolis recens status.* 265

SYLLABUS PRIMAE PARTIS

Omnium materiarum, quae occurrunt.

A

Abantia gens quaenam fuerit. 185
Abeila. 82, et seq. Municipium, et Colonia. ib. eiusdem rudera. ibid.
Academia Herculanensis. 116
Acerra urbs, et Colonia. 77. Hannibal urbem obsedit. ibid. a quibus eversa. 78. ager eius aere infestus. ib.
Acervara ubi, et quae. 51
Achylleus Martyr Pontiam relegatur. 57
S. Agatha Gothorum. 47
Ἀγόρανομος quis apud Neapolitanos. 215
Agippa Romanae classi Praefectus silvam Amim evertit. 244
Alaricus Rex in Italiam venit. 67
Albanum forum Capuae. 28
Alcinoi gigantis ossa sub Vesuvio sepulta. 154
Alexandrinorum regio Neapoli. 195
Alifae urbs. 67. Colonia. ib. thermae, et rudera. ibid. quando eversa. ibid.
Alleia Decimilla Cereris sacerdos. 140
Alfonsus I. Aragonius cryptam Neapolitanam commodiorem reddit. 233
Æqua urbs prope Surrentum. 169
Æquensis vicus. 169
Aminaei colles, et vinum. 264
Amphitheatrum Atellanum. 79
Amphitheatrum apud Aquinum. 60
Amphitheatrum Cassinense. 59
Amphitheatrum Minturnense. 51
Amphitheatrum Nolanum. 86
Amphitheatrum Stabiense. 162
Amphitheatrum Pompeianum. 133
Amphitheatrum Campanum. 18 et seqq.
Amphitheatri descriptio. 18 et seqq.
Amyclae urbs. 54
Antiniana villa. 239. unde nomen usurpavit. ibid.
Antinoi templum Neapoli. 221
Antinoitarum Phratria. 200
Apollinis templum Neapoli. 217
Appia via. 33, et seqq. quis eiusdem auctor. ib. quando silice strata. ibid. 4
Apiana uva. 224
Appius Claudius. 33
Aqua Sulphurea Neapoli. 238
Aqua Ferrata Neapoli. 238
Aquae Minerales apud Stabias. 165
Aquae Regiae, Vide Doliolum.
Aquae Sinuessanae. 42
Aquaeductus Neapolitanus, eiusque cursus. 262 et seqq.
Aquinum urbs. 60.
Municipium. ibid. patria clarissimorum Virorum. 61. amphitheatrum. 60
Arcanum rus. 64
Areae, vel sepulchrorum areae quae. 240
Arenariae. ibid.
Arenulanum rus. 239
Argentium. 46
Ariadnae tabula. 123
Aristaeorum Phratria. 200
Ἄρχων Neapolitanus. 215
Arpadium. 73
Arpinum. 62. patria praeclarissimorum Virorum. 63
Arpinas insula, Vide Fibrenus.
Arrii Diomedis domus. 135
Arthemisiorum Phratria. 199

S. Aspren I. Episcopus Neapolitanus. 258
Atella urbs. 78. Colonia, et Municipium. ibid. a Romanis recuperata quando. 79
Atellanae fabulae. 79
Athenaeum Surrentinum. 171
Atina urbs. 65. Colonia, et Municipium ib. quando eversa. 66
Aversa urbs a quibusnam aedificata. 81
Augustalis regio Neapoli. 195
Augustulus extremus Romanorum Imperator in Castrum Lucullanum includitur. 253
Augustus Nolae moritur. 85
Aulius Albinus, unde nomen pago *Alvignano* factum. 74
Aureus mons ubi. 164
Aurunca, Vide Suessa.
Ausones, Aurunci iidem ac Opici, et Osci quamnam Campaniae partem incoluerint. 6 et seqq.

B

Bacchi tabula. 123
Balneorum usus frequentissimus apud veteres. 206
Balneum Astruni. 234
Balneum Bullae. 234
Balneum Foris Cryptae. 234
Balneum Iuncarae. 234
Balneum Plagae. 234
Balneum Colaturae. 234
Balneum Petrae. 234
L. Bantius Nolanus civis. 84
Basilica Pompeiana. 144
Batulum. 93
Belisarius Neapolim occupat, et quomodo. 193
S. Benedictus. 59
Berelais eadem ac Capua. 30
Berolasis. ibid.
Bisellium quid significet. 139
Butilini copiae prope Casilini pontem a Narsete perfractae. 37

C

Caedia, et Caeditiae Tabernae. 91
Cadaverum cremandorum usus a quibus introductus. 244
Caieta urbs, et portus celeberrimus. 52 a Barbaris eversa. 53
Calatia urbs. 71. Colonia, et Municipium. 72. Calatiae duae. 71
Calenus ager. 37. aquae ibid.
Cales urbs. 37 templa. 38
Callicula mons. 35
Callifae. 68
Calventii Quieti Augustalis sepulchrum apud Pompeios. 138 et seq.
Calvum a quonam aedificatum. 39
Camilli vicus. 17
Campana luxuria, et felicitas. 12
Campanae castaneae. 4
Campaniae Felicis nomen. 1
Campaniae laudes ibid.
Campani nummi. 30
Campanum frumentum. 4
Campanum oleum. 4
Campanus ager fertilissimus. 5
Campanus morbus. 11
Campaniae incolae. 5 et seqq.
Candida prima Neapolitana Christiana a D. Petro baptizata 258
Capimontius. 259. Capimontana via. 260
Capitolium Campanum. 24
Capuae divitiae. 10, et seq. deditiones. 12 a Romanis recuperata urbs. 14 ab ipsis horrende saevitum in Campanos. ibid. Vrbis conditor. 12. Ludus Gladiatorius. 26. Gymnasium. 27 Thermae. ibid. Circus 27. Theatrum. 23. Amphitheatrum, eiusque descriptio. 18 et seqq. templa. 23. quando urbs Christi fidem recepit. 30
Caput Clivi, vel Caput de Chio. 261
Capys urbis Capuae conditor. 12
Carinula, vel Colinolum. 39
Carolus Borbonius quando Herculaneum effodit. 116
Caserta. 76
Casilinum urbs. 36 ab Hannibale obsessa. ibid. eius horrenda fames. ibid.
Casilinum urbs 59. Colonia. ibid. quando urbs eversa. ibid.
Castra Claudiana, vel Castra Marcelli. 45
Castra Hannibalis. 24

Castritius Scaurus Duumvir Pompeianus. 137
Catabolum. quid. 25
Cathedra in amphitheatro. 21
Caudium urbs. 73
Celennae. 93
Cereris vicus prope Capuam. 18
Cereris templum Neapoli. 219
Chalcidenses Neapolim aedificant. 185
Charilaus, et Nymphius Neapolitanae iuventutis principes. 187
Christiani utrum Coemeteria excavaverint. 246
Ciceronis sepulchrum. 51
Cimmeriorum regio Neapoli. 196
Circus Neapolitanus. 209
Civernatis villa. 63
Clanius Campaniae fluvius. 78
Claudius Marcellus Nolam defendit. 84
Claudii forum. 50
Coliseum quid. 19
Collis Aminaeus. 264
Collis Lautrechius. 265
Colonia Euboica Neapolim habitat. 185
Colonia Attica Neapolim venit. 185
Compulteria urbs. 75
Coniclus mons. 260
Conradus Germanorum Imperator Arpinum occupat. 63
Coecubus mons, et vinum. 86
Coemeterium Neapolitanum. 240, et seqq. eiusdem aditus. 247. eius descriptio. 240, et seqq.
Cora urbs. 90, et seqq.
Crater Neapolitanus, eiusque descriptio. 177
Crypta Seiani. 223
Crypta Vespertilionum. 265
Crypta Neapolitana. 230, et seqq. eiusdem descriptio ibid.
Cryptoporticus Campanus. 23
Cumaeorum Phratria. 199
Cumani Neapolim aedificant. 184
Cybelis templum Capuae. 25
Cymba quid. 242

D

Damna a Vesuvio allata in prima conflagratione. 153
Decius Magius Campanus civis. 14
Dianae templum Capuae. 23
Dianae templum Neapoli. 218
Dianarae sacerdotes. 218. et foemellae. ib.
Dioscoridum templum Neapoli. 219, et seqq. Phratria. 199
Διοσκορίδης quisnam. 215
Discus quid ludi genus. 211
Δημάρχος Neapolitanus. 215
Doliolum prope Neapolim. 264
Domitiana via. 41
Draco fluvius Campaniae 201. utrum extiterit. ib. idem ac Sarnus. ib.
Duracina uva. 225

E

Echia promontorium. 223
S. Elpidius, Vide Atella.
Elbovianus princeps, seu Emmanuel Mauritius apud Herculaneum statuas reperit. 209
Ephebi quinam. 211
Eumelidarum Phratria. 197
Eumelus deus Neapolitanus. 182
Eunostidarum Phratria. 198
Euploea insula. 224
Euphrates libertus Traiani, et procurator villae Pausilypanae. 228
Εὐξέδρα in thermis. 206

F

Falernus ager, et mons. 40
S. Felix in Pincis. 86
Federicus II. Imperator Neapoli studiorum Gymnasium erigit. 255
Ferdinandus I. Aragonius quando urbis Neapolis moenia ampliavit. 255
Fibrenus fluvius. 63
Flavia Domitilla Pontiam relegatur. 57
Fluvii Campaniae. Vide suo loco.
Formiae urbs. 49. rudera 50. quando eversa. ibid.
Formianum rus Ciceronis. 50
Fortunae templum Capuae. 24
Fortunae templum apud Pausilypum. 228
Forum Claudii. 92

Forum Albanum Capuae. 28
Forum Popilii. 30
Forum Seplasii Capuae. 27
Franci, et Alemanni ad Vulturnum caesi. 37
Fregellae urbs. 61. variae vices. 61
Fretum Stabiense. 166
Fructus, et quidquid inservit ad vitae rationem, olim grandioris formae. 119, et seqq.
Frumentum Campanum. 4
Fulsulae. 93
Fundanus lacus. 55
Fundi urbs. 53. et seq. Colonia, et Municipium. ib. quando eversa. 54
Furculae Caudinae. 73
Furcillensis regio. 195

G

Garilianus fluvius. 55
S. Gaudiosus Episcopus quo in loco sepultus. 248
Germanicus Neronis nepos Pontiam relegatur. 57
Gigantum apparitiones Vesuvianae eruptionis tempore quid sibi velint. 154
Gneius Naevius Campanus poeta. 31
Graecum vinum. 108
Graius sermo Neapoli usque ad quem annum perdurarit. 252
Granianum urbs. 166
Granum Musei Herculanensis utrum fuerit communi forma. 119
Gulielmus I. Neapolis moenia dilatat. 255
Gymnasium Neapolitanum conlapsum, et a Vespasiano restauratum. 202 ad quemnam usum hoc aedificium. 201. quo in loco situm. 203

H

Hannibalis colliditas apud Calliculam montem. 36
Hannibal Neapolim frustra occupat. 193
Hebo deus Neapolitanus. 717
Herculanensis regio. 195
Herculanei aedificatio. 99. urbis conditor. 99. quo loco urbs sita 97. utrum post Vesuvianam conflagrationem rursus habitata: 105. quaenam gentes urbem occuparunt. 102. quando urbs effossa. 109. quando prima evenit urbis ruina. 104. Colonia, et Municipium. 106
Herculanense Theatrum Mammius aedificat. 111. Χαλκιδικον quid sibi velit. 113. templa. 113. domus urbis. 114
Hypogaea. 114. Fori descriptio. 112
Papyri. 122. Instrumenta culinaria, cerusica etc. Herculanei reperta. 117, et seqq.
Herculanense Museum. 116, et seq.
Herculanensis porticus. 96
Herculanensium Phratria. 200
Herculaneus pagus. 17
Hercules infans. 123
Herculis petra. 167
Hermius mons. 263
Hippocles, et Megasthenes Italiam adveniunt. 73 185
Hypogaea Herculanensia. 114

I

Ichnographia montis Vesuvii. 148
Inscriptiones Oscis characteribus Pompeiis repertae. 141
Instrumenta varia Cerusica, Culinaria, Bellica Herculanei detecta. 115
Insula filiorum S. Petri eadem ac Sora. 55
Insula Euploea. 224
Insula Palmaria. 58
Insula Pandataria. 56
Insula Pontia. 57
Iusula Sinonia. 58
Insula Sora. 63
Ionacorum Phratria. 200
Insulae Sirenusae. 172
Iulia Augusti filia, et neptes Pandatariam relegatur. 56

Ἱπποδρόμος quinam. 209
Isidis deae templum. 131, et seqq.

K

Κοιμητήριον. 240, et seqq.
Κονιστήρια quid in thermis. 206
Κωρεκία quid in thermis. 206

L

Lac Stabiense. 166
Lactarius mons. 166
Lacus Fundanus. 55
Lampadicus ludus. 211
Lando princeps Capuam novam aedificat. 30
Larissa urbs. 92
Latina via, Vide Via.
Lautrechius collis. 265
Lautulae. 55
Leucopetra villa. 264
Leucosia Siren. 182
Limon insula. 224
Liris fluvius. 55
Literae urbs quando condita. 166
Locustae genus piscis exquisiti in Minturnensi mari. 52
Lucii Labeonis sepulchrum Pompeiis. 140
Lucilius poeta patria Auruncus. 42
Lucta quaenam ludi genus. 211
Ludi in genere quinam. 211
Ludi Augustales. 211
Ludi Epheborum. 211
Ludi Quinquennales. 210
Ludus Gladiatorius Capuae. 26
Ludus Lampadicus. 211
Lygia Siren Panthepes socia. 184

M

Magdalunum vicus. 77
Mammiae sacerdotis sepulchrum. 129
Mammianus Rufus auctor theatri Herculanensis. 111
Mamurra quis, et utrum huius nominis urbs extiterit. 53
Marcellus Nolam defendit. 84
Mari Allei Lucii Libellae cenotaphium Pompeiis. 140
Marci Nonii Balbi statua. 109
Marilianus vicus. 160
Massa Æquana. 169
Massa Lubrensis. 171
Massicus mons. 48
Medituxticus summus magistratus Campanus. 8
Megaria insula. 228
Mele. 92
Melphis fluvius. 65
Mephites Vesuvianae. 168
Mergellinae etymon. 222
Metronactis philosophi schola. 209
Minervae promontorium. 172
Minium, et Chrysocolla in Amphitheatro. 20
Minturnae urbs. 51. ruinae. ibid. quando eversa. ibid.
Modus opacandi theatri a Campanis introductus. 20
Mons Cancellus. 45
Mopsopus ductor Coloniae Atheniensis Neapolim venit. 185. Lampadicum ludum Neapoli introducit. ib.
Morbus Campanus. 11
Mortuos intra urbem sepeliri vetitum. 244
Muleasses Rex Tunetanus Dioscoridum templum Neapoli admiratur. 220
Munatius Magius Asculanensis Pompeios occupat. 147
Munatii Fausti sepulchrum Pompeiis. 158
Museum Herculanense. 116, et seq.
Museum Varronis. 80

N

Naevius poeta Campanus. 31
Naevoleia Tyche sepulchrum C. Munatio ponit. 159
Ναυκλαρχοι quinam. 45
Neapolis. 176. et seqq. vicus variae. 253. Coloniae variae. 185, et seqq. urbis origo. 180. ambitus. 191. moenia. 193. portae. 194. regiones. 195. Phratriae quae, et quot. 197. et seqq. Gymnasium. 201, et seqq. Thea-

trum. 206. Thermae. 205, et seq. Circus. 209. vetusta politia. 215. urbis viae. 196. Neapolis respublica. 215. Colonia et Municipium. 213.
Neapolis *religiosa* quid significat. 256, et seq. Ethnicorum cultus usque ad quem annum perduravit. 257.
Neapolis *fidissima*. 259 Neapolis fidem Christi a B. Petro Apostolo recipit. 258 Neapolis quo anno a peste affecta. 265
Neapolitani *Homerici* dicti. 204
Neptuni templum Capuae. 24
Nereus Martyr Pontiam relegatur. 57
Nistacidius Helenus paganus pagi Augusti Felicis. 140
Nola urbs. 83, et seqq. a quibus aedificata. ib. Romanis fida 84. Colonia, et Municipium. 84. sepulchra vetera. 87. Amphitheatra duo. 86. Augusti templum. ib. quando eversa. ibid. utrum Nola ad mare fuerit sita. 88
Νομος quid significat. 207
Novanensis vicus. 74
Nuceria urbs. 167. Colonia. 168. ab Hannibale capta punitur. 168
Numerius Popidius Celsinus Isidis templum Pompeiis restaurat. 131.

O

Ὠιδειον quid. 132, et 209
Olympica Plaga. 239
Opici iidem, ac Aurunci. 6
Opulenti. 91
Orbitanium 92, et seqq.
Orestes, et Pylades. 123
Ὀρχηστρα in theatris quae. 110
Osci. 6 et seqq. Oscorum lingua quaenam. 8
Oscorum lingua utrum Pompeiis viguerit. 141
Otiosa Neapolis. 235.

P

Pacullus Calavius civis Campanus. 14
Pagani quinam. 257
Pagus Camilli. 17
Pagus Augusti Felicis. 136
Pagus Herculaneus. 17
Pagus Iovius 17
Palaepolis urbs utrum extiterit, et quo in loco. 186, et seqq.
Palatina regio. 195
Palmaria insula. 58
Pandataria insula, et Colonia. 56
Panclidarum, vel Panclidarum Phratria. 200
Papia vicus ignoti nominis. 92
S. Patricia incertum quo tempore Neapolim advenit. 238 Parthenope quae, et utrum Neapolim condiderit. 181, et seqq. eiusdem sepulchrum. 183
Patulcidis villa. 237
Pausilypus mons. 223. eius etymon. ib. deliciae, fructus, et pisces. 223, et seqq.
Παγκρατιον quid. 210
Perolla Paculli filius civis Campanus. 14
Pestis Neapolitana. 265
Petra Herculis. 167
Petrinum rus. 43
S. Petrus in Corpore vicus prope Capuam. 17
S. Petrus utrum ad Neapolim urbem venerit. 258
Petrus Toletanus Cryptam Neapolitanam commodiorem reddit. 233
Phratriae Neapolitanae. 197, et seqq. a quibusnam introducta. ibid. earum etymon. ibid.
Φιλληρου τυσις. 228
Φηταρχοι quinam apud Neapolitanos. 215
Φρουντιστης quis. 217
Platamoniae cryptae. 218
Plinii Natur. hist. scriptoris mors. 152
Podium in Amphitheatro. 20
Pollii villa Surrentina. 170
Pollionis villa, et piscinae. 227 226. eiusdem saevitia.

Pometia V. Aurunca.
Pomilianum ad Arcum. 89
Pomilianum Atellae. 82
Pompeii urbs. 125, et seqq. etymon. ibid. quando eversa. 126. quinam urbis incolae. 126. Colonia, et Municipium. 127. Theatra. 132, et seqq. domus. 129. quaenam materia urbem evertit. 126. Sylla urbem occupat. 146. Amphitheatrum 133 et seq.
Portae. 145, et seqq.
Pompeiana Collegia. 135. Forum. 135. Arrii domus. 135. Forum civile. 144. Basilica. 144. moenia. 146. via sepulchralis. 137
Pontia insula. 57 a quibus occupata. ibid.
Porta Ventosa, et Licinia. 194
Porta Nolana Pompeiis. 145
Porta Nolana Neapolitana. 194
Porta Montana. 194
Porta Campana. 194
Porta Puteolana. 194
Porta Stabiensis. 146
Porta Herculanensis. 146
Porta Nucerina. 145
Porticus vicus. 96
Porticus Herculis. 96
Portus antiquus Neapoli. 222
Portus Caietae. 52
Portus Herculanensis. 98
Portus Pompeianus. 127
Priapi templum Neapoli. 211
S. Prisci vicus prope Capuam. 17
Promontorium Athenaeum. 171
Promontorium Pausilypanum. 223
Pugilatus quid ludi genus. 211
Pyrae vicus. 92

Q

Quanam ex parte Vesuvius primis temporibus ignem evomuerit. 160
Quibus coloribus in pingendo ebantur veteres. 124
Quid sibi vult Bisellium. 139
Quo tempore corruerit Dioscorum templum. 220
Quo tempore evenit prima suviana conflagratio. 153
S. Quovult-Deus Episcopus ubi sspultus. 248

R

Radelchisius princeps Beneventanus Telesiam occupat. 70
Rainulfus Normannorum Comes Aversam condit. 81
Retinae classiarii. 97
Rodoaldus Beneventi Dux Surrentum occupat. 109
Rubeolus idem ac Sebethus. 178
Rufrae ubi sitae. 93

S

Salinae Herculeae. 99
Sannazarii sepulchrum. 228. Sannazarius a Federico Rege locupletatur. 229. Monasterium, et Ecclesiam S. Mariae de Partu Virginis aedificat. ibid.
Sarnus fluvius unde oritur. 101
Sarrastae populi. 168
Sarus mons. ib.
Satieula urbs. 75. Colonia. 76
Savo fluvius. 48
Schola Neapolitana. 204
Schola Virgilii. 224
Sebethus fluvius. 178. Sebethi fontes. 180. eius cultus. 179
Sedere in quatuordecim. 21
Seiani crypta. 223
Seplasiae forum Capuae. 28
Sepulchra varia, Vide suo loco.
Sicicinum urbs. 39 aquae minerales. ibid
Silverius Papa Pontiam relegatur. 52
Sinonia insula. 58
Sinuessa urbs. 44
Sinuessanae aquae. 45
Sinus Stabianus. 165
Sirenusae insulae. 172
Sistra quaenam instrumenta. 124
Sora urbs. 64. Colonia. 65. a Romanis capta ibid.
Sora insula. 65
Spartacus gladiator. 150
Specularia quaenam. 218
Spelunca, Vide Amyclae.
Stabiae urbs. 161, et seqq.

aquae minerales. 165. quando urbs deleta. 162. vetusta aedificia. 163. urbs nova. 164
Statuae Herculanenses. 108
Stellatis ager. 37
Σταφυλοι quinam. 215
Strigiles. 206
Suessa Aurunca. 42 aedificia vetusta. ibid.
Suessa Pometia. 41
Suessula urbs. 44 Colonia, et praefectura. 45. eiusdem eversio. 46
Surrentum urbs. 169, et seq. Colonia, et Municipium. ib. quando in Ducatum fuit conversa. 170. vinum Surrentinum. ib.

T

Tabernae Caeditiae, Vide Caeditiae.
Taburnus mons non procul a Calatia. 72
Teanum Appulum. 39
Teanum Sidicinum. 39
Tegianum. 94
Telephi tabula. 123
Telesia urbs. 68 theatrum. 69. rudera. ibid. Colonia ib. eiusdem eversio. 70
Templa varia, Vide suo loco.
Thermae Neapolitanae. 205
Thermensis regio Neapoli. 195
Thora, Vide Cora, vel Cossa.
Thesei tabula. 103
Tifata mons. 16
Tifatina Diana. 23
Titus Imperator reparat damna a Vesuvio allata. 153
Totilas Rex Neapolim occupat. 193
Trebula urbs. 74
Trifanum ubi. 43
Turris Octava. 108

V

Vallis Caudina, Vide Caudium.
Varronis Museum. 60
Vedius Pollio. 226. eiusdem maxima saevitia. ib.
Venafrum urbs. 66. Colonia, et Municipium. ibid.
Veneris templum Capuae. 23
Vescia urbs. 92
Vescinus ager. 43
Veseris opidum, an fluvius. 87 et seq.
Vespertilionum crypta. 265
Vesuvius mons. 148, et seqq. eius feracitas. 149. conflagrationes. 152 et seqq. mephites. 158
Via Appia. 33, et seq. eiusdem auctor. ibid. eiusdem descriptio. ibid.
Via Atellana. 78
Via Capimontana. 260
Via Domitiana. 44
Via Puteolana. 194
Via Olympica. 239
Via Pausilypana nova. 228
Vibii Virii Campani senatoris pracalarum facinus. 15
Vicus Apollinis. 17
Vicus Castelluccio. 64
Vicus Æquanus, Vide Æqua.
Vicus Marilianus. 160
Vicus Novanensis. 74
Vicus, vel pagus Herculaneus. 17
Vicus Iovius. 17
Vicus Turris Octavae. 108
Villa Antiniana. 239
Villa Civernatis. 63
Villa Luculli Pausilypana. 227
Villa Pollii Surrentini. 170
Villa Pollionis. 226
Villa Leucopetra. 264
Villa Cocceii. 74
Villa Regia Neapolitana. 240
Villa Patulcidis. 237
Vinius fluvius. 60
Vinum Graecum. 108
Vinum Falernum. 3
Vinum Surrentinum. 170
Virgilii sepulchrum. 234, et seq.
Virilassi. 19
Vitris veteres utrum fuerint usi 118
Vitruvius poeta Formianus. 50
Vivarium Campanum. 25
Vivaria Pausilypana. 227
Vlubrae. 41
Vlysses e Sirenum manibus se eripit. 182
Vrbana opidum. 93
Vulturnus opidum. 47. eius vices. 48

Vulturnus fluvius. 35. unde oritur. ib. eiusdem cursus. ib.
Vva Apiana, et Duracina. 225
Vsus pingendi supra parietes a quonam introductus. 125
Vsus sepeliendi mortuos intra urbes vetitus. 244
Vtrum Pompeiis lingua Osca viguerit. 141

Z

Zotho Dux Beneventanus Atinam incendit. 66

ERRATA.		*CORRIGE.*
Pag. V	prode	prope
7	Theanum	Teanum
109	Administras	administrans
145	Calcidicums exdecim	Chalcidicum sexdecim
147	Fueritne	Fuerintne
167	Atheneo	Athenaeo
170	Caeserum	Caesarum
175	recordutionem	recordationem
180	Parthenopis	Parthenopes
181	Parthenopis	Parthenopes
291	to	quo
223	curasques	curasque
229	Palheri	Phaleri
223	immisis	immissis
270	diritum	dirutum
257	exemplo	extemplo

A S. E. Rma.

Monsignor Colangelo Presidente della Giunta di Pubblica Istruzione.

Eccellenza

Il Tipografo Manzi desidera dare alle stampe un' opera che ha per titolo *Vniversae Campaniae Felicis Antiquitates*; prega V. E. Rma. a commetterne la revisione.

Presidenza della Giunta per la Pubblica Istruzione.

A di 25 Ottobre 1825.

Il Regio Revisore Signor D. Giuseppe Angelo del Forno avrà la compiacenza di riveder l' opera soprascritta, e di osservare se vi sia cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità.

Il Deputato per la Revisione de' Libri.

Canonico Francesco Rossi.

EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

FRANCISCO COLANGELO

STABIENSIUM PONTIFICI

PUBLICAEQUE INSTITUTIONI PRAEFECTO.

CAMPANIA Felix, alma Ceres, Bacchus, Pomona, Vertumnus ceu Iuvenes beatissimo adspectu aureo currui insidentes hinc floribus, fructibusque omnium generum, hinc segetibus ornato, atque a spumantibus equis tracto non animo modo, sed prope oculis meis obversari videntur. Comites porro accedunt pulcherrimae Naiades manu gerentes Cornucopiam frondibus, floribusque intertextam, qua ubertim fluminis instar bona omnia Campanos in populos manant, ut ipsi magis magisque beentur. A Campanis ergo procul esto Pandora. Quid ita? Isthaec Φαντασματα eo in mente excitantur, quod eruditissimus Marianus de Laurentiis in Campaniae Felicis Antiquitatibus, quas iussu tuo incredibili cum voluptate mihi legere contigit, omnia tum ad Coeli salubritatem, terraeque feracitatem, tum ad urbes, earumque magnificentiam, tum denique ad ipsorum mores ac leges spectantia Apellis ferme penicillo expresserit, ut quasi omnium oculis subiiciantur.

Cum vero omnia in eius tam utili, eximioque Opere iuribus Regiis, et Catholicae Religioni adprime consonent; illud edendum arbitror, nisi tibi aliter visum fuerit.

Datum Neapoli Idibus Aprilibus MDCCCXXVI

Iosephus Angelus de Furno R. R.

Napoli 20 Aprile 1826.

Presidenza della Giunta per la Pubblica Istruzione

Vista la dimanda del Tipografo Raffaele Manzi, con la quale chiede di voler stampare l'Opera intitolata — *Universae Campaniae Felicis Antiquitates* ec.

Visto il favorevole parere del Regio Revisore sig. D. Giuseppangelo del Forno.

Si permette, che l'indicata opera si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto uniforme l'impressione all'originale approvato.

Il Presidente

M. COLANGELO

Il Seg. Gen. e membro della Giunta

Loreto Apruzzese.

Sora
Ant
Fregellae
Aquinum
Fabrateria
Trerus Fl.
Via
Fundi

CAMPANIA FELIX
Aesernia
Atina
Venafrum
Vulturnus Fl.
Sora
Casinum
Villa M. Varronis
Via Latina
Aquinum
Fregellae
Ara
Liris Fl.
Fabrateria
Trerus Fl.
Teanum Sidicinum
Cales
Via Latina
Montes Auruncos
Calinulum
Aurunca
Suessa Aurunca
AGER STELLATIS
Forum Populi
Massicus M.
Pons Campanus
Appia
Pons Aurunceus
Minturnae
Formiani Colles
Lucus Marium
Via
Sinope
Sinuessa
Via Domitiana
Palus Mentur.
Formiae
Formianus Sinus
Fundi
Via Appia
CAECUBUS AGER
Fundanus Lac
Formianum Ciceronis
Cajeta
Cajetae Prom
Spelunca
Lautulae
Amyclae
Terracina
Alifae
Combulteria
Calatia
Telesia
Sabatus Fl.
Tabunius M.
Beneventum
Abellinum
Caudium
Arpadium
Abella
Vicus Bajanus
Mons Tifata
Via Appia
Calatia
Callicula M.
Casilinum
CAPUA
Sattiola
Magdalunum
Argentum
Nola
Sarnus M.
Suessula
Trebula
Acerrae
Salernum
Nuceria
Marcina
Pomilianum
Vesuvius M.
Vulturnus Fl.
Literna sive Clanius
Fl.
Aversa
Atella
Vicus
Vulturnum
Gallinaria Sylva
Literna
Liternus Lac.
Gaurus M.
Astruni L.
Lucrinus
Tegenna
Sebethus F.
Veseris
Burna
Herculaneum
Opulen.
Tiaris Annunciatae
Turris Ol.
Pompeii
Sarnus F.
Litterae
Stabiae
Petra Hercules
Retina
NEAPOLIS
Tauranio
Aequanus vicus
Pausilypi Prom
Puteoli
Pilae
Nesis Ins.
Cumae
Avernus L.
Baiae
Acherusius Lac.
Port. Miseni
Surrentum
Sirenusae Ins.
Massa Lubrensis
Templ. Minervae
Minervae Prom
Prochyta Ins.
Aenaria Ins.
Capreae I.

UNIVERSAE
CAMPANIAE FELICIS
ANTIQUITATES

A

MARIANO DE LAURENTIIS

ELUCUBRATAE.

PARS ALTERA.

NEAPOLI,
TYPIS RAPHAELIS MANSII

MDCCCXXVI.

LIBER QUARTUS.

IN AGRUM PUTEOLANUM

ANTELOQUIUM.

Ad amoenissimum quondam Campaniae Felicis angulum describendum accedimus. Hactenus ceteras Terrae Laboris urbes descripsimus; nobiliora nunc monumenta, nempe singula quae restant apud Puteolos, Baias, aliaque loca a Graecis primum, deinde a Romanis olim habitata, invisemus.

Puteolanus ager, necnon et Cumanus plus aliis quondam fuit expetitus; quippe cum et sumptus permagni, et complura aedificia passim a Romanis exstructa conditaque fuerint. Hinc mirum haud est, si ad maximum magnificentiae statum haec olim loca fuerint redacta. Cum vero illud solum suapte natura calidum ac tepidum sit, quod provenit ex vicinis montibus quondam ignivomis: hinc ea loca maxima feracitate non solum commendantur, verum etiam tot fructuum generibus, et ubertate, quorum ipsius scatet solum, totque aquarum mineralium, et balnearum abundantia, quae sunt in illo agro sparsa. Profecto iure meritoque illi praedivites viri plerasque villas profuso quam maximo auri pondere aedificarunt.

Quare tot thermas, aquas, emporia, montes vinis nobilissimis abundantes, sinus, piscososque lacus cum urbibus praecipuis, templa, Theatra, Amphitheatra, villasque praesertim in Baiano, atque Misenensi describemus litore. Nemo est ex antiquis, neque recentibus auctoribus, qui de Puteolano agro non emphatice scripserit. Merito Tullius ea loca appellavit Pu-

teolana, et Cumana Regna; *et Venusinus vates lib.* 1. *Epist.* 1. *v.* 83 *de Baiis belle sic cecinit:*

Nullus in orbe locus Baiis praelucet amoenis.

Hinc tandem illud vetus effatum de Campania, Puteolano potest aptari agro: Fragmen coeli delapsum in terram. *Quid igitur hisce locis pulchrius, et amoenius excogitari potest?*

Quae cum ita sint, singulas delicias, cuncta monumenta minutatim iam describere est animus, quaeque ibi sedes fuerint, a quibus occupatae, a quibus auctae, a quibusnam tandem eversae, et depopulatae, quaeque tandem rudera ad nos pervenerint, adiuvante Deo enucleabimus.

CAPUT I.

Puteolanae urbis origo: de eiusdem etymo, et variis nominibus eidem inditis. Colonia, et Municipium: Moenia fortissima describuntur.

Puteoli urbs est ad orientem sinus eiusdem nominis sita. Colles Leucogaei, mons Gaurus, atque Novus, Baiae, Bauli, et Misenense promontorium coronam veluti, atque amphitheatri inde efficiunt formam. Quae loca ob assiduas propinquorum vulcanorum conflagrationes celebrata fuere; nunc temporis isthaec penitus ab antiquo statu mutata, et deperdita. Lucrini vero lacus nihil aliud superest, quam lutosa palus cum arundineto circumquaque. Anno enim MDXXXVIII. IV. Kal. Octob. concussa terra, et flammis erumpentibus vicinum Tripergularum opidum funditus fuit submersum, et lacus ipsius parte oppleta mons exsurrexit, qui Novus, vel Cinereus dicitur in praesentiarum.

Puteolanae urbis origo adeo est vetusta, ut inter alias Campaniae fortasse sit antiquissima. Et re sane vera illam ante annum V. C. CCXXII. a Cumanis aedificatam fuisse ex Euboea insula provenientibus e Strabone lib. V. Geogr. ediscimus, qui narrat duplicem fortunam hanc urbem expertam: primam qua ante Hannibalis in Italiam adventum Dicaearchiam audisse liquet; alteram, qua Puteolorum nomen accepit. Vrbis origo.

A principio autem diversa huic urbi nomina indita: et primum *Dicaearchia*, et *Dicaearchaea* fuit appellata Δικαιαρχοια, quippe quod ea quondam civitas iustissime regeretur. Hinc scribit Plinius lib. III. c. 5 Hist. Natur. *Puteoli Colonia Dicaearchia dicti.* Hoc Graium vocabulum non alia ex causa urbi datum putarim, nisi quod ea olim Graecorum fuerit opidum. Et re sane vera huiusce urbis origo a Graiis ipsis (uti dictum) derivavit, qui olim maximam Italiae partem, et Campaniae oras praesertim incoluere. Hinc magistratus ipsos

extitisse usque dum Romani ea opida occuparunt, et ex illis nonnulla per longam aetatem iisdem moribus vixisse certum est.

Vnde Puteolorum etymon, et varia urbis nomina.

Puteolorum (1) deinde nomen usurpavit ab aquarum calidarum putore ob sulphureum solum, vel potius a puteorum frequentia, aquis calidis abundantium. Capacius Hist. Neap. lib. 11. c. 24 lapidem affert, ex quo *Putiolos* urbem nuncupatam olim constat. Martorellius vero Phoenic. pag. 21 ab Hebraeo, vel Phoenicio hanc vocem derivat, quae iuxta eundem *Luctae*, vel *contentionis urbem* sibi vult, quippe quod gentes variae, et diversis temporibus soli ubertate illa fuere dominatae.

Nuncupata etiam fuit *Flavia* a Flavio Vespasiani filio, fortassis ab Amphitheatro Puteolano restaurato, vel a Colonia ibi deducta sub Flaviis Principibus, quae cognomentum hoc ita adoptavit; *Colonia. Flavia. Augusta. Puteoli.* ut est in inscriptionibus a Grutero recitatis pag. CLXI. n. 5 sive etiam ob accepta beneficia.

Colonia.

Tandem fuit dicta *Colonia Augusta Puteoli.* Frontinus lib. de Col. sic etiam de ea urbe scribit: *Puteolos Co-*

---

(1) Non alia inde de causa appellata Puteoli, quam a puteorum quantitate, qui in hisce locis passim effodiebantur. Apud antiquos in more fuit positum, puteos istos magni aestimare, et veluti venerationi attribuere. Plinius de illius urbis etymo in eam sententiam ire videtur lib. XXXI. Hist. Natur. c. 2, ubi haec prodit: *Augent numerum deorum nominibus variis, urbesque condunt, sicut Puteolos in Campania.* Hinc crediderim Puteanum, nunc *Putignano* opidum in Apulia, hoc sibi nomen vindicasse a puteis ob eandem rationem. At quidquid id rei sit, et nihil obstante Pliniano textu Cl. Ignarra urbis derivationem de Palaestra Neap. pag. 228 a Putealibus haurit, qui quidem locus Romae proprie fuit, ubi Praetor ius dicebat. Quae vox cum Dicaearchia concordat, quaeque idem profecto sonat. Idem sentit Vincentius de Vero in Appar. Philologic. Cl. tandem Mazochius tom. 1. Spicileg. Bibl. pag. 78 hanc vocem derivat ab Etrusco, quod *sulphur* significat, quippe cum ea loca a vicinis vulcanis sulphure, et bitumine passim scateant.

loniam Augustus deduxit. Iter uno latere populo debetur pass. XXX. Ager eius in iugeribus veteranis, et tribunis legionariis est assignatus. In hanc urbem iam ab anno V. C. DLVI. Romanorum Colonia fuerat deducta, sed instar Neapolitanae civitatis suis antiquis legibus, ut se regeret, obtinuit. Livius lib. XXXII. c. 6 quasdam Colonias fuisse deductas narrat in oras Campaniae maritimas, quo tricenas familias in singulas Colonias mitti iussum est. Triumviri hisce deducendis creati fuere M. Servilius Geminus, Q. Minutius Thermus, et T. Sempronius Longus. Hanc deductionem Velleius lib. 1. c. 14 haud certam credit. Inde opidum temporis processu a Romanis proceribus auctum ornatumque fuit, ipsumque *pusillam Romam* appellari placuit, ut constat e Tullio ad Attic. lib. V. ep. 2 *Habuimus in Cumano quasi pusillam Romam: tanta erat in his locis multitudo!* Hinc etiam a Strabone lib. V. Geogr. *maximum emporium* salutatur, et Pompeius Festus de Verb. Sign. lit. M. sic scribit: *Minorem Delum Puteolos esse dixerunt, quod Delos aliquando maximum emporium totius orbis fuerit, cui successit postea Puteolanum.*

Haec urbs temporis progressu etiam Municipium evasit, ut constat e Tullio Orat. pro Coelio c. 5 sic scribente: *Nam quod est obiectum Municipibus adolescentem non esse probatum tuis, nemini unquam praesenti Puteolani maiorem honorem habuerunt.* Puteolani vero senatus ita facit inter alios mentionem Tacitus Annal. lib. XIII. c. 48 *Iisdem consulibus auditae Puteolanorum legationes, quas diversa ordo, plebesque ad senatum miserant: illi vim multitudinis, hi magistratuum, et primi cuiusque avaritiam increpantes. Cumque seditio ad saxa, et minas ignium progressa, necem, et arma proiiceret Caius Cassius adhibendo remedio delectus, quia severitatem eius non tolerabant, precante ipso, ad Scribonios fratres ea cura transferiur, data cohorte praetoria, cuius terrore, et paucorum supplicio rediit opidanis concordia.* Vbi videsis per haec

Municipium.

auctoris verba in hac urbe senatorium fuisse ordinem a plebe distinctum. Sunt etiam qui praefecturam fuisse arbitrantur, uti prodit Pompeius Festus. Illud interim pro explorato habemus, hanc urbem sitam fuisse loco terrarum pulcherrimo, et Romanorum nobilium frequentia celebrem, eximiamque evasisse. Tanta enim illorum procerum aedificiorum fuit ibi frequentia, ut eo tempore ditissimae, pulcherrimae, frequentissimaeque urbis nomine gauderet. Hinc mirum haud est, si a Cicerone ad Attic. lib. XIV. ep. 16 *Regna Puteolana* loca isthaec fuerint appellata sic scribente: *Ipse autem eo die in Paeti nostri tyrotarichum imminebam: perpaucis diebus in Pompeianum: post in haec Puteolana, et Cumana regna renavigavero. O loca caeteroqui valde expetenda, interpellantium autem multitudine pene fugienda!* Eo autem crevit huiusce urbis luxus, et domorum, et villarum frequentia, ut Romani illam prae ceteris omnibus unam adamarint, sumptusque maximos in aedificiis consumpserint.

Moenia fortissima.

Vrbs insuper munitissima habuit moenia, et turres, quae ad oppugnationem validissimae fuere, quam urbem Hannibal haud vi capere potuit. Hinc Livius lib. XXIV. c. 12 haec narrat: *Hannibal ad lacum Avernum (per speciem sacrificandi; reipsa ut tentaret Puteolos, quodque ibi praesidio erant) descendit.* Et paulo post subiungit: *Sacro inde perpatrato, ad quod venerat, et dum ibi moratur, pervastato agro Cumano usque ad Miseni promontorium, Puteolos repente agmen convertit, ad opprimendum Romanum praesidium . . . . Triduum ibi moratus Poenus, ab omni parte tentato praesidio. Deinde ut nihil procedebat, ad populandum agrum Neapolitanum magis ira, quam potiundae urbis spe processit.*

Vrbis moenia iam vetustate collabentia, et Herculeam portam refecisse Traianum Imperatorem posteriori tempore constat ex antiquis inscriptionibus. Vias etiam a Septimio Severo, et Antonino Pio legimus restaura-

tas, ut colligi potest ex aliis lapidibus a Capacio adductis lib. II. c. 24.

Sunt vero qui scribunt, Puteolanos habuisse eosdem magistratus, et cultum, ac Neapolitanos, et Cumanos, cum eiusdem essent originis. Hebonem etiam Puteolani coluere deum, quem Neapolitani eodem prosequebantur studio. Ibi insuper Consulis, atque Demarchi (1) mentio occurrit, ac fieri potuit, ut quo tempore Puteolos Colonia fuit deducta, Archontes desierint, et Consules cum Demarcho administrarint. Quin ad hanc usque aetatem Puteoli Graeca fuerint urbs, nemo est qui dubitat. Ipsa enim cum Graiae esset originis, et Cumanorum navale opidum, subsecutis temporibus, Romani longum post tempus urbis delectatione capti, ibi suas figendas sedes statuere. Hinc sensim urbs Romana effecta, relicto Graio idiomate, mutatis moribus, et magistratibus. Hanc rem evenisse post secundum Punicum bellum scribunt nonnulli.

Atque haec satis quoad Puteolorum spectat originem.

---

(1) Demarchi, Δήμαρχοι Athenis veniebant illi magistratus, qui singulis *pagis*, Δῆμοις praeerant. Sigonius de Rep. Athen. lib. 1. c. 2 sic docet: *Populos iampridem appello, quos illi δῆμους vocarunt; quos si rei rationem attendamus, vicos appellare non incommode fortasse possimus. Demarchi apud Latinos nomine venit, pagorum magister, ille scilicet, qui in pagis ius reddebat.*

CAPUT II.

D. Pauli Apostoli Puteolos adventus: de antiquis urbis Templis. De Petri Toletani villa, de hortis Cluvii, et Lentuli.

In hanc urbem D. Paulum gentium doctorem Evangelicam Christi Religionem introduxisse certum est. Ex Actibus Apostolorum c. 28 v. 13 ipsum in hanc urbem venisse narratur; Καὶ μετὰ μίαν ἡμέραν ἐπιγενομένου νότου, δευτεραῖοι ἤλθομεν εἰς Ποτιόλους: *et post diem unum superveniente austro, secunda die venimus Puteolos.* Ibi Christi fidem praedicasse, et primum Episcopum D. Patrobam ex LXXII. Discipulis unum constituisse creditur. Hunc fuisse illum ipsum videtur, cuius meminit idem Paulus epist. ad Rom. c. 16 v. 14 Eum fuisse Puteolorum primum Praesulem ex constanti huius urbis antiquissima traditione constat. Vghellius de Episc. Neap. eiusdem meminit. Confersis etiam, quae prodit doctissimus Baronius Martyrol. die IV. Nov. et Annal. Eccles. anno LVI.

Everso vero Romanorum Imperio, Italia misere saeviterque a barbaris nationibus occupata, et devastata fuit a Vandalis, Gothis, Saracenis, aliisque efferatis gentibus. Bella, exterae gentes, terraemotus quibus saepe fuit subiectum solum ob vulcanorum subterraneas materias, maris aestuantis tempestates, a quibus identidem submersa fuere aedificia, vulcanorum vicinorum crepitus, atque ipsa vis, et senectus Puteolos eo adduxit, ut de antiqua Romanorum magnificentia, et maiestate vix rudera cum lacrymis ad seros supererint nepotes. Humanae vices quam multa immutant!

Augusti templum.

Hodiedum Cathedralis Ecclesia, Augusto olim dicatum sub Iovis nomine vetus templum fuit opere Corinthio; adhuc legitur haec epigraphes:

L . CALPURNIO . L . F . TEMPLUM . AUGUSTO .
CUM . ORNAMENTIS . D . D .

Sub porticu alius lapis eruderatus, ex quo L. Cocceium templi architectum fuisse colligitur.

Serapidis templum adsurgit haud procul a litore ad urbis septentrionem. Ipsum eruderatum fuit anno MDCCL. ex terrae aggestionibus regnante Carolo III. Borbonio, dum usque ad id tempus oppletum fuit. Nihil eo nobilius excogitari potest quoad magnificentiam, et architecturam. Eius forma exhibet perfectum parallelogramma. Iuxta quosdam eius longitudo est palmos Neapolitanos CCL. latitudo CC. Templum hoc columnis exornatum magnum habet atrium, circa quod sunt perplures camerae in ordinem dispositae: in medio exsurgit ara columnis quoque ornata, quarum tres extant adhucdum ordine Corinthio. Ante aram fuere reperti quidam ex aere annuli, ad quos victimae ad sacra facienda destinatae vinciebantur. Adytum, sive aedes est in ima parte, ubi numinis simulacrum olim adsurgebat. Totum hoc templum pretiosis marmoribus convestitum adspicitur, aeque ac pavimentum (1), cuius magna pars restat in praesentiarum. Serapidis templum.

---

(1) Iuvat heic adnotare, supra huius templi pavimentum albo marmore stratum nunc temporis aquam scaturire ex parte, qua ortum respicit. Crediderim eandem aquam vel e vicina Sulphuraria, vel ex aliis vicinis locis per subterraneos meatus scaturiginem habere. Adhaec in eiusdem aedis vicinitate adsurgit hodiedum mephitica exhalatio.

Haec olim aqua medicinalis, et mephitica exhalatio (quarum partem paucis abhinc annis Illustrissimus huius urbis Episcopus Carolus Maria Rosinius in quibusdam cubiculis nuper excitatis aegrorum advenientium commodo heic collegit) olim eidem templo erat necessaria, ut plumbei tubi in aliquibus templi cameris facile commonstrant; nunc aqua isthaec, et mephitica exhalatio penitus deperdita, et aqua praesertim e terrae visceribus emanans, super templi pavimentum perpetuo undique restat.

*

Mirum interim, atque observatu dignum est, tres dictas columnas fuisse quondam perforatas a parvis propinqui maris pisciculis, qui audiuntur *Mytili Lithophagi*, ac *Pholades*, vulgo *dattili marini*. Per haec vicina loca quondam maris superficiem altiorem per longam aetatem, et temporis processu depressam fuisse ad unum omnes patrii narrant scriptores. Notatu heic dignum arbitror, hosce memoratos pisciculos ex ipso mari saepe exire, atque in vicinum littus sedem figere, lapidesque praesertim durissimos penetrare: ad quam rem demonstrandam possem heic Caietae littus meminisse, ubi vicinus mons durissima licet e silice a natura comparatus adspicitur, in cuius superiori parte idem adservatur phoenomenum.

Hoc templum habuisse atrium magnis ornatum columnis supra indicavimus, circa quod plures aderant camerae exornatae. Quidam falso fuisse sacerdotum has domos, alii ad alium inservisse usum perhibent. Probabilius est, easdem erectas ad excipiendos quibuscunque malis aegros affectos, qui huc conveniebant, ibique permanebant, donec a numine inspirati valetudinem recuperarent. Praeter haec templum habuisse aquas thermales, et balnea ad aegrotis sanitatem restituendam constat, uti ex ipsa cubiculorum structura eiusdem templi videre licet, et ex plumbeis etiam cuniculis repertis, ut paulo ante adnotavimus. Adhaec hunc deum Serapidem sub variis formis, atque figuris ab Ægyptiis repraesentatum fuisse liquet (qui Puteolos, aliaque in opida ipsius cultum invexere) vel Ammonis, Osiridis, Isidis, aut Iovis. Ipsum vero veteres veluti morborum omnium depulsorem sunt venerati, ut ex variis lapidibus a Grutero pag. XXII. probatur. Hinc Serapidis nomen a Graeco descendit Θεραπευω *sanitatem restituo*. Verum ex quibusdam liquet scriptoribus, hunc deum saepe fuisse pro Esculapio acceptum medicinae numine. Ex his aliisque rebus satis elucet, supradictas cameras, quarum pars in eo templo Puteolano restat, ad nullum alium inservisse usum, quam ad infirmos excipiendos. Ad hoc etiam confirman-

dum possem heic et aliorum Serapidis templorum alibi, et praecipue apud Canopum in Ægypto, et Esculapii apud Pergamum structuram afferre, quae profecto eiusdem erat formae, nempe cum cameris circum atrium, ubi aegri commorabantur, ut salus illis esset restituta pro temporis opportunitate.

Cum vero fuit effossum Puteolanum templum, reperti fuere quidam lapides hoc modo: *Dusari sangrum.* Sunt qui putant eosdem eruderatos in ipso templo, ex quibus certe arguendum esset, hoc fuisse Serapidi dicatum. Ad quod primo dicendum hanc epigraphen marmore sculptam differre ab aliis marmoribus, quae in Serapidis restant templo; ac inde haud ad idem pertinere templum. Adhaec sunt qui arbitrantur, hanc ipsam alio loco repertam, sed haud procul a descripto templo. Quid ergo hoc *Dusari sangrum?* Plures quondam Puteolos coelo, et religione ipsa discrepantes gentes adventasse ab historiographis perhibetur, uti praesertim illae quae ex longinquis adventabant regionibus, ut nempe ex Arabia, Syria, Phoenicia, et ex Ægypto, quae, pro suo unaquaeque studio, deos ipsos prosequebantur, eaeque diis aediculas, arasque Puteolis aedificarunt. Hoc ergo Arabum numen iuxta Bochartum Bacchum, vel Solem significasse, ac inde deum veluti ipsosmet coluisse constat. Idem Bochartus hunc Dusarem, vel Dysarem asserit, qui *dominum libertatis* significat, vel *expressionis uvarum*, vel *convivii* Bacchum fuisse ab Arabibus, et praecipue a Palaestinis populis adoratum. Arabes vero, et Palaestini negotiatores Puteolis commorantes hunc patrium deum huc adsportarunt. Doctissimus Seldenus De Diis Syris Syntagm. 2 4 hunc Dusarem Arabibus corrupte dictum *Diapharem* fuisse ait, ut est apud Tertullianum Apologet. c. 24. Hinc scribit laudatus auctor non solum Bacchum hac quadrangulari saxi specie cultum, verum etiam Venerem, et Martem apud orientales vetustissimo olim tempore honore prosecutos.

Hoc vetustissimum, et nobilissimum urbis templum,

civium, et exterorum advenientium commodo ad mare positum conlapsum fuit profecto ex terraemotibus, bellis Barbarorum assiduis, aliisque causis. Et re sane vera Novi Montis eruptio, et huius soli motus terrae hanc magnificentissimam molem everterunt. Adhaec in hanc urbem Barbarorum, et diversarum gentium adventus, a quibus aedificia cuncta saepe igne ferroque sunt destructa, causa procul dubio fuere, ob quam cuncta deperdita sunt, et praesertim hoc templum. His omnibus addendae primorum Christianorum Imperatorum persecutiones, qui deorum fana igne concremarunt; et praeter alia Serapidis templa ubique terrarum vel incensa, vel derelicta, vel a fundamentis eversa. Hoc praeterea templum terrae aggestionibus repletum crediderim: ipso enim derelicto, et urbe saepe incensa, aquarum inundationes vicinam terram adeo e propinquis montibus abraserunt, ut propiora fano loca penitus oppleverint, et mare totam litoris partem repleverit, templumque ipsum cum adiacentibus terris fuerit oppletum. Plura si cupis de Serapidis Puteolano templo, adisis Cl. Iorium in opere, quod inscripsit, Monumenti inediti di Antichità etc. Napoli 1820.

Petri Toletani villa.

Prope descriptum Serapidis templum fuit olim Petri Toletani Neapolitanorum Proregis villa, quam ille excitavit in loco, qui nunc dicitur *la Malva*. Heic enim hortos ipse habuit amoenissimos, et domum satis commodam aedificatam anno MDXL. quae ad mare usque extendebatur, quamque idem condidit, quo Puteolani post Novi Montis eruptionem anni MDXXXVIII. in urbem rursus redirent perterrefacti, ut ex hac patet inscriptione:

PETRUS . TOLEDUS . MARCHIO . VILLAE . FRANCHAE
CAROLI . V . IMPERAT
IN . REGNO . NEAPOLITANO . VICARIUS . UT
PUTEOLANOS . OB . REGENTEM
AGRI . CONFLAGRATIONEM . PALANTES . AD
PRISTINAS . SEDES . REVOCARET
HORTOS . PORTICUS . ET . FONTES . MARMOREOS
EX . SPOLIIS

QUAE . GARSIAS . FILIUS . PARTA . VICTORIA
AFRICANA . REPORTAVERAT
OCIO . GENIOQUE . DICAVIT . AC . ANTIQUORUM
RESTAURATO
PURGATOQUE . DUCTU . AQUAS . SITIENTIBUS
CIVIBUS . SUA . IMPENSA
RESTITUIT . ANNO . A . PARTU . VIRGINIS . MDXL

Post tot annos ea villa, atque horti fuere derelicti: nunc ad hodiernae urbis defensionem, et praesidium in hac Toletana aede semiruta, et in arcem redacta milites commorantur. In hisce hortis reperta fuit anno MDCCIV. statua consularis Q. Flavii Maesii Egnatii Lolliani Mavortii, quae nunc adsurgit in foro Puteolano.

Praeter Serapidis Templum fuisse alia aliis diis erecta compertum habemus. Memoratur illud Neptuni, cuius rudera supersunt adhuc in loco, qui dicitur *la Starza* supra mare, et prope arcum triumphalem Antonini Pii haud procul a via Domitiana. Huiusce Templi meminit Tullius Quaest. Academ. lib. IV. c. 25 his verbis: *O praeclarum prospectum! Puteolos videmus, et familiarem nostrum Avienum, fortasse in porticu Neptuni ambulantem non videmus.* Extat lapis apud Capacium Hist. Neap. lib. II. c. 1 repertus in huius templi ruinis. Nicolas, Antich. di Napoli, pag. 118 ex quibusdam plumbeis olim repertis tubis ad aquas excipiendas balnea fuisse heic autumat. Verum id contra vulgarem opinionem, et accolarum vetustam traditionem, et scriptorum omnium auctoritatem est. Hoc templum igitur fuit prope mare supra portum Puteolanum. Nunc intercolumnium, et rudera a mari penitus cooperiuntur. Olim supra litus erat aedificatum. Neptuni templum.

Haud longe a Neptuni templo fuisse Cluvii, et Lentuli hortos ex Cicerone habemus lib. XIV. ep. 16 ita scribente ad Atticum: *V. Nonas conscendens ab hortis Cluvianis . . . . . has dedi literas, cum Piliae nostrae villam ad Lucrinum* etc. Ad ipsum Atticum de Lentuli hortis sic scribit lib. V. *Lentulus Puteolis inven-* Horti Cluvii, et Lentuli.

tus est vix in hortis suis se occultans. Quo in loco iidem horti, et quinam hic Cluvius, incertum. Ipsi prope litus fuere, et non procul a Lucrino lacu positi fortasse. De his nulla restat memoria, cum penitus eversi fuerint.

Dianae, aliorumque deorum templa.

Fuit etiam Dianae Templum Puteolis ex statua reperta, quam memorat Capacius loco ante citato, et columnis quibusdam ordine Corinthio. Nympharum Templum supra litus exsurgebat, cuius etiam extant in praesentiarum vestigia, et praesertim ex albo marmore columnae. Huius mentionem facit Philostratus in vita Apollonii. Hoc Templum erat inter Ciceronis Academiam, et Neptuni fanum: hodiedum intercolumnium, et rudera restant in mari. Cl. Iorius testatur aquaeductus partem adhuc extare, et huiusce rudera identidem reperiri supra littus, quae aquam in templum ferebant. Videsis citatum auctorem, Guida di Pozzuoli, edit. Neap. 1822 pag. 48 et seqq.

Iunonis Pronubae Templum aliud quondam Puteolis extitit, quod quaedam Petronilla Marci Antonii Augustalis uxor condiderat. Fuit etiam Templum Herculi sacratum; hinc Traianus Imperator huius urbis muros restauravit, unamque ex ipsius portis Herculeam, fortasse ab Herculis aede appellari iussit.

Antequam templorum descriptioni finem imponamus, unum addendum restat. Anno MDCXCIII. stylobates alto marmore fuit reperta, quae nunc in foro Puteolano adsurgit. Supra hunc stylobaten aderat signum Tiberii Caesaris. Ea quadrata est forma, et opere anaglyptico XIV. repraesentat figuras XIV. Asiae nempe Minoris urbes, uti ex singularum patescit nominibus, quae adhuc leguntur. Eas vero XII. motu terrae desedisse scribit Tacitus lib. II. c. 47 Annal. En eius verba: *Eodem anno duodecim celebres Asiae urbes collapsae nocturno motu terrae.* Inter alias urbes Tmolus, Philadelphia, Apollonia, Temnus, aliaeque cecidere. De hoc motu terrae mentionem facit Plinius lib. II. c. 86 Hist. Natur. *Maximus terrae, memoria mortalium, extitit motus Tiberii Caesaris principatu, duodecim urbibus Asiae una nocte prostratis.*

Orosius lib. VII. c. 4 hunc terrae tremorem ad tempus refert, quo Christus Dominus Cruci fuit adfixus. Hunc alium etiam horrendum nonnisi XIV. post annos evenisse per historiam certiores facti sumus, etiam imperante ipso Tiberio. Consulsis eiusdem Taciti scholiastes in hunc locum. Tiberius earundem urbium funestam miseratus catastrophen, rursus eas aedificavit. Puteolanorum igitur respublica ad grati animi erga ipsum Imperatorem significationem, memoriam hanc cum statua conlocavit in medio urbis foro. Vide Bulifonem in Dissertationem, quae legitur in Thesauro Rer. Rom. Graevii, et Gronovii tom. XI.

CAPUT III.

De Portu Puteolano, deque eius Pharo. Describitur Amphitheatrum, uti extat: de S. Ianuario, et Sociis ad bestias damnatis. De lege lata ab Augusto de sedendo in Amphitheatro. De Theatro, de Circo, deque Ciceronis Puteolano. Sepulcreta tandem, et Viae veteres describuntur.

Puteolanus portus adhuc servat nobile antiquitatis monumentum; hic ab exteris nationibus fuit quondam celebratus, atque frequentatus. Puteolanos enim cum Ægyptiis, et praecipue cum Alexandrinis (1) commercium

(1) Ad tanti honoris memoriam ea in urbe extat vetustissimus lapis parieti adfixus cuiusdam domus secus viam non procul ab aedibus Seminarii Puteolani, in quo lapide fit mentio Alexandrinorum, Syriorum, et Asiaticorum mercatorum, qui Puteolos demigrabant, quique fortassis cuidam Lucio Calpurnio Duumviro Coloniae Puteolanae, vel ipsorum mercatorum Patrono statuam ob aliquod praestitum beneficium, vel ob commercium protectum in aliquo urbis loco dedicarunt: *L. Calpurnio. L. F.C. Calpurnio. L.F. Capitolino. Mercatores. qui. Alexandr.*

ultro citroque exercuisse compertum est. Haec vero civitas utpote satis apta ad mercaturam, et in opportuno loco sita naves aliarum gentium semper merces exonerantes recipiebat, divitiasque in dies augebat. Hinc Strabo lib. V. Geogr. scribit, hunc portum tam celebrem evasisse, ut ex cunctis partibus huc assidue adventarent exterae gentes. Livius lib. XXIV. c. 12 id etiam significavit de Fabio alloquens; *Ex auctoritate senatus Puteolos per bellum coeptum frequentari emporium communiit.* Et Tullius lib. V. ad Atticum sic scribit: *Cum per emporium Puteolanorum iter facerem.*

Portus, et pilae Puteolanae.

Id vero quod magis Puteolani portus magnificentiam efformabat, erant moles, seu pilae (1) quae vulgo di-

---

Asiai. Siriai. negotian . . . . tur. Ex hoc marmore quisque sibi persuadet, quam magnum commercium cum hisce gentibus tam dissitis fuerit celebratum, et quantum haec urbs magnificentissimum evaserit emporium. Hinc leges hanc ob rem sanctissimae latae fuere ad tantam diversarum gentium frequentiam continendam.

Praeter hoc monumentum extant duae epistolae Graeco conscriptae idiomate, et Puteolis olim prope Ecclesiam S. Euphemiae repertae, quae de commercio inter Tyrios, et Phoenicios mentionem faciunt. De iis epistolis occurrit mentio apud plures scriptores, et praecipue apud Gruterum in Thesauro pag. MCV. Martorellius Colon. pag. 329 et seqq. Lasena Gymnas. Neap. Spanhemius in Orbe Rom. c. 11 aliique easdem epistolas marmore sculptas memorant. Hae quidem conscriptae videntur anno circiter post natum Christum CLXXIV. imperante Marco Aurelio, quo tempore commercium hoc inter Puteolanos, et Phoenicios maxime vigebat.

(1) Hasce pilas, seu substructiones non solum Puteolis, verum etiam aliis huiusce maris locis fuisse constat. Puteolanae pilae fortasse aliis magnificentiores fuere: at haud sunt praetereundae illae, quae adhuc sub undis visuntur prope Nesidem insulam, Miseni portum, et Iulium, ubi adhucdum dicuntur *Saxa famosa*, seu vulgo *le Fumose.* Hae moles procul dubio fuere satis magnificae Romanorum aevo, sed probabile est, easdem multo ante aedificatas fuisse, et a Graecis ipsis, non vero a Romanis, qui easdem temporis progressu restaurarunt.

cuntur : *il molo di Pozzuoli.* Ex his restant nonnullae, quae ad navium stationem erant constructae. In his erant annuli ex aere , ad quos rudentibus naves alligabantur. Strabo easdem memorat lib. V. et Seneca , qui scribit epist. LXXVII. *Hodie nobis naves Alexandrinae apparuerunt , quae praemitti solent , et nuntiare secuturae classis adventum ; tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniae adspectus est. Omnis in pilis Puteolorum turba consistit.* Quidam putant hasce pilas XX. alios potius XXV. fuisse , ut ex marmore reperto patet.

Supra extremam pilam ex opere lateritio adsurgebat olim Pharus Puteolana instar Alexandrinae , cuius meminit Plinius Hist. Natur. lib. XXXVI. c. 12 hoc modo : *Vsus eius nocturno navium cursui ignes ostendere , ad praenuntianda vada , portusque introitum: quales iam compluribus locis flagrant , ut Puteolis, ac Ravennae.* Ex lapide reperto anno MDCLXXVII. compertum habemus , easdem Puteolanas moles vi maris olim excisas , et confractas restauratas esse ab Antonino Imperatore , ut legitur in pulcherrimo lapide supra portam Puteolanam novam. Ob tanti beneficii memoriam Puteolani cives eidem Imperatori triumphalem arcum erexerunt, uti narrat Capitolinus in eius vita :

Antiquissimo aevo tot gentes , et urbes supra hoc litus extitere , quarum urbium incolae commercium cum vicinis , dissitisque populis exercuerunt : hinc ea de causa hasce moles passim in Puteolano erexerunt Cratere , quo commodius commercium haberent , et ut advenientes ad haec loca tutius super litus descenderent.

*

IMP . CAESARI . DIVI . HADRIANI . FIL
DIVI . TRAIANI
PARTHICI . NEPOS . DIVI . NERVAE
PRONEPOS . T . AELIUS
HADRIANUS . ANTONINUS . AUG . PIUS . PONTIF
MAX . TRIB . POT . II .
COS . II . DESIGN . III . P . P . OPUS
PILARUM . VI . MARIS
CONLAPSUM . A . DIVO . PATRE . SUO
PROMISSUM . RESTITUIT .

Ob eandem etiam rationem Puteolani ob restauratas hasce pilas, hunc arcum triumphalem prope portum erexerunt. Huiusce bases hodiedum restant inter Ecclesiam S. Francisci, et SS. Mariae Virginis Adnunciatae supra litus. In eo loco fuit olim vectigalium ingressus ad urbem ex mari provenientium.

Falsum vero est easdem pilas fuisse a Caligula Imperatore constructas: hic enim contabulavit navibus totum mare, quod a Puteolis Baulos extenditur. Easdem nunc temporis falso incolae appellant *i Ponti di Caligola*. Ex Suetonio in eius vita c. 19 ediscimus, illum Xerxem imitatum fuisse, qui Hellespontum olim contabulavit, quo ex Asia in Europam traiiceret. Medium autem spatium colligavit Baulos inter (ut ex Dione lib. XL. accipimus, sed ex Suetonio inter Baias). En biographi verba: *Nam Baiarum medium intervallum Puteolanas ad moles trium millium, et sexcentorum fere passuum ponte coniunxit, contractis undique navibus onerariis, et ordine duplici ad anchoras collocatis, superiectoque aggere terreno, ac directo in Appiae viae formam. Per hunc pontem ultro citroque commeavit biduo continenti. Primo die phalerato equo, insignisque quercica corona, et securi, et cetra, et gladio, aureaque chlamyde. Postridie quadrigario habitu, curriculoque biiugi famosorum equorum, praeseferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus: comitante praetorianorum agmine,*

et in essedis cohorte amicorum. Huiusce portus meminit etiam Iosephus Antiqq. Iudaic. lib. XIX. c. 1 et Xiphilinus C. Calig. c. 4. Ob tot onerarias naves a Caligula contractas, annona sic neglecta est; ut populus propemodum fame periret. Hinc Seneca de Brevit. Vitae c. 18 sic scribit: *Dum ille* (Caligula) *pontes navibus iungit, et viribus imperii ludit, aderat ultimum malorum obsessis quoque, alimentorum egestas. Exitio pene, ac fame constitit etc.* Neptuno vero sacrificasse, antequam pontem triumphans ingrederetur ex Dione loco ante citato accipimus; supra pontem varia diversoria statuit ad advenientium commoditatem.

Vnum tandem addendum restat de Puteolano sinu, fuisse ipsum primitus dictum ab Aristotele de Mirabil. et a Strabone lib. V. Geog. Κυμαῖον κόλπον, *Sinum Cumanum*, et a Mela lib. 2 c. 4 *Puteolanum sinum*, et ab aliis *Craterem Puteolanum* ab eius rotunda forma.

In hac urbe perplura artis opera extitere. Amphitheatrum primum occurrit, quod olim intra urbem fuisse creditur; nunc extra novam urbem iuxta S. Iacobi templum: hoc vulgo ab indigenis dictitatur *le Carceri di S. Gennaro*, aut *il Coliseo.* Illud non parum distat a Campani Amphitheatri maiestate, quamvis illud prae hoc latius atque magnificentius fuit. Amphitheatri Puteolani arena, quae nunc hortus est, pedes habet CLXXII. longitudine, et LXXXVIII. latitudine, eaque est amplior Campana. Porticus interne integer adhuc restat, necnon et διαζώματα, seu praecinctiones, vomitoria, et scalaria visuntur, quamvis terrae aggestionibus opplentur. Amphitheatrum

Vrbs Puteoli prae antiqua Capua minor fuit, et tamen in ea tot aedificia, et publica, et privata fuere, et ipsum magnificum Amphitheatrum, de quo diximus. Puteolis vero et plura publica, et magnifica opera extitere, sed minora; nam prope Campanum prae ceteris fuit Catabolum, de quo videsis quae diximus lib. I. c. 5. Vtrum vero illud Puteolis extiterit, adhuc sub iudice lis est. Ad nostram usque aetatem nulla huiusce aedi-

ficii pervenit memoria. Crediderim igitur Catabolum fuisse procul ab ipso Amphitheatro, ut Capuae, ubi per subterraneum meatum feris iter esset, cum in Amphitheatrum ducerentur, quo tempore populo spectacula edebantur, eaeque nonnisi caute pervenirent. Nec vero nostrates scriptores audiendi, qui in ipso Amphitheatro feras mansisse arbitrantur. De antiquo igitur Puteolano Catabolo nulla ad nos pervenit memoria.

S. Ianuarius, et Soci ad bestias damnati

In hoc Amphitheatro ad feras pro Christiani nominis fide damnatus fuit Timothei (1) Campaniae Praesidis iussu D. Ianuarius Beneventanus Episcopus cum Sociis, uti constat ex Actis sinceris Bononiensibus (2), ibique ferae crudelitatis oblitae ad illorum pedes se proiecere: ad quod mirum quinque millia hominum Christi fide sunt imbuti, et tandem Praesidis eiusdem iussu capite plexi sunt in Foro Vulcani (3).

Hoc insuper aedificium tam grande fuit, ut ibi hominum frequentia quam magna ad sedendum commode conveniret. Hinc Carletus in opere quod inscripsit, *la Regione Brugiata*, nota LXXV. asserit hoc XXV. millia, et amplius hominum recepisse, dum istud aliis minus, et inferius pauciores continere debuit. Nam Cam-

---

(1) In Actis sinceris Bononiensibus per Cl. Mazochium productis Proconsul Dracontius nominatur, non vero Timotheus, ut habent Romani Breviarii Lectiones, et Bedae Martyrologium. Laudatus vero Mazochius nunquam Graecum aliquem Timotheum nomine in Martyrum horum gestis extitisse probat, sed hunc potius Dracontium, qui pluries occurrit in nonnullis Martyrum Actis. Videsis Cl. laudatum auctorem loco supra citato pag. 89 et in Kalend. Neap. pag. 272.

(2) En ut ex Actis sic colligitur: *Alia vero die secundum iussum Iudicis paratur arena in civitate Puteolana, adducuntur Sancti ad amphitheatrum.*

(3) Hic locus ex Actis sic enunciatur: *Interea Sancti dum pervenissent ad locum, ubi decollandi erant, idest a Sulphurataria.* Hunc locum indigenae nunc appellant *la Solfàtaja*: vide infra quid sibi vult hoc vocabulum.

panum, et praesertim Romanum, et Veronense quod prae ceteris maximum habetur iuxta laudatum auctorem, cum spectacula edebantur, XC. mille homines circiter excipiebat.

Ad tantam igitur diversarum nationum frequentiam amplectendam plures ab Imperatoribus leges huc spectantes latae fuere; et Puteolis praecipue (nam ibi licentia, et haud recti mores vigebant) Augustus prout ex Tranquillo est in eius vita c.44 ad sedendum legem tulit, in Amphitheatro, et ad mores corrigendos castigandosque: ex ipso vero auctore compertum est, senatorem quendam in Amphitheatro Puteolano male exceptum fuisse. Hoc igitur adeo ludis celebre evasit, ut e longinquis regionibus huc gentes, et praecipue Viri principes, et Reges ipsi ad visendum advenirent. Hinc Dio lib. XXXVI. Tiridatem Armeniae Regem tradit advenientem in Italiam, in Puteolano Amphitheatro fuisse adeo hisce delectatum, ut praesente Nerone, quasdam lancea bestias petierit, coronaque fuerit plaudente frequentissimo populo donatus. De huius adventu in urbem Romam, atque spectaculis magnificentissimis editis agit etiam Tranquillus in Nerone c. 13.

Supra diximus in hoc Amphitheatro D. Ianuarium cum Sociis ad bestias damnatum. Hunc autem Christianae fidei Athletam antequam ad arenam descenderet, inclusum in carcerem subterraneum in ipsius Amphitheatri caveis fama est. Hodiedum restat adhuc ipse, qui plurimis abhinc annis in Ædiculam eidem Martyri dicatam fuit conversus a Marchesio Puteolano Episcopo.

De hoc Amphitheatro dicendum superest, hoc nunc penitus ruinosum totumque sub immensis ipsis ruderum ruinis esse, nihilque aliud superesse, quam interiorem porticuum partem opere lateritio. Hoc vero non tam magnificum, quam Campanum fuit: nam (ut diximus c. 5 lib. 1.) illud ipsum fuit tam magnum, et nobile, ut terno porticuum ordine fuerit extructum, et satis amplum, atque Puteolano splendidius, cum idem a Cam-

pana Colonia fuerit excitatum (ut demonstravimus) quae ditissima profecto fuit. Puteolanum angustius fuit, et uno, vel altero porticuum ordine dispositum, quamvis hoc Campano maius, quod hodiedum etiam manet quasi integrum.

Prope etiam S. Iacobi Ecclesiam visuntur adhuc magna fabricae rudera, ibique magna extat piscina, quae paucum differt ab ea, quae Baulis est. In illa igitur parte, in qua et Amphitheatrum, et plura alia antiqua manent aedificia penitus ruinosa, extendebatur vetus opidum, quod quondam iuxta Strabonem super collis supercilium aderat ad mare septentrionem spectans. In hoc loco, et passim per vicinos agros hodiedum restant tot immensae aedificiorum ruinae, templa, domus, ut haud sine lacrymis admirari quisque possit. Ibi tot Romanorum villae, tot illorum divitum aedes, qui heic ad rusticandum turmatim confluebant variis anni temporibus, et ubi loci salubritate, et amoenitate fruebantur. Quot choreae, cantus, plausus, quot festa in hac urbe tam divite non edebantur! ibi igitur tot ludos cum in Amphitheatro, tum in Theatro, et in Circo habitos, et Regum praesentia celebratos constat. Hinc dubio procul ipsimet hanc urbem expetebant, quo huius amoeni maris vicinitate fruerentur. Ea enim Inferum, Superumque mare, tot insulas, tot colles peramoenos, Baias, Misenum, Cumas, aliasque urbes in ridenti sinu cum piscosis lacubus positas prospectabat. Iure meritoque ille eloquentiae pater Tullius heic villam sumptuosissimam *Academiam* dictam possedit; viros sapientissimos ex urbe, aliisque locis arcessivit; ibique tandem *Quaestiones* elucubravit. Vide igitur ad quem magnificentiae statum ea urbs pervenerit, quae maximos Romanae reipublicae viros exceperit!

Theatrum. Haec insuper non solum ludis amphitheatralibus, verum etiam scenicis, et circensibus fruebatur. Ipsa enim utpote in deliciosissimo Campaniae angulo sita, et prope amoenissimum litus, et coeli clementia, fortunaeque

indulgentia semper utente, cives otio, vitaeque illecebris vacabant: unde mirum haud, si magnificum in ipsa descriptum Amphitheatrum cives erigendum curarint, et Theatrum quoque nobilissimum, in quo scenici ludi saepissime edebantur. Hoc fuit, ubi olim erant Heronymi Columnae horti, et illud terraemotibus desedit, longaque vetustate senescens. In eius ruinis hoc fuit repertum marmor: GENIO . THEATRI . AUGUSTI. Praeter hoc theatrum intectum, fuit aliud tectum a Graecis Ὠδεῖον dictum. Hoc extitisse ait Cl. Iorius, Guida di Pozz. pag. 66 e regione Neptuni templi, seu Thermis, in quo loco adhuc plura supersunt rudera.

Puteolani Theatri mentionem facit Aulus Gellius lib. XVIII. c. 5 narrans quendam Antonium Iulianum Rhetorem in Theatro Ennii poetae VII. Annalium librum populo coram legisse. Hinc scribit citatus auctor. *Cum Antonio Iuliano Rhetore, viro hercle bono, et facundiae florentis, complures adolescentes familiares eius Puteolis . . . . voce admodum scita, et canora Ennii annales legere ad populum in Theatro.*

Et quoniam huc sermo nos deduxit, iuvat heic eruditùm advertere lectorem, apud Graecos usuvenisse, ut in Theatro varia peragerentur. Nam hoc non ludis tantum scenicis inservisse scimus, verum aliis etiam rebus, quae ad rempublicam spectarent. In Theatro enim mos fuit populo conciones habere, item de reorum suppliciis statuere, aliisque rebus magni momenti. Hinc ex Frontino lib. III. Stratag. ediscimus, *Alcibiadem in Theatro disseruisse, ubi ex Graecorum more locus consultationis praebebatur.* Cui respondet Taciti auctoritas Hist. lib. II. c. 80 de Vespasiano sermonem ita facientis: *Tum Antiochensium Theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est, concurrentes, et in adulationem effusos alloquitur.* Et Iustinus lib. XXII. c. 2. de Agathocle Siciliae tyranno haec scribit: *Agathocles velut reipublicae statum formaturus, populum in Theatrum ad concionem vocari iubet.* Celebre est illud facinus,

quod narrat S. Lucas Actor Apost. c. 19. Dum enim D. Paulus Christi fidem apud Ephesios introducere conatur, Demetrius quidam argentarius Dianae Ephesinae ποιῶν ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος, *faciens aedes argenteas Dianae*, commovit totam civitatem. Hic in Theatrum currit, populum pro concione habet, magnam esse Dianam Ephesinam, et antiquam religionem iam iam evertendam, nisi statim Paulum ex urbe eiecirint. Hic tumultus videtur maxime in Theatro fuisse, uti ex his D. Lucae patet verbis; Καὶ ἐπλήσθη ἡ πόλις ὅλη συγχύσεως. ὥρμησαν τε ὁμοθυμαδὸν εἰς τὸ θέατρον συναρπάσαντες Γάϊον, καὶ Ἀρίσταρχον Μακεδόνας συνεκδήμους τοῦ Παύλου: *Et impleta est civitas tota confusione, irrueruntque unanimiter in theatrum, corripientem Caium, et Aristarchum Macedonas, comites Pauli.*

In Theatris etiam suppliciis homines animadvertebantur. Occurrunt passim exempla cum de Graecis, tum de Romanis Theatris. In Actis Martyrum saepe legitur, Christianos athletas variis in Theatris suppliciorum generibus fuisse punitos, ut S. Ignatium Martyrem, Sanctam Perpetuam, et Felicitatem, aliosque. Suetonius vero in Aug. c. 45 narrat histrionem Stephanionem togarium in Theatro per trina Theatra virgis caesum, et postea relegatum.

Ciceronis Puteolanum.

Ad Puteolorum qua vergit occidentem, cuiusdam vetusti aedificii supra litus restant adhuc rudera, quod M. Tullii Ciceronis villam fuisse arbitrantur quidam patrii scriptores, quam villam ipse *Academiam* vocitabat. Re sane vera Plinius Hist. Natur. lib. XXXI. c. 2 illius describens situm, haec ait: *Digna memoratu villa est ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita litori, celebrata porticu, ac nemore, quam et vocabat M. Cicero Academiam ab exemplo Athenarum (ibi compositis voluminibus eiusdem nominis) in qua et monumenta sibi instauraverat, ceu vero non est in toto terrarum orbe, fecisset. Huius in parte prima, exiguo post obitum illius, Antistio Vetere possidente, e-*

ruperunt fontes calidi, perquam salubres oculis, celebrati carmine Laureae Tullii, qui fuit e libertis eius, ut protinus noscatur etiam ministerium haustus ex illa ingenii maiestate. Ponam enim ipsum carmen dignum ubique, et non ibi legi.

Quo tua, Romane vindex clarissima linguae,
Silva loco melius surgere iussa viret;
Atque Academiae celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub meliore Vetus.
Hinc etiam apparent lymphae non ante repertae,
Languida, quae infuso lumina rore levant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope.
Vt quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis quae medeantur, aquae.

Haec insuper Ciceronis villa celeberrima fuit, et maximum agri Puteolani ornamentum aestimabatur. Heic igitur rusticabatur omnium gentium patronus, nobilissimus Romanae eloquentiae parens, mens Curiae Tullius. Heic illum de Philosophia disserentem Caesar, illum Augustus, illum Consules, ceterique Romanae reipublicae praestantissimi Viri, alterum veluti Latii Platonem audiebant. Hoc in loco, eheu crudele fatum! Nunc *claudit saturas vespere pastor oves*, et pastorum iurgia refert, qui divinis olim eloquentiae vocibus resonabat. Adhuc vero restant plura huius aedificii veneranda vestigia; namque compacti lateres muri partem sustinent; adhuc tandem facile agnosci possunt stylobatae, intercolumnia, et fornicatae molis structura.

Hoc magnum monumentum hactenus descriptum Cl. Iorius, Viaggio di Pozzuoli, Napoli 1822 pag. 87 et seqq. asserit haud fuisse Ciceronis Academiam, sed Puteolanum Circum, vel Gymnasii partem, vel Stadium, ubi ludi pubblici saepissime fiebant; idque arguit ex fabricae structura, et ex aliis ruderibus, quae supersunt,

praesertim gradibus, aliisque rebus, quae hanc fabricam magnificam condecorabant. Locus hic iuxta citatum auctorem adhuc *lo Stajo* vulgo dicitur. Ciceronis vero Academia alio loco ponenda est, et parum ab hoc loco dissita nempe prope mare, et non procul a Nympharum, et Neptuni templis, ut ex ruderibus videre est, uti scribit citatus auctor.

In Circo Puteolano plura spectacula edebant cives: hinc et festa quaedam sub *Pialium* nomine Antonini Pii in honorem fiebant quotannis, quae idem Imperator in Hadriani patris honorem instituerat. Haec igitur festa, vel certamina instituta fuerunt ab Antonino Imperatore in hac urbe, eaque Graecanico salutata fuere vocabulo Εὐσέβεια, vel Εἰσελαστικα. Quaenam ea fuerint, docet nos Vitruvius lib. IX. in prooem. hoc modo: *Nobilibus athletis qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Graecorum maiores ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma, et corona ferant laudes, sed etiam cum revertuntur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia, et in patrias invehantur.* Hinc eam ob rem ludi isti appellati sunt Iselastici ab εἰσελευσις, *ingressus* in aliquam urbem. De iis facit etiam mentionem Plinius lib. X. epist. 125. Extat lapis Puteolis repertus apud Capacium Hist. Neap. lib. II. ubi fit mentio de hisce ludis.

IMP . CAESARI . DIVI . HADRIANI . FIL
DIVI , TRAIANI . PARTHICI . NEP . DIVI . NERVAE
PRONEP . T . AELIO . HADRIANO . ANTONINO . AUG . PIO
PONT . MAX . TRIB . POT . V . IMP . II . COS , III .
P . P . CONSTITUTORI . SACRO . CERTAMINIS . SELASTICI
SOCII . LICTORES . POPULARES . DENUNTIATORES
PUTEOLANI .

Peragebatur etiam Puteolis aliud certamen sub *Buthysiae* nomine Αγὼν Βουθυσιας, *Buthysiae certamen*, nempe bovis immolatio, vel bovicidium. De hoc ludo disseruit Cl. Ignarra de Palaestra Neap.

Spartianus c. 25 Hadrianum narrat Imperatorem, cum esset Baiis, supremum obiisse diem, et in Academia Ciceronis fuisse tumulatum; *Post hoc Hadrianus Baias petiit, Antonino Romae ad imperandum relicto. Vbi cum nihil proficeret, arcessito Antonino, in conspectu eius apud ipsas Baias periit die VI. iduum Iuliarum, invisusque omnibus sepultus est in villa Ciceroniana Puteolis.* Idem auctor c. ultim. subiungit, eundem Imperatorem iuxta eius sepulchrum templum sibi erigendum curasse; *Templum denique ei pro sepulcro apud Puteolos constituit, et quinquennale certamen, et Flamines, et Sodales, et multa alia, quae ad honorem quasi numinis pertinerent.* Idem narrat Aurelius Victor de Caesar. c. 14. Iornandes de Regnor. Success. c. 74, aliique.

Templum Antonino erectum nonnulli illud ipsum esse arbitrantur, quod nunc sub Neptuni salutatur nomine. In eodem vero repertae fuere quaedam Hadriani statuae laurea corona, paludamentis, aliisque imperatoriis signis decoratae. Capacius lib. II. Hist. Neap. c. 2 lapidem refert cum columnis repertum.

Prope Ciceronis villam Cl. Iorius pag. 56 scribit fuisse Iulii portus Pharum ad venientium commodum. Huius fabricae rudera visuntur nunc sub aquis marinis, prope quem locum saepe adservasse idem auctor asserit alias vetustas fabricas sub iisdem aquis positas, quas incolae vocant *le Fumose*, olim dictas *Saxa famosa*. Hoc monumentum fortasse ad vicinum portum pertinuit.

Supra descriptas hactenus aedificiorum ruinas ad occidentem, ubi antiqua urbs adsurgebat, restat adhuc viae Campanae (1) pars: in loco vero, ubi dicitur *S. Vito*,

---

(1) Via Campana, quae fuit Appiae ramus, ita vocatur, quod a Capua incipiebat, et ad Puteolos usque protendebatur. Ea fuit etiam dicta Consularis, quod reipublicae aevo silice quadrato fuit strata. Plinius huius facit mentionem lib. XVIII. c. II

sepulchreta sunt ex utroque viae latere: ea in praesentiarum ab indigenis *Columbaria* dicuntur; semidiruta nunc adservantur, in quibus adsunt symbolicae figurae, et anaglypticae, *a stucco*.

Nihil hac via nobilius, et splendidius; restat heic quasi integra; ex ea parte qua ad antiquam urbis portam itur, cuius pars superest; ibi olim vectigalia Puteolana aderant. Adhuc *Pondera* heic dicuntur ab incolis, quippe quod omnia quae a mari proveniebant, ponderabantur, et vectigal solvebatur. Hoc loco plura restant vetustarum fabricarum rudera, et praesertim tabernarum super litus ad merces servandas. Heic etiam tres viae coniungebantur, Campana scilicet, Antiniana, seu Neapolitana, et Domitiana. Quantam hominum frequentiam diu noctuque viae istae continere quondam debebant! Quot heic merces ex omnibus mundi partibus per hasce in urbem introducebantur? quot gentes coelo differentes ad urbem visendam huc confluebant? et quale magnificum spectaculum via praesertim Campana continere debebat, quae infinita sepulchra ab utroque viae latere habebat! Nunc etiam temporis post tot saecula, et post tot vices etiam advenientibus magnificentiam exhibet via isthaec, quae tot magnifica servat ruinosa monumenta, ut cum Appia viarum regina decertare utique possit.

Hist. Natur. Haec per Leborios campos Puteolos viatorem ducebat. Non procul ab Aversa ramus aderat Campanae viae, qua Atellam erat eundum. Pratillius c. 8 de Via Appia lapidem recitat, ex quo compertum est, Imperatorem Antoninum Pium Campanam restaurasse viam.

CAPUT IV.

Puteoli Barbarorum, necnon coeli, aerisque ludibrium. Hodiernus urbis describitur status; Vulcani Forum, S. Ianuarii Ecclesia, colles, et Fontes Leucogaei, mons Olibanus, Astruni colles, Thermae Puteolanae, lacus Anianus, Scrobs Charonea, et S. Germani Sudatoria.

Iam diximus Puteolos olim urbem fuisse celeberrimam, et nobilissimam. Ea enim utpote ad mare posita, hinc evasit temporis progressu ditissimum et opportunissimum emporium ob maritimum commercium, quod exercuit cum longissimis, et dissitis nationibus. Huiusce vero urbis portus, prout ex Strabone lib. V. Geogr. accipimus, et capite antecedenti probavimus, adeo navibus fuit opportunus, ut tuta atque firma illarum esset statio. Hinc factum, ut non solum propinquae, sed exterae quoque nationes Puteolos quaesierint, atque adamarint. Haec enim urbs primum fuit a Cumanis occupata ex Euboea insula commigrantibus. Pone vero longam aetatem ab aliis capta, Romani rerum domini per plura saecula eandem adepti fuere. Postea Hannibal secundo Punico bello Italia potitus, Puteolos ad opprimendum adpropinquavit, ac Romanum praesidium ad occupandum frustra se convertit. Everso Romanorum Imperio, barbarae nationes in Italiam non semel, sed saepe descenderunt, atque urbes, et provincias populatae fuere. Primum anno CCCCVI. a Gothis Alarico duce, posteaque a Stilicone Arcadii, et Honorii Imperatorum praefecto, Italia iterum occupata, urbibus praecipuis incensis populatisque, Puteoli fatum idem horrendum subiere. Inde Gensericus Vandalorum Rex, ac postmodum Totilas post annum CCCCLV. et Gothi rursus Italiam ingressi, misere urbes depopulantur. Sequiori aevo Langobardi, Saraceni, Normanni, aliique populi ex septentrionalibus exciti caveis, montibusque,

Diversae gentes Puteolis dominantur.

et ex oriente provenientes non una vice, sed pluries Italiam adeo everterunt, ut penitus ab illa florentissima maiestate, in qua usque tunc permanserat, in pessimum adduxerint statum. Campania, utpote terrarum pars praeter omnes florentissima, cunctaeque urbes ultimam ruinam, atque fatum expertae fuere. Infinitum esset singula enarrare, quoties ab illis efferatis perditisque gentibus urbs Puteoli capta, atque cremata. Nam prae ceteris anno MDLIV. Oenobarbus Solimanicae classis praefectus fuit vastatus Inarimen, Prochytamque insulas; Puteolos tunc invictus Prorex Petrus de Toledo prudentia defendit, illamque urbem ex immani Barbarorum clade liberavit. Tandem a diversis aliis ducibus saepe fuit occupata, et populata, quos ne in longum progrediamur, silentio praeterimus.

A Barbarorum manibus erepta millies urbs, coeli, aerisque inclementia pluries horrendum subiit fatum. Anno MCXC. Vulcani Forum tantum igne, lapidibusque conflagravit, ut non solum vicinam incenderit regionem, verum etiam urbes longinquae motu terrae desederint; hinc anno MCCCCXLVIII. reaedificata, idemque consecuta adeo fatum, ut perplures emortui sint sub urbis ruinis. Nihil heic de terrarum motibus anni MDXXXVIII. nihil de illo anni MDCXCVI. quo tempore horrenda pluvia urbem evertit, pluraque aedificia conlapsa.

Super hoc litore plura antiquitatis pretiosa monumenta fuere reperta. Cum enim exaestuat mare, tunc varia lapillorum genera fluctus ubique proiiciunt. Adhaec passim alia reperta argenti, aurique frusta. Variis etiam in locis plures inventae sunt statuae, nummi cum bove humanam faciem praeseferente, inscriptiones, aliaque id generis. Hodiedum Puteolanum solum est penitus ab antiquo (ut ita dicam) statu immutatum propter assiduos motus terrae, et vicinorum vulcanorum conflagrationes; nihilque aliud restat de antiqua urbe, quam immensa passim vetusta aedificiorum non solum publicorum, verum etiam privatorum rudera sub immensis ipsis ruinis,

Antiqua urbs (ut ante diximus) sita fuit supra collem in litoris supercilio ad mare haud procul ab Amphitheatro, ubi nunc temporis tot aedificiorum adsunt reliquiae. Vrbs vero hodierna est condita non longe ab antiqua, eaque tam diversa ab illa, ut ibi potius aerem graveolentem respires ob tot nova aedificia simul conferta in ipso mari aedificata. Magna civium pars piscatoriam exercet artem, aut terrae culturam; ibi tandem omnia immutata, et praecipue ipsorum civium mores, qui potius in barbariem vergunt. Horum ipsa lingua sonat nescio quid Italum-Barbaricum. Adeo natura temporum progressu, et rerum colluvie mortalibus ipsis irridet! Antequam alio progrediamur, Guicciardinium Merc. Camp. pag. 195 de Puteolis, deque vicinis locis ita loquentem audiamus: *Gravis aer, habitatores rari, tuguria potius, quam domus, et inter otium, nulla redimibilis arte, aut industria, marcescens incolarum pauperies. Ludenti naturae hic olim ars insultabat: nunc ablegatis miraculis artis, sibi unae antiqua certamina, nunc feralibus eruptionibus, nunc cinerum aggestibus natura indicere cogitur. Ingentia, quaquaversum cernuntur templorum, thermarum, ac villarum rudera, quae omnia populus quondam orbis dominus, pretiosioribus undequaque advectis oblectamentis, hic veluti in otii, et felicitatis theatrum collocarat. Sed cuncta temporis voracitas, et hominum barbaries attrivit. I nunc et vias silicibus constratas, Lucrinum lacum, Iulii portum, Ciceronis, Virgilii, Hortensii, Marii, Luculli, aliorumque villas perquire. Fato cuncta cessere. Quin litus ipsum vicissitudini haud obnoxium, lamentabiles, et ipse naenias antiquatae felicitati canere videtur.*

Prope Puteolos primum occurrit Vulcani Forum, quod vulgo dicitur *la Solfataja* (1). Mons hic urbi im- Vulcani Forum.

(1) Hic mons ab antiquis vulgo Vulcani Forum dictus: sequiori aevo, et post Romani Imperii lapsum mutato nomine *Sul-*

minet, et campus est undique subterraneis inclusus ignibus, qui passim tamquam e caminis incendium magno fremitu expirant, ut prodit Strabo lib. V. Geog. et Vulcani Forum etiam ab ipso appellatur ἡ τοῦ Ἡφαιστοῦ αγορὰ, idest *Vulcani forum*: nam campus est fori instar, ubi e variis caminis sulphureis exhalat ignis, et campus ipse plenus est θειοῦ συρτοῦ, *sulphure tractili*. Dicti etiam fuere campi Phlaegrei (1) a vicinis campis quod nomen a Graeco descendit Φλεγῶ, *uro*. Hunc montem exarsisse quondam canit Petronius Satyric. c. 120. Silius Italicus lib. XII. v. 133 hunc etiam conflagrasse canit, et terram circumquaque sub pedibus usque tremuisse, et sulphure, aliisque materiis vulcanicis solum plenum esse:

Tradunt Herculea prostratos mole gigantes
Tellurem iniectam quatere, et spiramine anhelo
Terreri late campos, quotiesque minatur,
Rumpere compagem impositam, expallescere coelum.

Vbi vide, ut ex hisce recitatis versibus poeta fabulatur, quondam Herculem gigantes debellasse, atque profligas-

---

phuraria passim appellata est. Huiusce nominis derivatio non alia de causa illi indita, quam ex sulphuris abundantia, et quantitate, qua mons passim, et ubique scatet. Sulphuris vero materia iam ex antiquo aevo extracta. Hinc Plinius de hoc monte sermonem instituens lib. XVI. Hist. Natur. sulphur producere scribit.

(1) Phlaegrei campi proprie veniunt qui a Capua ad Nolam usque protendebantur, et conflati videntur ex illis Flori verbis lib. I. c. 16. *Hi amicti vitibus colles Gaurus, Falernus, Massicus, et pulcherrimus omnium Vesuvius Ætnaei ignis imitator.* Vbi vide quam fertiles fuerint iidem ita salutati, quippe quod a vicinis vulcanis ea loca efferbuerint, et tantam ipsis ubertatem dederint campis. Sunt qui scribunt, Phlaegreos campos dictos illos fuisse, qui prope Nolam, et Capuam extenduntur iuxta Polybium. Iuxta vero Breislakium Topogr. Camp. pag. 2 sunt omnes illi campi, et omnes Campaniae partes, quae sunt Apenninum inter, et mare Tyrrhenum.

se. Idem sentit Strabo lib. V. Geogr. Et rè quidem vera dubitandum haud est, quin olim mons hic ignem evomuerit ex tempore immemorabili. Montis enim cacumen, et vicina loca id facile commonstrant, cum extinctae passim adsint materiae olim ab eodem eructatae.

Super hoc monte sita est parva, sed antiqua Ecclesia (1) a remotissimo Christiani nominis aevo B. Ianuario Beneventano Praesuli, et praecipuo urbis, Regnique Neapolitani Patrono dicata cum parvo Cappuccinorum Coenobio. Ob memoriam vero B. Ianuarii Puteolani eo loci templum hoc sacrarunt, in quo ipsemet quondam ob Christianam Religionem a Campaniae Proconsule Diocletiano, et Maximiliano Imperatoribus capite fuit plexus. In templo colitur adhuc saxum, quod super truncatus fuerat idem, quodque nunc etiam conspersum mirabili Cruore in praesentiarum cernitur; et quotannis cum eiusdem festa peraguntur, Sanguis hic ebullire conspicitur. S. Ianuarii Ecclesia.

Supra Sulphurariam est crypta vetustissima, cuius nunc aliqua restat pars, quae oppleta multis abhinc saeculis est, eaque est instar Neapolitanae iam supra descriptae, eiusdemque latitudinis. Sunt qui credunt, eam a Puteolis ad Anianum usque lacum fuisse productam.

Prope hunc descriptum vulcanum adsurgunt colles Leucogaei, hodie *l' Alumera.* Hos ita describit Sanfelicius de Orig. Camp. pag. 15 *Post hos montes albicant Leucogaei aluminosi colles, a. candore nomen adepti, apud quos teste Plinio, scatebant balneae oculis opem ferentes, et vulneribus. Subiacet parvus lacus* (nempe Anianus) *sterilibus omnino aquis.* Hi efficiunt parvam collium catenam albo colore. Ibi vero alu- Colles Leucogaei.

(1) Stiltingius in Actis S. Ianuarii, et Sociorum paragr. 12 pag. 148 asserit illam Ecclesiam S. Ianuarii in Foro Vulcani non fuisse erectam in ipsa Sulphuraria, sed in colle prope Sulphurariam, nec in ipso martyrii, sed in sepulturae loco.

men, et crētae genus optimum quondam effodiebatur, quod alica commixtum, edulii genus album, et tenerum praestabat, quodque zea, et creta, vel gypso, vel lacte conficiebatur, quo candorem conciliaret: id quod Augustus in deliciis habebat. Hinc Imperator persoluto Neapolitanae reipublicae annuorum 20000. H. S. pretio hos colles coemit. Plinius Hist. Natur. lib. XVIII. c. II cum alicae omnium probatissimae, quae a Campanis fiebat, modum, et rationem praescriberet, haec ait: *Postea,... admiscetur creta, quae transit in corpus, colorem-que, et teneritatem affert. Invenitur haec in Puteolos, et Neapolim, in colle Leucogaeo appellato. Extatque divi Augusti decretum, quo annua vicena millia Neapolitanis pro eo numerari iussit e fisco suo, Coloniam deducens Capuam. Adiecitque causam afferendi, quoniam negassent Campani, alicam confici sine eo metallo posse.*

Fuisse autem eandem alicam maximi aestimatam scimus ex recitata Plinii auctoritate narrantis, Augustum in pretio habuisse, qui Neapolitanis quotannis e fisco suo argenti summam persolverit. Vossius vero sic de eā scribit Etymolog. *Alica potionis genus, quod Graece χόνδρος, ex quo Arabes corrupte fecere suum candarusium. Fit e zeae specie, quae δίκοκκος dicitur, teste Dioscoride* etc. Hoc etiam modo definit Pitiscus Dictionar. Antiqq. Rom. Ex verbis igitur horum auctorum nihil aliud significari videtur, quam eandem alicam esse ipsam, quam alii Cervisiam dixere, nempe *birra*, quod potionis genus ex aqua, atque frugibus, aut aliis efficitur rebus. Plinius tandem scribit, eandem fuisse confectam tribus farinae generibus, eamque placentae speciem fuisse, quam veteres etiam melle, aliisque rebus efformare consueverant. Videsis Iacobum Castellium, qui materiam hanc fuse tractat epist. ad Bernardin. Tafurum pag. 76 et seqq.

Fontes Leucogaei, et Olibanus.

Ex iisdem collibus defluunt Leucogaei fontes, vulgo *l' Acqua de' Pisciarelli*, qui teste eodem Plinio Hist.

Natur. lib. XXXI. c. 2 dentibus firmitatem, oculis claritatem, et vulneribus afferunt sanitatem. Haud procul ab his adsurgit Olibanus collis ex Aniani lacus regione: vox haec a Graeco descendit, nempe ab Ὅλος, *totus*, et Βαχυς, nempe *sterilis*: hinc appellatur mons saxosus, et nunc *Monte Spina*. Hunc creditur vulcanum quondam fuisse: nam adhuc apparent passim materiae extinctae a temporibus nobis incognitis Vesuvio haud absimiles. Suetonius in Calig. c. 37 videtur, hunc montem memorasse: Caligula autem Imperator Campania peragrata, varia effecit opera, et durissimi silicis excidit rupes. Huiusce montis lapides ad publicas vias sternendas ab antiquis adhibiti fuere. Hic vero est ad Cappuccinorum Coenobii meridiem supra Sulphurariam. In tres partes seiungitur: illa quae est a maris latere, Balneoli vocantur: *i Bagnuoli*: altera quae Anianum respicit lacum, dicitur *Soccavo*, et tertia pars quae Pausilypum spectat promontorium, ab accolis dicitur *Fuori Grotta*. Supra collem Olibanum est pars veteris aquaeductus, qui aquam Serinensem ad Puteolos, et hinc Baias ferebat, ut ante diximus lib. III. c. 10.

Astruni colles.

Post hos montes huc usque descriptos succedunt Astruni colles, *gli Astruni*, forte ab Asture, quae avis genus est; hi amphitheatri veluti formam efficiunt, ubi passim aquae calidae scatent. Ex oriente ipsi cum Aniano lacu, ex meridie cum Leucogaeis, ex occidente cum via Campana coniunguntur. Ex septentrione vicinum habent vicum Planuram, vulgo *Pianura*. Montes avibus, et praecipue leporibus abundant: hinc hodiedum Regiae inserviunt venationi: a Neapoli distant quatuor milliaria. Hi insuper varie nuncupantur ab auctoribus. Facius lib. III. c. 9. *Listronem* vocat, Summontius Hist. Neap. lib. VI. *Astrunum*: sunt etiam qui *Astrunos* a sturnis vocatos arbitrantur. Eos colles Carlettus, Regione Brug. n. LII. vulcanicas olim materias habuisse probat: passim enim adhuc restant extinctae olim eaedem. In ipsam quoque sententiam vadit Breislakius, Topogr. Phys. Camp.

Thermae Puteolanae.

Et quoniam huic devenimus, fas est ut pauca appingamus de Puteolanis thermis tam ab antiquis celebratis. Puteolanus ager adeo aquarum plurimarum scatebris semper abundavit, ut nullus in orbe locus illo prae ceteris fuerit commendatus. Eae vero aquae passim reperiuntur in eo solo. Eo igitur pervenit illarum aquarum celebritas, ut ex omnibus orbis partibus exterae nationes, necnon accolae ipsi, incolaeque ad sanitatem recuperandam Puteolos, et vicina accurrerent loca. Quin imo haud procul a Puteolis quondam fuit locus, ubi statuae cum Graecis, Latinisque characteribus aderant, quo morborum variorum medicinam indicarent. Hinc temporis progressu factum est, ut medentes Salernitani de sua ipsi fortuna conquirentes (uti narrat historia vero, an falso) noctis silentio Puteolos advenerint: domum illam ingressos, statuas, et inscriptiones evertentes, omnium aquarum scaturiginibus in ruinam adductis, in patriam regressos fama est. Ast ubi navem ascenderunt, et mare petentes, tempestate saeva oborta procellis submersi fuere.

Sebastianus Bartolus Thermol. Aragon. tom. I pag. 37 hanc historiam a Mazzella, et Mormile Rerum Puteolanarum scriptoribus extractam sic narrat: *Referunt enim quod in unoquoque balneo praeter humana simulacra affectos corporis locos manibus indicantia. aderant quoque marmoreae tabulae balnei virtutum inscriptiones continentes, cumque in Puteolanum sinum nocte quadam Salernitani quidam medici adnassent, ferreis instrumentis simulacra eos vastasse, marmoreasque inscriptionum tabulas fregisse testantur, adduntque eo patrato facinore, medicos qui parva navi Salernum revertebantur inter Capreas, et Minervae promontorium fecisse naufragium, ac misere periisse: quae omnia haud ex arbitrio scripsere, sed ex traditione publica munita fide: quippe subiungunt Ladislai Regis temporibus marmoream fuisse Puteolis tabulam repertam loco, ubi dicitur le Tre Colonne, quae sequentibus erat literis insculpta.*

Ser Antonius Sulimela ; Ser Philippus Capograssus , Ser Hector de Procita famosissimi medici Salernitani supra parvam navim ab ipsa civitate Salerni Puteolos transfretaverunt cum ferreis instrumentis inscriptiones balneorum virtutum deleverunt , et cum reverterentur , fuerunt cum navi miraculose submersi.

Haec narratio quam a Bartolo modo audivimus, est omnino suspecta, ut idem scribit loco laudato. Hinc subiungit , Puteolanarum thermarum deficientiam non a medicis Salernitanis derivasse , sed harum causam fuisse temporum longaevitatem , incendia , terraemotus, Regni civilia bella , et ipsorum praesertim opidanorum incuriam.

Eas vero aquarum scaturigines , et balnea in agro Puteolano , Neapolitano , et Baiano Capacius Hist. Neap. lib. II. c. 25 , et Sarnellius , Viaggi di Pozz. ad XL. fuisse narrant, et ad varios morbos depellendos mirabiles effectus quae afferebant: hodiedum nihil aliud restat, quam vix in quibusdam locis pauca balnea , et paucae aquae. Praeclariora balnea , et praesertim S. Germani sudatorium fuit non procul ab Aniano lacu , et hinc prope fuere alia sub nomine Colaturae , S. Anastasiae, Cantarelli , Tripergulae , Tritulae, Iuncarae , aliorumque , ut sileam tot alia balnea Puteolani , et Baiani agri , de quibus fuse dixerunt Capacius ibidem , Bartolus Thermol. Arag. part. I pag. 56. Alcadinus De Baln. Puteol. Ioannes Villanus Chron. Neap. Michael Savonarola De Balneis lib. II. Franciscus Aretinus de Mirab. Puteol. Pontanus lib. II. Elysius medicus Neapol. de Spec. Georgius Agricola lib. II. de Re Metall. aliique patrii, exterique scriptores.

Non procul a descriptis antea collibus stagnat lacus Anianus , *lago d' Agnano* , qui a scriptoribus Medii Ævi dicitur *Colatorium.* Si Pellegrinio App. Camp. disc. II. paragr. 19 fides est praestanda , ipsum ab Nortmannis auctoribus *Anglanum* dictum audiemus. Mazochius De Eccl. Neapol. pag. 214 hanc vocem ab *Ango* derivat , *colare* , eo quod aquae illuc e viciuis percolentur colli- Lacus Anianus.

bus. Prout vero idem narrat, lacus hic emersit, et exsurrexit saeculo XI e quotidianis proqinqui Vulcani Fori dispendiis, et ex ruinis Castri Lucullani. Heic enim Lucullus (ut quidam falso scribunt) villam habuit: videsis ad hanc rem, quae dicemus Diatriba II. in fine. Hodiedum lacus hic scatet volucribus, reptilibus venenatis, et praesertim fulicis, quamvis aer circumstans pessimus, et mephiticus sit; hinc accolae, incolaeque loca isthaec maxime effugiunt. Æstate maturatum linis e vicinis, dissitisque locis ádveniunt rustici. Forma lacus rotunda est, eiusque longitudo, et latitudo haud excedit amplius mille passus.

Hunc insuper lacum aetate nobis incognita ignivomum fuisse locum crediderim: praeter enim vicinam Sulphurariam, quae fumat adhuc, aliosque vicinos colles iam extinctos, phoenomenum quoddam adspectatur: cum enim coelum serenum, et lacus haud ventis agitatur, ex ea parte quae procul distat a Charonea Scrobe, aqua quibusdam in lacus ipsius locis mirandum ebullit in modum: ex qua quidem re coniectare licet, lacus eiusdem solum vulcanicas continere adhuc materias.

Scrobs Charonea.

Supra lacum descriptum adest parva crypta, a Graecis appellata Χάρωνια Βόραθρα, quod Charontis, sive deorum manium ostia putarentur, eaque Scrobs Choronea dictitata, nunc *Grotta del Cane*, ubi mephitis quadrupedibus noxia ad necem exhalat, quam Plinius commemorat Hist. Natur. lib. III c. 93. Origo certe huius mephitis e vicino lacu derivanda, cuius sive stagnans aqua, sive lini maceratio, sive potius vulcanicae subterraneae materiae vicinum aerem corrumpunt. In eam autem cryptam canes praesertim ab accolis immittuntur, qui post brevissimum tempus emortui quasi auferuntur, nisi in proximum Anianum extemplo immergantur, unde vivi adsurgunt. De huiusce rei causa consulsis physicos auctores. Eandem cryptam describit Georgius Agricola lib. IV. de Natur.

S. Germani Sudatoria.

E regione Aniani lacus adsurgunt S. Germani Suda-

toria, vulgo Anglanae Thermae nuncupata. Haec a S. Germano Campano Episcopo, qui vixit VI. saeculo, originem, et etymon acceperunt, qui sane memoratur a S. Gregorio Papa lib. IV. Dialog. num. 40. Haec Sudatoria cameram habent arcuatam, ex quo loco subterraneae exeunt evaporationes. Videsis auctores historiae Puteolanae, quaenam de effectibus tradant, et quamnam efficiant sanitatem ea Sudatoria.

Credibile hinc est, eam omnem vetusti aedificii partem, quae restat adhuc e regione lacus Aniani, esse ea ipsa S. Germani Sudatoria vulgo dicta. Huiusce immensae fabricae rudera supersunt adhuc secus viam Puteolanam opere arcuato, et lateritio. Restant etiam plura passim parva foramina in parietibus ad calorem recipiendum: unde puta in hoc aedificio Calidaria fuisse, vulgo *le Stufe*. Credendum etiam, hoc vetustissimum monumentum Thermas olim fuisse. Cl. Mazochius tamen easdem De Eccles. Neapol. paragr. II. pag. 213 Lucullani opidi partem esse sentit; at egomet publicum aedificium ad Thermarum usum fuisse potius existimo.

CAPUT V.

De montibus Gauro, et Cinereo, de lacu Lucrino, Portu Iulio, de Ciceronis Cumano, de lacu Averno. Describitur Sibyllae Cumaeae antrum, Tritulae Sudatorium, et Via Aragonia.

Hactenus de Puteolis, deque illius urbis vetustis monumentis, deque omnibus quae intra, vel extra urbem supersunt, verba fecimus; nunc ad alia describenda pergamus loca, et ab antiquis celebrata, quaeque maioribus nostris magis in pretio fuere. Ad Baianas primum arenas descendere est animus.

Sinus Puteolanus rotunda est forma, et ad tria extenditur milliaria. Super hoc litus olim Romani magnificas villas, et aedificia passim profuso auri pondere con-

didere; isque locus prae ceteris aliis ab antiquis in deliciis habitus. Hinc villarum, et aedificiorum adhuc restant sumptuosa rudera.

Mons Gaurus. Non procul a Puteolis adsurgit mons Gaurus, hodiedum *monte Barbaro*, cuius radices olim ad Avernum usque lacum, et ex alia parte ad Lucrinum protendebantur, seiungebatque Puteolanum a Baiano agrum. Memoratur ab antiquis, et praesertim a Statio Silv. lib. IV. c. 3 et a Lucano lib. II. v. 667. Ausonius Idyll. X. hunc montem quondam conflagrasse canit: hac igitur ratione credit Gauranum vinum aliis ob ignis, et sulphuris feracitatem praeclarius fuisse.

Capacius Hist. Neap. lib. II. c. 24 ubi de Gauro verba facit, tres eiusdem nominis montes distinguit: primus de quo heic sermo: alter qui Stabiis imminet, a quo nomine puta Gauranum, vel *Varanum* pagum, qui a Stabiis procul distat, nomen a Gauro forsitan usurpasse. Tertium eiusdem nominis montem esse ait ad Massicum prope Minturnas, et Suessam: idque probat Ciceronis, et Statii auctoritate, ubi agit de via Domitiana.

Hunc montem fuisse sterilem (sicuti hodiedum est) in quibusdam partibus narrant historici, sed vinis feracissimum. Plinius Hist. Natur. lib. XIV. c. 6 ubi de Gaurani vini excellentia agit, sic scribit: *Certant Massica aeque, ex monte Gauro Puteolos, Baiasque prospectantia.* Et a Iuvenali idem asseritur Satyr. IX. v. 56. Athenaeus etiam lib. I. huius montis mentionem facit.

De ostreis vero Gauranis (utpote huiusce montis radices ad mare usque protenduntur) mentionem facit citatus Iuvenalis Satyr. X. Hodiedum mons ob eiusdem sterilitatem *Barbarus* salutatur, ut passim in locis videre est.

Mons Cinereus. Ad huius montis laevam adsurgit mons Cinereus, *Monte Nuovo*, qui quidem exsurrexit anno Reparatae Salutis MDXXXVIII. vergente mense Septembri. Iuvat heic enarrare, quomodo haec evenerit subversio. Ager

Puteolanus, et vicina loca plures ante menses terrarum motibus fuerant concussa, et tellus iugiter sub pedibus tremebat, cum extemplo ea nocte mons, tellure dehiscente, cum igne, lapidibus, ac cinere permulto exsurrexit. Continuo ex erecto terrae ipsius cumulo perpluribus ignitis erumpentibus flammis, ingens vorago aperta est. Eversae hinc fuere aedes, villaeque quaquaversum: hinc fruges, arbores, et campi exusti; tum mare ad CC. ferme passus contractum: tum novae passim aquarum ebullentium scaturigines exortae. Tanta interim cineris, arenae, et pumicum moles horrenda excrevit, ut et montem, et monti fecerit nomen *Cinereo*. Vicus ille Tripergulae, qui heic antea situs erat, ex lapidibus, igne, et cinere, ingenti incolentium numero omnino fuit absumptus. Praeter hunc vicum erat etiam heic Andegavensium Regum villa, quae penitus fuit a cineribus absorpta. Proh hominum horrenda conditio! in ea ignis tempestate aliquot balnea obruta, et aedificia plurima fuere. Avernus vero lacus ad dimidium cum Lucrino angustatus, et Puteolanus ager cinere, lapidibusque fuit oppletus. Iuvat heic miseram καταστροφην audire ab auctore contemporaneo excerptam, nempe Simone Portio Neapolitano Archiatro, qui in epistola Petro Toletano Villae Francae Principi Neapolitanum tunc Regnum gerenti exarata, et Florentiae typis edita anno 1551. Hic ita scribit: *Vidisti tu quidem conflagrationem, et universam Puteolorum regionem lustrasti: est ea vicina mari, aquis calidis, et lutuso sulphure abundans: montes habet a septentrione, et meridie, qui ad mare usque procurrunt, ubi cavernae multae, et magni caloris vim plurimam cohibent. Fuit haec regio biennio fere magnis terraemotibus agitata, ut nulla in ea superesset domus integra, nullum aedificium, quod non certam, et proximam minaretur ruinam. At vero V. et VI. Kal. Octob. perpetuis diebus, noctibusque terra commota est: mare passibus fere* CC. *recessit: quo quidem loco, et ingentem piscium multitudinem accolae cepe-*

re, et aquae dulces prosilire visae fuere. III. tandem Kal. magnus terrae tractus, qui inter radices montis, quem Barbarum accolae appellant, et mare iuxta Avernum iacet, seseque erigere videbatur, et montis subito nascentis figuram imitari. Eo ipso die hora noctis secunda terrae tumultus, aperto veluti ore, magno cum fremitu, magnos ignes evomuit, pumicesque, et lapides, cinerisque foedi tantam copiam, ut quae adhuc extabant, Puteolorum aedificia apparuerit, herbas omnes texerit, arbores fregerit, pendentemque vindemiam ad VI. usque lapidem in cineres verterit, aves quoque, et quadrupedes bestias interemerit: fugientibus per tenebras Puteolanis cum natis, et uxoribus, et magno gemitu, eiulatuque Neapolim sese suscipientibus. Qui quidem cinis ad LX. fere passuum millia exhalationis vi proiectus est: atque quod mirum videri potest, prope voraginem siccus: longe vero lutosus, et humidus cecidit. Verum quod omnem superat admirationem, mons circum eam voraginem ex pumicibus, et cinere plusquam mille passuum altitudinem ea nocte congestus adspicitur. In quo multa inerant spiramenta, ex quibus duo nunc supersunt: alterum iuxta litus, quod procurrit: alterum in ipso montis medio. Averni magna pars operta cinere, balnea illa tot saeculis celebrata, quaeque tot aegris salutem praestabant, cinere sepulta iacent. Durat et hoc incendium ad hanc usque diem, cum aliqua tamen interpolatione: cuius ego mox, quod pollicitus sum, causas naturae convenientes explicare tentabo. Huc usque laudatus auctor: in altera vero epistolae parte motuum terrae causas physice explanat. Praeter hunc sctiptorem, qui Montis Novi conflagrationem descripsit, adest Capacius, Dialoghi del Forestiere, Leander Albertus in Ital. descript, Summontius Hist. Regni Neapol. aliique, qui hanc enarrarunt.

Sub eo monte, et non longe a Lucrino lacu fuit olim vicus Tripergularum satis habitatus, in quo Carolus II. Ξενοδοχεῖον erexit amplum, quod eodem anno ob

Novi Montis conflagrationem cum ipso vico fuit omnino ab igne submersum.

Puteolis egredientibus fit obviam lacus Lucrinus, quem hodie accolae dicunt *lago di S. Filippo*, quique ob ostreas maxime apud veteres celeber evasit. Appellatus fuit ita, quod Romanae reipublicae magnus a piscium captura lucrus proveniebat. Dictus etiam fuit *Ostreosus* lacus ob ostrea. *Hoc enim nomen piscibus commune est, qui asperam habent testam; qui vero levem, Conchae dicuntur, quamquam hoc saepe nomen variatum, et ostrea quoque Conchae sunt appellatae*, ut loquitur Sanfelicius Iunior in adnot. Sanfelicii Senioris de Camp. pag. 76. Quae vero in Lucrino oriebantur, genere et copia praestitisse aliis testatur Strabo lib. V. Geogr. Illorum vero piscium tantus erat sapor, ut Lucrini ostrea inter delicatioris gulae illecebras a Romanis haberentur. Hinc Horatius emphatice cecinit Epod. lib. II. v. 49 Lacus Lucrinus

Non me Lucrina iuverint conchilia,
Magisve rhombus, aut scari
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare.

et idem poeta lib. II. Satyr. 4. v. 31 necnon et Martialis lib. XIII. Epigr. 90 de eodem Lucrino mentionem facit. Valerius Maximus ubi de Sergio Orata, sic scribit lib. IX. c. 1. de Luxuria. *Idem videlicet ne gulam Neptuni arbitrio subiectam haberet, peculiaria sibi maria excogitavit: aestuariis intercipiendo fluctus, pisciumque diversos greges, separatis molibus includendo, ut nulla tam saeva tempestas incideret, qua non Oratae mensae varietate ferculorum abundarent. Ædificiis etiam spatiosis, et excelsis, deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit: quo recentiore usu conchyliorum frueretur.* Et Macrobius Saturn. lib. III. c. 15 sic etiam de Orata testatum reliquit: *Sergius Orata cognominatus est, quod ei pisces, qui Auratae vocan-*

tur, carissimi fuerint. Plinius Hist. Natur. lib. XXXII. c. 5 de eodem etiam pisce sermonem instituit. Hic autem a Graecis Χρύσοφρυς fuit vocatus, eo quod auri colorem eiusdem referat caput.

Lucrinus autem lacus olim publicus erat, eumque ob lucri piscationem plurimi faciebant mercatores. Sed cum proximum mare saepe in lacum aestuaret, magna plerumque mercatoribus damna, et piscatoribus inferebat; hanc ob causam magnum vectigal, quod Romanis persolvebatur, saepius eosdem frustrabatur. Augusti vero aevo M. Agrippae negotium datum, ut Lucrinum a maris impetu tutum redderet, a quo iactis ingentibus molibus, et parvo relicto portu cum Averno ad Superi maris tutelam confectus, et Iulius portus appellatus. Lacus hic nunc est penitus ab antiqua forma mutatus, quippe quod lutosa potius palus esse videatur, et in praesentiarum parvus est lacus, mediamque in formam redactus ob Novi Montis eructionem, ut ante diximus, qui mediam lacus partem occupavit.

Portus Iulius. Cum vero Sextus Pompeius Cnei Pompeii Magni filius Sicilia potitus esset, Octavianus Caesar ut exercendis classiariis commodam haberet stationem, M. Agrippae opera e duplici lacu Lucrino, Avernoque, unum effecit portum, Lucrinique aqua in Avernum introducta, quae res accidit anno V. C. DCCXVII. Iactis vero in mare molibus, Lucrinum ita inclusit, ut illisis ad moles fluctibus naves tuto portum peterent: isque *Portus Iulius* passim a scriptoribus fuit salutatus, utpote a Iulio Caesare sub eius auspiciis dicatus. Suetonius in Aug. c. 16 ita narrat: *Navibus ex integro fabricatis, ac XX. servorum millibus manumissis, et ad remum datis, portum apud Baias, immisso in Lucrinum, et Avernum lacum mari, effecit.* Et Velleius Paterculus lib. II. c. 29 ita etiam narrat: *Hic nempe M. Agrippa in Averno, et Lucrino lacu speciosissima classe fabricata, quotidianis exercitationibus militem, remigemque ad summam, et mi-*

litaris, et maritimae rei perduxit scientiam. Huiusce portus mentionem etiam facit Maro Georg. II. v. 161.

An memorem portus, Lucrinoque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Iulia qua ponto longe sonat unda refuso,
Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Averni.

Hi duo igitur lacus per euripum secum communicabant. Quo vero loco fuerit hic apertus Lucrini aquam in Avernum immittens, post tot saeculorum longaevitatem, decerni haud potest. Terraemotus, et Novi Montis eructatio loci faciem vertit; hodiedum nihil amplius restat de eodem euripo: duo iidem lacus, praesertim Lucrinus coangustatus, et ad medietatem redactus. Romanorum tempore classes heic stationabantur. Marcus Agrippa hunc portum Iulium commodiorem effecit eo modo, ut etiam pilas adiunxerit, quarum pars adhuc sub undis visitur.

Augusti ipsius aetate hunc portum paulatim relictum crediderim: nam ob assiduum aestuans mare arenis iugiter introductis, naves fidam haud habebant stationem, et in arenas ipsas saepe impingebantur. Hanc fortasse ob rationem ab ipso Augusto apud Misenum portum alium constitutum putarim. Ex eo tempore Lucrinus lacus ob ostreas fuit maximè celebratus.

Ciceronis Cumanum.

Non parum a Lucrino lacu Cluerius Ital. antiq. lib. IV. Cumanum rus Ciceronis fuisse credit, a quo aliud haud parum fuit Puteolanum, quod *Academiam* vocabat ipse, ut ante diximus. Cicero igitur pluribus in locis mentionem huiusce facit, praesertim ad Atticum lib. X. epist. 4 et lib. XIV. ep. 10 et 13 ubi de ea villa sic scribit: *Septimo denique die literae mihi redditae sunt, quae erant a te* XIII. *Kal. datae. Quibus quaeris, atque etiam meipsum nescire arbitraris, utrum magis tumulis, prospectuque, an ambulatione* ἀλιτένει *delectes. Est mehercule, ut dicis, utriusque loci tanta amoenitas, ut du-*

bitem, *utra anteponenda sit*. Ex hac Tullii descriptione villarum satis colligitur, unam in tumulis, Cumanum nempe, seu montibus, alteram Puteolanam in litore sitam esse. At ubi proprie ponendum hoc Ciceronis Cumanum? per patrios auctores incertum omnino est. Vnum miror, Grimaldium accuratissimum patriae scriptorem, Annali tom. VI. opinatum fuisse, hoc Ciceronis Cumanum fuisse *Academiam* dictam. Hoc obstat Plinii auctoritati, per quam certiores reddimur, Puteolanum rus fuisse reapse *Academiam* dictam.

Lacus Avernus

Prope Lucrinum est Avernus, *lago d' Averno*, et *lago di Tripergola*, et etiam *il Canneto*. A Graecis dictus Ἄορνος, ab ἀ *sine*, et ὄρνις, *avis*, quia eius aquae inter densas silvas adeo graveolentes sunt, ut aves supervolitantes mortuae deciderent. Hinc ad Inferos descensum esse fabulantur poetae, qui etiam Avernum pro Inferis saepenumero usurparunt. Hinc locus VI. Æneidos Virgilianae libro occasionem praebuit v. 237 et seqq. ubi sic emphatice cecinit:

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris,
Quam super haud ullae poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris,
Faucibus effundens, supera ad convexa ferebat:
Vnde locum Graii dixerunt nomine Avernum.

Hodiedum lacus hic Tripergulae appellatur, quippe quod prope hunc locum fuit ille vicus Tripergularum, qui anno MDXXXVIII. obrutus, ac submersus fuit a Novi Montis eruptione ante narrata. Avernus lacus nunc haud horrendum sonat, ut olim apud antiquos fuit: nam in praesentiarum piscibus abundat, et aves praesertim dulcisono aerem concentu modulantur; loca vero prope lacum sunt amoena, et fructibus vicinae villae, collesque vitibus abundant. Tandem de Averno iuvat attexere, hunc non solum ab ethnicis, verum etiam

à Christianis acceptum pro Inferno fuisse. Plures ex vetustis Christianis, et praecipue Ecclesiae Patres ipsi Avernum pro Inferno accepere.

Non procul ab Averno lacu adsurgit antri aditus, quem Virgilius VI. Æn. v. 1 et seqq. Sibyllae (1) Cumaeae fuisse narrat, et ubi Æneam Italiam petentem horrendum hoc antrum ingressum, Sibyllam adiisse, ibique instantia pericula, et futuri belli eventum didicisse. En ut poeta canit loco citato: Antrum prope Avernum.

Antrum immane petit, magnam cui mentem, animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.
. . . . . .
Talibus ex adyto dictis, Cumaea Sibylla,
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera involvens: ea fraena furenti
Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo.

Strabo lib. V. Geogr. hoc antrum a Cimmeriis excavatum putat; alii a Romanis fortasse, quo Cumas inter, et Baias expeditior esset transitus ad commercium ultro citroque exercendum. Cum enim innumerae Romano-

---

(1) Deiphoben Glauci filiam, et Apollinis sacerdotis notam sub Sibyllae Cumaeae nomine per hanc cryptam commeasse fabulantur poetae, cum ad Apollinis fanum, et ad Avernum lacum se ferret.

Cl. Mazochius in Actis S. Ianuarii pag. 70 Sibyllae etymon a Chaldaeo derivat *Shebar*, quod est *insanire*: alii derivant ab Æolico Σιὸς pro Θεὸς, *Deus*, et Βουλὴ, *consilium*, quasi Sibylla sit *divini consilii particeps*. Lactantius sic etiam scripsit lib. I. c. 6 *Vel a consiliis deorum denunciandis*: σιοὺς *enim deos, non* Θεοὺς, *et consilium non* βουλὴν, *sed* βιλὴν *appellabant ab Æolico sermonis genere. Itaque Sibyllam dictam esse quasi* Θεόβουλην. Plura si cupis quoad Sibyllarum etymon, doctissimum consulsis Gallaeum Dissert. de Sibyll. c. I ubi hanc fuse disquirit materiam.

rum villae apud utrasque urbes essent, via isshaec aperta per collium viscera. Cubiculum vero quod vulgus Cumanae tribuit Sibyllae, balneum Romano alicui fortasse diviti, vel etiam publico usui addictum arbitror. Crypta autem ipsa non amplius, quam passus CCC. extenditur muro obducta: quod reliquum nunc restat, impervium omnino est.

Sibylla Cumaea.

Et quoniam sermo de Sibylla, heic aliquid de Cumaea, deque ceteris sermo erit. Plures eas fuisse narrant veteres auctores. Ad decem eae deducuntur, scilicet Delphica, Erythraea, Cumaea, Samia, Hellespontiaca, Libyca, Persica, Phrygia, Tiburtina, et Cumana. Ab Cumaea vero nostra toto differt coelo Cumana, quae Cumis in Æolide fuit oriunda. Hanc Lactantius lib. I. c. 6 septimo ponit loco, de qua sic sermonem instituit: *Septimam Cumanam nomine Amaltheam, quae ab aliis Demophile, vel Herophile nominatur; eamque novem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum, ac pro eis trecentos philippos postulasse.* Nota isthaec Tarquinii historiola, ad quem cum libris adiisse fertur, quorum nonnulli coram rege pro pretio sunt combusti. Eadem narrat Dionysius lib. X. Solinus Polyhist. c. 2 Gellius lib. I. c. 19 aliique.

At alia Sibylla (de qua heic sermo) Cumaea fuit salutata, a vicina urbe Cumis. Hanc Gallaeus lib. I. c. 5 Erithraeam vocat, quaeque etiam Cimmeria a vicinis illis gentibus fuit dicta. Lactantius huius meminit loco citato, et Aristoteles de Mirabil. scribit sua etiam aetate adhuc ostendi locum, ubi quondam incoluerat, et hoc subterraneum conclave θαλαμον κατάγειον fuisse, eamque virginem permansisse. Hanc etiam memorat D. Iustinus in Orat. Paraenet. ad Graecos. Petronius Satyric. c. 48 Trimalchionem narrat Sibyllae cineres vidisse in ampulla. Ea autem ampulla nihil aliud fuit, quam φακὸς, *lens* ipsamet a S. Iustino adservata, qui circiter annum post natum Christum CXXXV. ea loca peragravit. Nisi potius putamus cum doctissimo Burmanno in huius Petronii lo-

cum, hanc ampullam vitream nihil aliud fuisse, quam vitreum vas, ubi Sibyllae cineres condebantur, ut populo spectaculo exhiberi possent, et crediderim Trimalchioni haec de Sibylla narranti, nihil aliud innotuisse, quam eiusdem tantum cineres, cum ipsa sua tempestate multis abhinc saeculis fatis excesserit. Quin imo ridicule potius Trimalchionem hoc vas se vidisse ait, cuius veterum scriptorum nemo nec ante, nec post Petronii aevum meminit, sed fabula forte fuit Sibyllam ibi servari in ampulla, ne putresceret. Et S. Iustinus, loco citato scribit, περιηγητας, *circitores* (de quibus infra adnotabimus) quo tempore ea peragravit loca, lenticularem loculum, seu ampullam vitream a Petronio memoratam ipsi commonstrasse, ubi eiusdem reliquias servari narrabant. Petronius autem ibidem de eadem Sibylla sic narrat: *Et cum illi pueri dicerent*, Σίβυλλα τί θελεις, *respondebat illa:* ἀποθανεῖν θελω. Petronius hunc Sibyllae sermonem simulat.

Raynerius in Transl. SS. Eutychetis, et Acutii apud Falconem pag. 182 haec de Sibyllae tumulo scribit: *Penes igitur Cumanae civitatis moenia, ubi vatis Sibyllae promulgata quondam fuerunt oracula, ac Daedalea tecta mirabili opere constructa, in aditu sinus Baiarum maris, contigua urbs Puteolana est posita. Quae praeclaris aedibus in Campaniae finibus antiquitus enitens, sicut adhuc in ruderibus aedificiorum veterum cernitur, vigentibus paganorum ritibus tanto frequentabatur accessu innumero, quanto illic delectabilium thermarum populus pene ubique dispersus placebat lavacro.* Vbi concludendum est, adhuc viguisse Cumaeae Sibyllae cultum ineunte IV. saeculo, etsi illius oracula edi desierint. Mazochius In Act. S. Ianuar. pag. 86 credit Sibyllae cultum etiam V. saeculo nondum extinctum esse, idque probat ex eorundem Actorum verbis.

Antiqua accolarum traditio refert, Sibyllam tumulatam fuisse apud Cumas prope Apollinis templum in eo loco, qui dicitur adhuc *il sepolcro della Sibilla*, et non longe a Cumano sepulchreto: heic visitur celebre eius- Sibyllae sepulchrum.

dem antrum; cum aliud usque modo descriptum via fuerit inter Baias, et Cumas a Cimmeriis, vel a Romanis aperta. Hoc autem antrum (de quo heic sermo) et apud Cumas positum Mantuano vati fortasse occasionem praebuit VI. Æneidos libro, ubi poeta fingit, Æneam, et Sibyllam ad Inferos, et hinc ad Elysios descendisse, quo parentem Anchisen videret. Hoc antrum igitur restat adhucdum prope Apollinis templum super Cumanam arcem, et fama est templum ipsum cum antro communicasse. Hinc mirum haud est, si Virgilius scribit, Sibyllam Æneam ex hoc templo ad antrum duxisse, quo futura aperiret. Hoc antrum ab Euboicis excavatum fuisse creditur, et temporis progressu dilatatum. Hoc vero plures cuniculos habuit, ut videre adhuc est. Vnde canit Virgilius v. 42 de templo, et antro:

Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum,
Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllae.

Hoc antrum describit perbelle Cl. Iorius, Viaggio d' Enea agli Elisii pag. 63 et seqq. atque se vidisse ait in interiorem illius partem aliquas vetustas fabricas, quae fortasse fuere Sibyllae eiusdem sepulchrum.

Tritulae Sudatoria.

Tritulae Sudatoria Puteolos inter, et Baias ad mare super litus adiacent. In monte enim adsurgit magnum aedificium excavatum sub Tritulae nomine a Graeco τρίειν, *fricare*, quippe quod ibi magnum emittunt sudorem, qui huc perveniunt. Hodiedum sub Neronis nomine vulgo dicuntur *le Stufe di Nerone*: ibidem vero eundem Imperatorem, vel Claudium Caesarem fortasse domum habuisse narratur, ut est adhuc videre ex immensis vetustae fabricae, quae restant ruinis. Plinius Hist. Natur. lib. XXXI. c. 2 de eo loco ad Claudium pertinente locutus videtur his verbis: *Aquae in Baiano, Posidiano vocantur nomine, accepto a Claudio Caesaris liberto.* Hunc Posidem Claudii libertum memorat Tranquillus in

eius vita c. 28. Easdem thermas a Celso memoratas esse apparet, qui eas collocat super Baias in myrtetis lib. II. c. 12. Ad haec Baiana myrteta alludit etiam Venusinus poeta Epist. lib. I. 15 v. 2. Locus iste nunc temporis ob maximum celebratur calorem, eoque aegri ex cunctis deveniunt locis. Olim SS. Annuntiatae Neapolitanae Nosocomium quotannis sub medentium cura aegros affectos morbis a Neapoli mittebat, quo sanitatem recuperarent. Infra mare locus adest, qui calidis abundat aquis, quae perenni vena (1), et sub praecipiti rupe balnea efficiunt.

Supra collem Baianum, et non longè a Tritulae sudatorio parva visitur crypta ex ipso monte perfossa: hinc adest via Aragonia, quae Baias viatorem ducit, a Petro Antonio Aragonio aperta anno MDCLXVIII. dum regnum Neapolitanum pro Carolo II. Rege gerebat, quo tempore cunctae Puteolanae thermae ab ipso fuere restitutae, ut fuse narrat Sebastianus Bartolus Thermol. Aragon. part. I. pag. 66, et seqq. Secus viam antequam Baianum ingrediaris portum, epitaphium adsurgit ruinosum. Via Aragonia.

Prope Baianam cryptam veteris aquaeductus pars restat, qui aquas Sarnenses Baias ferebat. Hunc omnem locum ita describit graphice Guicciardinius Mercur. Campan. pag. 231. *Totum quod a Sudatorio ad arcem usque Baianam nunc rectum, nunc recurvum excurrit litus, ubi voles perlustra. Scabrae rupes sunt, et quam ab alto, qua in imo, innumeris refertae parietinis, quae nescio quid horridae maiestatis exhibent intuentibus. Assiduo allidentium fluctuum attritu, et mons alicubi exesus est, aedificiorum substructiones corrosae, absorptae viae, et plurimi adhuc ab alto semidiruti pendent fornices. Montis huius dorsum occupabant Pompei, Caesaris, et Domitiani villae, in tutissimas serpentium latebras nunc conversae. Fuerint ne hoc eodem in loco Hortensii, Sergii, Alexandri Severi, et Neronis decantatae villae, inquirant, si*

(1) Non solum supra litus haec scatet aqua, verum etiam in eiusdem fabricae interiori parte, ubi aqua adeo ebullit, ut si manus, vel pes immittitur, statim effervescas.

qui talium procerum sunt haeredes. Hoc unum nosse sit satis, Imperatorum, Dictatorum, ac Consularium Virorum selectissimos fuisse recessus, quidquid hoc in tractu, aut cymba percurris, aut oculis lustras, aut pedibus premis.

Supra litus Baianum nunc considamus oportet, quo illic magnifica artis monumenta, quae restant, perlustremus: piscium exquisitissimorum adfluentiam, ibi elegantem collium positionem, aquarum calidarum fugandis morbis opportunarum copiam; ibi tot villas passim nobilissimo opere exstructas perspiciemus: sed alia ex parte hanc urbem turpe vitiorum diversorium factam, atque illuc ex omnibus mundi plagis advenisse gentes mirabimur. Hanc tandem, accedente aeris graveolentia ex aquarum desidentium vitio, tot Barbarorum manibus conlapsis aedificiis, terraemotibus, et ipsa temporis vetustate miseram, et horrendam sortem expertam fuisse dicemus.

CAPUT VI.

Baiarum amoenitas, et vitiorum diversorium describitur: de Romanorum villis, Marii, Hortensii, aliorumque. De thermis Baianis, deque statu Baiarum recenti.

Baiac. Baias (1) a Baio Vlyssis socio conditam fuisse historiae veteres prodidere. Tanta vero fuit huiusce nobilis vici (2) amoenitas, ut longe Cumis, et Puteolis esset

---

(1) Martorellius Colon. Fenic. pag. 7 hoc Baiarum etymon a Phoenicia voce *Boie*, *ubi Deus*, derivat, propter oracula, quae a Cimmeriis prodebantur, qui prout Strabo narrat lib. V. Geogr. hoc munere fungebantur. Isidorus lib. XIV. c. 8 Etymol. a *baiulandis mercibus* vult dictam.

(2) Iuvat heic cum Sanfelicio adnotare de Orig. Camp. pag. 12 qui nunquam hanc urbem fuisse credit, ubi sic scribit: *Hic*

anteponenda ; hinc paulatim luxuriae sedes , et vitiorum diversorium facta est , ut ex Seneca Epist. L. ediscimus. Nobilissimas vero , et plures Romanorum , aliorumque in hoc Baiano sinu fuisse antiquas villas, atque aedificia constat ex Tullio , Plinio , aliisque : Hinc Horatius istorum locorum amoenitatem commendans cecinit Epist. lib. I. 1 v. 83.

Nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis.

Et revera tanta erat loci huiusce amoenitas, ut longe aliis esset praeferenda. Hinc dulcis aer , coeli clementia , soli foecunditas , vicinum litus piscibus scatens exquisitis, propinquorum collium pulchritudo, aquarum calidarum abundantia , aliarumque rerum ubertas adeo huc homines quosvis advocavit , ut Romanorum aevo illecebrae , et deliciosissima Tempe fuerint compellata. Hinc haud admirationi cuiquam esse debet , si quondam ea loca sint expetita , totque villas , atque domos , aliaque publica , et privata aedificia , tot thermas Romani profuso auri pondere eo condiderint modo , ut vulgo loca isthaec luxuriae (1) , et vitiorum diversorium dicta fuerint. Hinc sa- Illecebrae , e amoenitas.

---

ergo Vlysses umbrarum fecit evocationem , humato prius Baio socio , unde Baianus sinus , non ab urbe Baiis, quae nulla fuit. Et Sanfelicius Iunior in Adnot. 125 praefati operis subiungit : *Velle itaque urbem fingere , ad quam ruinae quaedam referantur, amplissimorum aedificiorum , quae in mari videntur , villasque dissimulare , conlapsas tota illa ora , apertissimo veterum scriptorum testimonio magnificas , atque frequentes , non est profecto rationem sequi , sed evertere.* His adde quod Horatius Baias vicum appellat lib. I. Epist. 15 v. 7 et Iosephus Antiqq. Iudac. lib. XVII. c. 7 illam *oppidulum* vocat , a magna forsitan aedificiorum multitudine , quae super litus erant sparsa.

(1) Eo luxuriae , et impudicitiae perventum est , ut prae ceteris ad ultimum libidinis culmen memorentur illae Ambubaiae mulieres a Venusino poeta descriptae Satyra lib. I. 2

Ambubaiarum collegia Pharmacopolae.

pientes illi veteres ea loca ut impudicitiae sedem habuerunt, et quemlibet virum, vel mulierem honestam haud immorandum heic putaverunt. Praetereo tot scriptores, qui contra Baiarum luxuriem declamant. Seneca prae ceteris epist. LI. et Propertius lib. I. Eleg. I Cynthiam monet, ne Baiarum deliciis caperetur,

Tu modo corruptas quamprimum desere Baias.

et paulo post:

Littora quae fuerunt castis inimica puellis.

Quantae vero fuerint Baiarum illecebrae, aedificio-

Turnebus lib. II. c. 23 ab ἀμφι, *circum*, et Baias vult dictas hasce foeminas. Eae quidem ab origine Syrae fuerunt, quae ut scribit Pitiscus Diction. Antiqq. Rom. voc. *Ambubaiae*, *Erant* (inquit) *illae mulieres quae in Circo, aliisque locis aedilem metuentibus, et corporis sui vulgo copiam faciebant, et organa quaedam pulsare norant, quae una secum e patria Romam attulerant.* Turnebus loco citato sic definit: *Ambubaiae dicuntur mulieres tibicinae lingua Syrorum; etenim Syris tibia, sive symphonia, Ambubaia dicitur.* Suetonius in Nerone c. 27 sic etiam ipsas describit de Neronis comessationibus alloquens: *Coenitabat nonnunquam aut in publico, inter scortorum totius orbis, Ambubaiarumque ministeria. Quoties Ostium Tyberi deflueret, aut Baianum sinum praeternavigaret, dispositae per litora, et ripas diversoriae tabernae parabantur, insignes ganeae, et matronarum institorio copas imitantium; atque hinc inde hortantium, ut appellaret.* Tandem iuvat adnotare cum doctissimo Lambino hanc Ambubaiarum vocem ab *Ambub* puta Syro, vel Hebraeo vocabulo quod tibiam (ut iam diximus) significat. Hinc recte tibicines mulieres ante laudatus explicat Turnebus. Iuvenalis Satyr. III. v. 63, ubi de Baiis sermonem instituit, et Vmbritium aruspicem inducit, hasce mulierculas ita describit;

Iampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes:
Et linguam, et mores, et cum tibicine chordas
Obliquas, necnon gentilia tympana secum
Vexit, et ad Circum iussas prostare puellas.

rumquè nobilisssimorum copia, norunt omnes eruditi; at nunc illorum omnium nihil aliud superest, quam vix per litora pauca vestigia, et aer ipse penitus ibi immutatus, et inversus! hodiedum enim graviter horrendeque expirat, nulla ibi hominum sedes, et squallor undique regnat.

Haec vero loca quondam aquis calidis scatebant, et Romani aeris ipsius amoenitate illecti autumnum ad rusticandum turmatim confluebant. Quisque vero dives ibi domum possidebat: hinc Horatius voluptuosos reprobat homines, qui domos, villas, et vitam ipsam impudice heic degere potius cogitabant. Hinc canit lib. II. Od. 18

Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus, et sepulchri
Immemor, struis domos:
Marisque Baiis obstrepentis urges
Summovere littora,
Parum locuples continente ripa.

Martialis horum insuper locorum ita etiam amoenitatem describit lib. XI. epigr. 81

Littus beatae Veneris aureum Baias,
Superbae blanda dona naturae,
Vt mille laudem, Flacce, versibus Baias,
Laudabo digne non satis tamen Baias.

Idem lib. IV. Epigr. 30 haec litora piscibus exquisitis abundantia, et infamium libidinum sedem ut fugiat, piscatorem suadet.

Iam supra indicavimus, Baias ob amoenitatem, coelique clementiam infamium libidinum sedem evasisse. Hinc Cicero de Baiis sic scribit ad Attic. lib. I. ep. 15 *Vbi libidines, amores, adulteria, convicia, comessationes, cantus, ut symphoniae audiri solent.* Et in Orat. pro Coelio num. 15 *Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Baias, actas, convivia, comessa-*

tiones, cantus, symphonias, navigia iactant. Et Seneca ad Lucilium scribens lib. VII. ep. LI. *Non tantum corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitasse nolim, sic nec inter popinas quidem. Videre ebrios per litora errantes, et comessationes navigantium et symphoniarum cantibus perstrepentes lacus, et alia, quae velut soluta legibus luxuria, non tantum peccat, sed publicat, quid necesse est? id agere debemus, ut irritamenta vitiorum, quam longissime profugiamus. Indurandus est animus, et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus.* Ex qua quidem pulchra philosophi descriptione vide, quaeso, quot vitia, quot libidinum genera, quot illecebrae hisce in locis quondam fuerint. Iure merito ab iisdem animum voluptatibus abstrahere conatur.

Nullus profecto fuit qui in haec adveniens loca, animum ab illecebris avocare posset. Hinc putarim ipsum Catonem virum tam severum haud posse seipsum continere. Hinc quid etiam mirum si Florus lib. II. c. 6 narrat magnum Hannibalem Italiae domitorem invictum Alpibus, indomitum armis, subactum fuisse a tepentibus Baianis fontibus? *Siquidem invictum Alpibus, indomitum armis, Campaniae, quis crederet? soles, et tepentes fontibus Baiae subegerunt.* Tantaene his locis deliciae! tantumne vitiorum diversorium? Haec Flori dicendi ratio poeticam potius elegantiam, quam historicam fidem praesefert. Intra Capuae muros hibernaverat Hannibalis exercitus: ibi enim milites magnam hiemis partem in vino, epulis, atque balneis inter prostibula transegerunt, inter Alicarias meretriculas, inter unguentarios negotiatores Seplasio, atque in Albano foro sitos. Hae quidem res illos perdiderunt, non vero Campaniae soles, ac tepentes fontibus Baiae, quae in Campania fuerunt profecto, sed longe a Capua. Heic ad exprimendam Baiarum amoenitatem, et illecebras historiographus haec scripsit. Livius enim clare lib. XXIII. c. 8 Capuam,

non Baias exercitus ruinam fuisse tradit: *In hiberna Capuam concessit. Ibi partem maiorem hiemis exercitum in tectis habuit.* Et paulo post subiungit: *Somnus enim, et vinum, et epulae, et scorta, balneaque, et otium consuetudine in dies blandius, ita ea enervarunt corpora, animosque ut magis deinde praeteritae eos victoriae, quam praesentes tutarentur vires. Soles* igitur a Floro memorati, et *tepentes Baiae* sunt intelligendae pro scortis, et vinis, et balneis, somnoque, quibus totam hiemem Campana intra tecta traduxere Hannibalis milites.

Villae sumptuosae describuntur

Super Baiano litore plures insuper Romanorum equitum villae, et aedificia constructa fuere, ut Syllae, C. Marii, Pompeii, aliorumque: quae loca adhuc servant memoriam, terrent advenientes immania aedificiorum cadavera, demonstrantque adhuc sepultam in ruinis superbiam. Villa C. Caesaris Dictatoris erat in monte, qui Baiis imminet. Tacitus lib. XIV. c. 9 ipsam tradit esse super viam, qua Misenum eundum erat, ubi hodie eiusdem rudera aedificii immensa supersunt: *Viam Miseni propter, et villam Caesaris Dictatoris, quae subiectos sinus editissima prospectat.* Olim repertam fuisse in subterraneis statuam cum hac epigraphe: GEN. C. IVL. CAES. narrant auctores historiae Neapolitanae. Adhaec fuit etiam illa Cnei Pompeii super collem, qui erat inter lacum Avernum, et Tritulae Sudatoria. Hic enim suam villam eo construxit loco, quo Baianas fngeret delicias, quoque ibi vitam ageret a curis semotam; de eadem in praesentiarum nulla supersunt rudera. Eam vero penitus submersam ab Novi Montis eruptione, et a Barbarorum manibus fama est.

Villa C. Marii.

Villa C. Marii supra eundem fuit collem, de qua quidem magnificentissima adhuc supersunt vestigia. A Plutarcho in eius vita compertum habemus, illam fuisse adeo splendidam, ut Cornelio Syllae postea venumdatam fuisse constet LXXXIII. mille sestertia, illumque ipsam amplificasse, indeque vendidisse CCL. mille sestertia. Se-

neca lib. VIII. epist. LI. hanc ita describit: *Illi quoque ad quos primos fortuna Romani populi publicas opes transtulit, C. Marius, et Cn. Pompeius, et Caesar exstruxerunt in regione Baiana, sed illas imposuerunt summis iugis montium. Aspice quam positionem elegerunt, quibus aedificia excitaverunt locis, qualia scias non villas esse, sed castra-*

Villa Hortensii. Super hoc litore fuit etiam Hortensii villa, cuius mentionem facit Varro R. R. lib. III. c. 17 hoc modo: *Quintus Hortensius familiaris noster cum piscinas haberet magna pecunia aedificatas ad Baulos, ita saepe cum eo ad villam fui, ut illam sciam semper in coenam pisces Puteolos mittere emptum solitum: neque satis erat, eum non pasci piscinis, nisi eos ipse pasceret ultro: ac maiorem curam sibi haberet, ne eius esurirent multi, quam ego habeo.* Cicero etiam ipsam memorat Quaest. Academ. lib. I. Adhaec plures aliae extitere villae, ut illa Sergii Oratae equitis Romani a Plinio memorata Hist. Natur. lib. IX. c. 54; illa L. Crassi, alia C. Hirtii, cuius mentionem facit idem auctor ibidem, quae villa celebris evasit ob murenarum vivaria: alia Catonis Vticensis, et Domitiani Imperatoris, de qua laudatus Plinius lib. V. c. 4 et Martialis lib. V. Epigr. 4, illa Pisonis, de qua Tacitus lib. XV. c. 48 sic tradit: *Coniurationis tamen metu proditionis placitum maturare caedem apud Baias Caesar crebro ventitabat, balneasqua, et epulas inibat, omissis excubiis, et fortunae suae mole.* Super Baiarum litus fuit etiam Domitiae Neronis amitae villa, cuius etiam meminit idem Annalium scriptor lib. XIII. c. 21 hoc modo: *Nunc per concubinum Atimetum, et histrionem Paridem, quasi scenae fabulas componit, Baiarum suarum piscinas excolebat, cum meis consiliis adoptio, et proconsulare ius, et designatio consulatus.* Aliaeque fuere villae ad Romanos equites pertinentes; quae passim super Baianum adsurgebant litus, et in ea vicinitate. Ex quibus omnibus huc usque memoratis sa-

tis constat, quo in prētio, ēt quantum haec olim loca a Romanis fuerint expetita. Non solum vero illi homines super hoc litore suas habuere domos, verum etiam complura templa, et thermas condendas curaruut, de quibus nunc dicendum.

Super Baianum litus restant Thermae, quarum immensae adhuc visuntur reliquiae. Primum aedificium est illud, quod vulgus *Veneris templum* falso appellat. Hoc quadrata (ut apparet) forma lateritio fuit opere. A Caesare erectum, an ab alio Romano divite, affirmare haud auserim: extant adhuc parietes opere anaglyptico. Thermae Baianae.

Non procul ab hisce ruinis aliae adsurgebant Thermae, quas nunc accolae *Dianae* (1) compellant aedem. Propertius vero lib. I. Eleg. super Baianum litus Dianae templum non procul ab Herculea collocat via. Verum quo loco illud fuerit, per auctores haud constat, cum nec rudera quidem supersint in praesentiarum. In easdem Thermas ventitabat Nero, de quibus canit Martialis lib. VII. Epigr. 37. Media nunc fornicis pars extat cum fenestris circum bene dispositis.

Restat plura alia rudera super Baianum collem: ea vulgus falso appellat *Mercurii* (2) aedem. Quidam pa-

---

(1) Prope Dianae templum (ut vulgus credit) repertus fuit haud procul a Baiano Castro hodierno anno MDCCLXXXV. lapis qui Cybelis, et Vespasiani templorum mentionem facit. Vide Ancoram, Viaggio di Pozzuoli pag. 105.

(2) Iustinianus in Diction. Regni Neapol, tom. II. artic. *Baja* in longum probat, descriptas aedes nihil aliud fuisse, quam magnas Baianarum thermarum piscinas. Ne longius abeamus, lectorem monemus, ut praefatum adeat auctorem, ubi mascula eruditione id probat. Ad hoc probandum, Vitruvii affert auctoritatem, et illarum thermarum formam, quarum quaedam Romae adhuc extant sub Caracallae, et Diocletiani nomine. Re sane vera Mercurii templum, ut dictitant indigenae, propriam thermarum formam habere, ex ruinis quae restant, evidenter dignoscitur.

Verum enimvero haud obstantibus hisce Iustiniani auctoritatibus, paucis abhinc mensibus Cl. Iorium quadam die cum

trii scriptores Θόλον Baianum appellant, nunc *Truglio di Baja* (1). Huius pars interior similis est Romano templo ab Agrippa excitato, quod nunc restat sub nomine *S. Mariae Rotundae*. Baianum aedificium a nostris Ciceronibus (2) sub nomine *Truglio di Baja* venit, ut diximus.

---

adirem, cumque de rebus archaeologicis sermonem in longum protraheremus, forte fortuna accidit, ut sermo noster de Puteolanis, deque Baianis antiquitatibus evaderet, et praesertim de hisce Thermis, de quibus supra est quaestio. Ipse Cl. Iorius etiam in meam facillime opinionem tunc descendit. Ad rem melius probandam, extemplo ipse Federici Heller literas, et σχῆμα de Dianae hoc falso templo a Vindobona nuper acceptum mihi ostendit. Ipse enim Heller cum Neapoli adhuc esset anno MDCCCXXVI. Baias adveniens, Francisci I. Siciliae Regis iussu hasce ruderum ruinas effodit. Hinc per multos dies in hisce locis, et praecipue prope isthaec falso dicta Mercurii, et Dianae templa fuit excavatum. Ex ruderibus repertis facillime fuit iudicatum, hasce Thermas reapse fuisse olim magnificentissimas, ut ex pluribus quae restant ruinis videre est, et ex ipsis ruderibus nihil aliud fuisse apparet, quam magnarum Baianarum Thermarum partem.

(1) Sunt qui arbitrantur, hanc vocem *Truglio* a Graeco Τρούλλος, quod *aediculam* cum fornice significat, descendere. Eandem vocem significare etiam Italice *Cupola* apud Paulum Diaconum Hist. Miscell. lib. IV. videtur, et aedificium rotundum. Re sane vera ex eiusdem forma, id clare eruitur, cum interior ipsius aedificii pars opere fornicato, vel ellyptico sit, in cuius medio pars aperta restat ad lumen in interiori parte immittendum. Si plura cupis, consulsis Du Cangium in Diction. Mediae Latinit. in voce *Trullo*, qui plura scribit ad hanc rem.

(2) Sub Ciceronum nomine vulgatim *I Ciceroni*, aut *Le guide de' Forestieri* veniunt illi insulsi, deridiculi, et infimae sortis homines, qui passim in foro Puteolano otiantur, qui statim ac quisque homo exterus, vel patrius Puteolos advenit, illi fiunt obviam, quo Baianas, Puteolanas, Cumanas, aliasque antiquitates ad videndum veluti duces se praebeant. Nihil ipsis hominibus ineptius inveniri potest, qui magnum illud eloquentiae patris *Ciceronis* nomen usurpantes, fabulas novas cudunt, ex-

Ex his igitur thermarum descriptis ruderibus satis colligitur apud Baias maxime eas usuvenisse: cum enim eo loci magna esset aquarum calidarum abundantia, hinc factum, ut cuncti Baias advenirent, quo aeris clementia fruerentur, et praesertim calidis aquis, iisque medicinalibus uterentur. Hinc recte scribit Strabo lib. V. Geogr. hasce aquas calidas tum ad voluptatem, tum ad morbos sanandos accommodatissimas fuisse. Hinc etiam Romani saepe in haec veniebant, quo sanitatem reciperarent. Plutarchus in Mario scribit, ipsum ad Baiana venisse balnea curandi corporis gratia. Et Sylla republica restituta, depositaque Dictatura, Puteolos ut privatus secessit, ubi pediculari correptus morbo, Baianis saepe utebatur thermis, quo morbum averteret. Et Nero ipse adeo hisce delectabatur aquis, ut deposita Imperii maiestate, iugiter iisdem uteretur, sicut scribit Tacitus Annal. lib. XV. c. 48. Easdem etiam commendat Statius Silv. lib. I. car. 5, et Iosephus Antiqq. Iudaic. lib. XIX. c. 1, ut alios praetteream. Vnam addam Plinii auctoritatem Hist. Natur. lib. XXXI. c. 2 qui sic emphatice de Baianis scribit aquis: *Nusquam tamen largius quam in Baiano sinu, nec*

---

terosque ad aspiciendum convectant. Ea vero hominum species non solum Puteolis, verum etiam Porticum apud, Capuae, aliisque locis reperitur.

Hoc hominum genus a S. Iustino dicti fuere περιηγηταί, idest *Indices*, et *Circumductores*, qui illum circumduxerunt ad singula visenda loca, cum Puteolos, et Baias advenit. Cl. Mazochius in Kal. Neapol. pag. 449 ait a Graecis etiam fuisse dictos Ξεναγώγους, hoc est *Manuductores*, et etiam pietos reperimus Ἀρχαιολόγους, nempe *antiquitatum explanatores*. Laudatus auctor loco citato narrat, eos homines illius orae incolas Hadriani Imperatoris aevo (utpote Latiaris adhuc vigebat lingua) fuisse nuncupatos *Circitores*, quae vox contracta, et a *circuitore* facta est. Hinc corrupta lingua ex *Circuitoribus Cicerones* vulgo dicti, uti hodiedum hoc usurpant nomen. Martorellius Theca Calam. pag. 221 eos *Speudo-antiquarios Homeros* vult dictos.

pluribus auxiliandi generibus, aliae sulphuris, aliae aluminis, aliae salis, aliae nitri, aliae bituminis, nonnulla etiam acida, salsave mixtura: vapore quoque ipso aliquae prosunt, tantaque vis, ut balneas calefaciant, ac frigidam etiam in salis fervore cogant, quae in Baiano Posidianae vocantur.

Baiarum recens status.

Haec quidem sunt omnia, humanissime lector, artis monumenta, quae ad nos usque pervenere. Baianum igitur litus olim celeberrimum evasit ob tanta, et praeclara aedificia. Quae omnia Iudaeus Rex Aristobolus, qui Romanorum in Baiano litore magnifica aedificia ad visendum advenit, simulacra, et pavimenta, et parietes cum diu contemplatus esset; *Quanta Romae amplitudo, quanta maiestas*! exclamavit. At de tantis monumentis quid superest, nisi rudera? ipsa naturae dona sensim in dies minuuntur. Vbinam stat heic loci amoenissima illa coeli clementia? ubi piscosi lacus? ubi maris sinus? aliaque omnia, quae ad lenocinium natura conclusit? vix nunc superest aliqua suae pulchritudinis imago. Iidem vero iucundi colles, qui portuosum coronabant sinum, modo squalent ambusti. His superadde in pulcherrimi theatri formam disposita circumquaque aedificia, quae superbam advenientibus scenam procul etiam offerebant, nunc squalorem, horroremque praeseferre. Praeter haec assidui motus terrae, et aeris, coelique inclementia (1), et

(1) Veteres scriptores de Baiarum amoenitate ad ravim usque dixerunt. Praetereo tot, ac tantos, qui mira enarrant de his locis, praesertim Symmachum, qui pluries lib. I. id confirmat, ubi ait, autumni tempore Baias se contulisse, quo huiusce amoenitate, atque deliciis frueretur. At unus Cicero (ni fallor) Dolabellae scribens lib. IX. epist. 12 omnibus auctoribus adversari videtur. Hic enim de Baiis loquens sic ait: *Gratulor Baiis nostris, siquidem ut scribis, salubres repente factae sunt, nisi forte te amant, et tibi assentantur, et tandiu dum tu ades, sunt oblitae sui, quod quidem si ita est, minime miror coelum etiam, et terras vim suam, si tibi ita conveniat, dimittere.* Qui-

praecipue Novi Montis conflagratio hanc terrarum orbis partem penitus ab antiquo, florentique statu immutavit. Hinc horror, et luctus heic moratur.

Conlapso Romanorum Imperio, barbarae nationes in Italiam irruerunt, cunctas urbes, et opida ferro flammaque concremarunt. Prae ceteris, qui Baiarum ruinae causa fuerunt, Saraceni adnumerantur, qui manum ultimam dederunt. Hinc illius pulchritudinem, aedificiorum maiestatem, villarumque adeo deformarunt, ut sepulchrum, et cadaver potius effecerint.

In tanto denique nobilissimo quondam terrarum orbis loco, de quo Venusinus poeta nullum alium huic anteponendum esse cecinit, nulla domus nec super litus, nec in vicinis collibus hodiedum, nulla hominum commorantium sedes adsurgit, nisi tugurium aliquod, et diversorium pro advenientium commoditate, et ad asservandas Baianas antiquitates super litore, et arx munitissima ad defendendum portum Puteolanum. Hinc de tot, ac tantis naturae, et artis praeclaris donis, atque monumentis cum Mantuano vate concludendum, atque insinuandum arbitror:

Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.

---

dam *salubres* pro luxurioso interpetrantur. Interim quis non videt claro coelo, ea loca, puta forsitan ob vicinorum vulcanorum, et lacuum propinquitatem fuisse iam ex Ciceronis aetate haud salubria? Hinc etiam credendum, Baias, et vicina loca haud toto anni tempore salubria fuisse, et Romanos tantum autumno, et hieme heic rusticatos. Quin imo si rem hanc rectius animadvertemus, Ciceronis aevo nondum Avernum, Lucrinumque lacum cum propinquo communicasse mari agnoscemus: hinc loca circa Baias insalubria fuere. Secus vero Horatii, Propertii, Senecae, Plinii, aliorumque aevo, aerem perquam amoenum ibi homines respirasse constat: cum aperti propinqui lacus fuere, qui cum mari communicarunt.

CAPUT VII.

Bauli quid, et ubi vicus hic fuerit: de via Herculea; de Agrippinae Neronis parentis infelici fato, et sepulchro. Vetera aedificia describuntur cum sepulchretis: de portu Misenensi: de antiquo aedificio vulgo Cento-Camerelle, *et de Piscina Mirabili.*

Bauli. Bauli sunt parvus vicus occidentem inter, et septentrionem, et Misenum inter, et Baias. Locum hunc ab Hercule fundatum fama est, quo tempore Geryonis boves ex Hispania in Italiam abduxit; nam Βοῦκολα Latine sonat *bovum stabulum*: atque eo loci ab Hercule boves servati fuere iuxta Servium, qui ait ad Æneid. VII. v. 667 *Iuxta Baias Hercules caulas bobus fecit, et eas sepsit, qui locus boaulia dictus: nam hodie Baulae vocantur.* Hinc Symmachus cecinit lib. I. epist. I.

Huc Deus Alcides stabulanda armenta coegit,
Eruta Geryoni de lare tergemini.
Inde recens aetas corrupta Boaulia Baulos
Nuncupat, occulto nominis indicio.
Ab divo, ad proceres dominos fortuna cucurrit,
Fama loci obscuros ne pateretur heros.
Hanc celebravit, opum felix Hortensius aulam:
Contra Arpinatem, qui stetit eloquio.

Haec Baulorum villa olim ad Q. Hortensium pertinuit, ut indicat laudatus Symmachus: eam etiam possedit Antonius Drusus, uti e Plinio Hist. Natur. lib. IX. c. 55 disces. Postmodum in principum patrimonium transiit, ut Neronis aevo evenit: tandem Symmachus ipse eandem obtinuit.

Via Herculea. Fama vero est, Herculem (1) octo stadiorum viam

(1) Revera Martorellius Thec. Calam. tom. II. pag. 563 ait

longitudine, ac tanta latitudine, quanta gradienti currui satis esset, iactis in ponto molibus struxisse. Propertius hoc opus Hercule dignum laudans cecinit lib. I. Eleg. II.

Ecquis te mediis cessantem, Cynthia, Baiis,
Qua iacet Herculeis semita littoribus.

et lib. III. Eleg. 16

Qua iacet et Troiae tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via.

Ex Strabone lib. V. Geogr. liquet Agrippam eandem viam vetustate conlapsam restaurasse. Tullius Orat. II. contra Rullum num. 14 eam quoque memorat: *Accedet eo mons Gaurus, accedent salicta ad Minturnas: adiungetur etiam illa via vendibilis Herculanea multarum deliciarum, et magnae pecuniae.* Haec vero multis abhinc saeculis deperdita fuit, cum mare terram occupavit, et plura etiam aedificia adhuc intra mare restant. Id omne aperit Cluerius Ital. antiq. lib. IV. c. 2 *Portus hic equidem hodieque extat, sed triremium tantum capax. Magna quippe litoris pars maris fluctibus absumpta est, ita ut veterum Baiarum reliquiae, et via latissima hinc versus Misenum silice strata sub undis nunc conspiciantur* Idem innuit Mabillonius Mus. Ital. c. 21.

Antequam ad alia progrediamur, heic iuvat de vero Baulorum situ nonnulla enucleare. Eruditus Scottus in opere quod inscripsit, Dissertazione Corografica delle due distrutte città Cuma, e Miseno pag. 118 et seqq. hunc vicum, et non urbem fuisse probat duobus inscriptionibus apud Baulos repertis, in quarum una occurrit men- De vero situ Baulorum.

---

a Lucrino lacu olim viam extitisse, qua ad Puteolos veniendum erat: hanc appellat *viam Herculeam.* Silius lib. II. v. 118 hanc ipsam *Herculeum iter* compellat.

tio cuiusdam Demetrii Baulanorum villici, et asserit etiam falsum esse nuperum Baulorum situm inter Misenum, et Baias, sed fuisse probabilius inter Baias, et Lucrinum, ad quod probandum nonnullas affert veterum scriptorum auctoritates. Ex Tacito enim Annal. lib. XIV. c. 4 Neronem eruitur, dum Baiis erat, matrem Agrippinam invitasse, dum adhuc ille Romae erat ad festa Quinqnatria (1) celebranda, et matrem ex Antio Baias advenisse: Nero enim dum simulate fingit eam excipere, et obviam ipse factus, eam apud Baulos invitat; *Venientem dehinc* (ait) *obvius in littora* (ex Antio enim adveniebat) *excepit manu, ducitque Baulos: id villae nomen est, quae promontorium Misenum inter, et Baianum lacum flexo mari adluitur.* Vbi vide quaeso eius situm inter Misenum, et lacum Baianum: hic vero lacus Baianus nihil aliud est, quam Lucrinus lacus, sed a Cluerio loco citato intelligitur lacus antiquus Baiis vicinus olim existens, et hodiedum penitus deperditus: quod quidem falsum omnino est. Adhaec Tranquillus in Nerone c. 34 necis Agrippinae modum ab ipso filio sicariis iniunctum sic tradit: haec biographi auctoritas ad Baulorum situm inservit melius agnoscendum; *Atque ita reconciliatione simulata, iucundissimis literis Baias evocavit ad solemnia Quinquatrium simul celebranda: datoque negotio trierarchis, qui liburnicam, qua advecta erat, velut fortuito concursu confringerent, protraxit convivium. Repetentique Agrippina Baulos, in locum corrupti navigii, machinosum illud obtulit.* Agrippina igitur a Baiis Baulos petente, in itinere navis dehiscit. Tacitus vero Annal. lib. XIV. c. 5 adiungit hanc

---

(1) Quinquatria a Graecis Παναθηναῖα: ii ludi fiebant in Circo in Minervae honorem a Iovis capite prognatae. Iuxta Varronem L. L. lib. II. hi dies erant post diem V. Idus Mart. Altera Quinquatria fiebant mense Iulio: in iis etiam gladiatorum, et pugilum ludi edebantur.

miseram matrem e naufragio ereptam ad Lucrinum allatam, ac inde Baulos in suam pervenisse villam. En ut narrat citatus auctor: *Verum Aceronia imprudens, dum se Agrippinam esse, et ut subveniretur matri principis, clamitat, contis, et remis, et quae fors obtulerat, navalibus telis conficitur. Agrippina silens, eoque minus agnita, unum tamen vulnus humero excepit. Nando, deinde accursu lenunculorum, Lucrinum in lacum vecta, villae suae infertur.* Hic quidem enarratione satis colligitur, Baulorum villam Lucrinum prope fuisse, ac inde post Baias. Praetereo Symmachi lib. I. ep. I. aliorumque scriptorum testimonia, quae prodit eruditus Scottus pag. 120 ad hoc omne comprobandum.

Super litus quod in praesentiarum dicitur *Bagola*, visuntur plura veterum aedificiorum rudera, quorum nonnulla restant nunc sub undis: ex qua quidem re coniectare licet, olim haec fuisse super litus, sed temporum longaevitas, et praesertim huiusce regionis vicissitudo loci faciem vertit: nam terraemotus assidui, et vicinorum vulcanorum conflagrationes loci solum immutarunt, ut saepe innuimus. Hinc mirum haud esse debet, si ea nunc vetusta aedificia, quae sunt in Baiano mari, olim hoc nobilissimum amoenissimumque litus exornarint.

Agrippinae fatum, et sepulchrum.

Plura vero admiranda hoc super litore restant vetustioris aevi monumenta: primum communis omnium accolarum refellenda est opinio, qui vulgo credunt, Agrippinae Neronis parentis sepulchrum fuisse super Baianum litus haud procul a Baulis: si Taciti enim verba expendamus, illud sepulchrum positum sciemus, ubi nunc dicitur *Mercato del Sabbato*. Hic vero locus est super Miseni promontorium, ubi passim plura adsunt secus viam sparsa sepulchreta: ac inde laudatus auctor, hanc infelicem Neronis parentem eo loci tumulatam fuisse tradit lib. XIV. c. 9 haud procul a Caesaris Dictatoris villa: *Cremata est*, ait, *nocte eadem, convivali lecto, et exequiis vilibus: neque dum Nero rerum potiebatur,*

concesta, aut clausa humus. Mox domesticorum cura levem tumulum accepit, viam Miseni propter, et villam Caesaris Dictatoris, quae subiectos sinus editissima prospectat. Confersis Suetonii in Nerone c. 34 textum ante allatum, ubi matris mortem enarrat.

Haec omnium mortalium mater infelicissima fato obiit (uti creditur) anno LIX. post Christum. Cum enim crudelis Nero ex Agrippinae parentis praesentia defatigatus esset, occasionem arripit, quo illam modo tolleret e vivis. Hinc non semel, sed pluries parenti mortem paravit. Saepius veneno inficiendam excogitavit filius: at frustra, cum ea usque praemonita periculum evaserit. Interea Nero idoneam arripiebat opportunitatem, quo eam necaret, mortis causam aliis tribuens, ne existimationis iacturam faceret. Hinc factum, ut e libertis quidam Anicetus nomine, per ea tempora classi Misenensi Praefectus, Agrippinae matris adversarius, et assentationibus, et blanditiis in principis consuetudinem immersus, in matrem dolum commoliri studuerit. Apud Baias ad Quinquatria festa (ut diximus) evocavit; quae navem conscendens, ex Antio Baulos perrexit. Hinc illa ad litus perveniens, aperto navigio extemplo, ad litus enatavit incolumis. Haud res isthaec felici omine accidit: hinc Nero in parentem magis saeviit. Tunc illam benigne excepit, ac post lautissimam coenam apud Baulos in Hortensii villa matrem dimisit, quae iterum in navigium ipsum conscendit. Ipsa cum Aceronia sermone instituto, crudeliter a sicariis enecatur. Haec omnia narrat Tacitus c. 8 eiusdem libri.

Ad Baulorum tergus est locus, quem accolae in praesentiarum vulgo appellant *Mercato del Sabbato,* et Elysia (1), quippe quod sparsa passim adservantur per lo-

---

(1) Elysiorum etymon Mazochius in Vossii Etymolog. V. *Elicius* derivat a Phoenicio *Elieh*, quod a fulmine tactum significat: nam ea loca iuxta antiquorum opinionem vulcanicis eruptionibus perusta fuere.

ca sepulchreta. Communis ferme auctorum probabilior sententia videtur, hunc locum nempe Circo quondam Baiano aptum fuisse, ut prae ceteris autumat Carlettus in opere quod inscripsit, *Regione Brugiata*, Nota CLVIII. et CLIX. ubi diserte probat, hunc locum spectaculis inservisse, et Circo, ubi ludos a Romanis edi in more positum erat. In hoc creditur, quin imo ex Tranquillo loco ante citato probatur, ab ipso matrem Agrippinam invitatam ad Quinquatria adservanda, posteaque enecatam.

Portus Misenensis haud procul a Baiano est Circo, quod nunc dicitur *Mare Morto*, quasi locum dixeris, qui cum mari communicat Tyrreno. Locus hic quondam statio fidissima classi fuit Misenensi, et unus e portubus, qui Romanis erat in Italia ad Tyrrheni maris tutelam. Hunc ab Octaviano Augusto redactum meliorem in formam M. Agrippa duce, et architecto e Strabone lib. V. Geogr. compertum habemus. Heic Plinius Senior Praefectus erat classi Misenensi, cum Vesuvius primum imperante Tito conflagravit: hic montem exardescentem, ut procul adspexit, propius accessit, quo quid hoc novum sibi vellet, agnosceret. Strabo lib. V. portum Misenensem, Plinius Iunior lib. VI. ep. 16 et Tranquillus loco citato describunt. Dionysius Halicarn. lib. VII. hunc portum appellat Καλον, καὶ βαθυνον, *pulchrum*, *et profundum*, et Licophron in Cassandra v. 736 ubi de ludis Lampadicis apud Misenum celebratis in Parthenopes honorem, hunc eundem portum dicit: Ἀκλιστον σκέπας, idest *tranquillum tegmen* quasi a natura formatum. Hunc vero portum adhuc apertum fuisse saeculo VII. narrant quidam patrii scriptores. Hoc confirmatur ex epistola S. Martini Papae, qui vocatus ab Imperatore Constante e Roma venit ad Misenensem portum, ubi navem reperit, supra quam conscendit, et ad Imperatorem Constantinopolim perrexit. Portus Misenensis.

Quidam etiam e nostris scriptoribus sunt arbitrati Miseni portum haud fuisse illum, cui nunc nomen *Ma-*

re Morto, sed fuisse Baianum sinum, ut autumat P. Paulus fol. 9 Antiqq. Puteol. et alii portum Iulium, qui ex lacubus Averno, et Lucrino unum efficiebant portum. Sed certum est hunc differentem fuisse ex aliis hisce dictis. Quin imo vetusti auctores ad unum omnes confirmant, Misenum suum habuisse portum. Plinius Hist. Natur. lib. III. c. 5 describens urbes Campaniae maritimas, et portus sic scribit: *In ora sunt Cumae Chalcidensium, Misenum, portus Baiarum, lacus Lucrinus, et Avernus, dein Puteoli.* Et Florus lib. I. c. 16 et Pompeius Mela lib. II. c. 4 id etiam confirmant, ubi de Misenensi portu verba faciunt. Portus igitur, et urbs Misenum fuit inter Cumas, et Baias. Inter haec loca nullus alius portus existit praeter Misenensem, ubi nunc *Mare Morto.* Mirabilis Piscina, Schola Militum, vetustae inscriptiones, monumenta, sepulchra passim, et praesertim pilae prope litus satis commonstrant heic, et non alio loco ponendum Misenensem portum.

Extat in Regio Museo Borbonio marmor Graeco-Latinum apud Misenum repertum, ex quo evidenter elucet, heic celebrem fuisse portum, et classem Misenensem decoratam titulo *Piae Vindicis Gordianae*:

ΘΕΩΙ . ΜΕΓΙΣΤΩΙ . ΚΑΙ . ΚΑΛΗ
ΜΟΙΡΑ . ΟΥΑΛΗΣ . ΑΡΧΗΝ . ΛΑΧΩΝ . ΕΠΑΡΧΟΝ
ΜΕΙΣΗΝΩΝ . ΣΤΟΛΟΝ . ΕΣΤΗΣΑ . ΒΩΜΟΝ
ΕΚΤΕΛΩΝ . ΕΥΧΗΝ . ΕΜΗΝ

DEO . MAGNO . ET . FATO . BONO . VAL . VALENS
V . P . PRAEFECTUS . CLASSIS . MISEN
P . V . GORDIANAE . VOTUM . FECIT .

Tacitus Annal. lib. XV. c. 46 narrat Neronis tempore classis Misenensis partem tempestate submersam hisce locis: hinc scribit; *Sed certum ad diem in Campaniam redire classem Nero iusserat, non exceptis maris casibus. Ergo gubernatores quamvis saeviente pelago a Formiis movere: et gravi Africo, dum promontorium*

Miseni superare contendunt, Cumanis litoribus impacti triremium plerasque, et minora navigia passim amiserunt. Hinc crediderim in Misenensi portu utpote appulsu difficili identidem naves procellis effractas; hinc etiam hunc Valentem classi praefectum puta ex naufragio ereptum Neptuno deo magno votum solvisse, lapidemque hunc posuisse. Horatius Misenensis maris laudat echinos, qui in hac acta capiebantur Saty. lib. II. 4

Murice Baiano melior Lucrina peloris;
Ostrea Circeis Miseno oriuntur echini.

Antiquum aedificium.

Super hoc litore restat adhuc aedificium illud, quod vulgo dicitur *Cento Camerelle*: haec rudera fortasse ad villam Dictatoris Caesaris pertinuerunt. Ea villa litori imminebat; restat ea super parvum collem, prospectatque sinuosum mare, et nunc haud procul distat ab S. Annae templo in ipso Baulis vico. Ipsa est penitus sub ruinis, et vix pauca illius pars nobis pervenit. Eandem autem aedificii dirutam partem, quae manet, quaeque ab accolis salutatur *Cento Camerelle*, quasdam cellas vinarias, vel olearias fuisse putarim; mancipiorum vero carceres esse falso tradunt alii. Sunt etiam qui locum hunc aquis recipiendis inservisse existimarunt: at negant nostrates auctores, quippe quod et fabricae huiusce structura, atque forma haud aquam ad continendam potis erat. Vetustum idem aedificium in praesentiarum sub terra restat, et olim supra collem mirum in modum constructum: post Novi Montis conflagrationem loca isthaec fuere omnino mutata. Hodiedum tandem supersunt plura ruinosa cubicula, quorum pars subterranea sunt prorsus tam perplexa ostiorum ambage, ut sine duce, fixoque funiculo negetur exitus. Guicciardinius Mercur. Camp. pag. 244 locum istum hoc modo describit: *A piscina mirabili aliud subterraneum aedificium non multum abest. Cento Camerelle appellat vulgus: nec iniuria: adeo siquidem implicato calle, confusisque tramitibus, huc,*

illucque extenditur, ut pro veri labyrinthi ichnographia deliberanda, non ultra Ægyptus, aut Creta sit adeundi. Statim ac in illud caput dimiseris, tot ostia, tot cubicula, totque semitae occurrunt, ut curiositas ipsa trepidet. Implicatissimum hoc aedificium, implicatissimum Neronis ingenium agnoscit auctorem.

Piscina Mirabilis.

A Baulis vero Baianum collem adscendentibus fit obviam nobile illud aedificium, quod omnium sermone, et praecipue ab incolis *Piscina Mirabilis* nuncupatur. Ea quadratis pilis (1) XLVIII. est suffulta. Longitudinem CCL. latitudinem CLX. pedes habet. In quinque porticus seiungitur opere lateritio, et solida interne structura. Eam recipiendis aquis e Serinensibus montibus huc deductis Claudium Imperatorem construxisse rusticantium commodo scribit Pontanus de Bello Neapol. *Memoria mea multis in locis inter Baianas, atque Puteolanas ruinas fistulae plumbeae mirae crassitudinis inventae sunt: in quibus Claudii Augusti nomen inscriptum erat. Vestigia lateritiae substructionis in Sarnensibus, Nolanis, atque Acerranis finibus: ac tum subterranei specus: tum montes pluribus locis perforati ostendunt a XL. milliaribus continuatum, et quidem amplissimum aquarum ductum, qui Neapolim primo* (vestigia habes apud S. Mariam, vulgo *de' Monti a Ponti Rossi*, et in aedibus Principis Montis Militum, *Monte Miletto*, seu ubi dicitur *I Ponti di Gesù*, *e Maria*, ut diximus lib. III.) *deinde Puteolos, Baias, Cumas . . . . derivatum est.*

Sunt qui arbitrantur, hanc aquam haud a Serino venisse, cum opus hoc Romanis difficillimum evadere potuisset. Hinc nonnulli scribunt, eandem aquam pluvialem esse potuisse, quae olim Romanis ipsis remedium

---

(1) Paries huius aedificii est, adeo durus, ut ferro adimatur oportet: isque a nostratibus nuncupatur *Stalagmitica*: ad plures usus is aptus est.

veluti potius in more fuit posita. Ad hoc probandum Strabonis lib. V. auctoritatem afferunt. Alii hanc piscinam existimant haud Romanae inservisse classi, sed ab Hortensio oratore magnificam heic constructam fuisse villam, et in ea piscina muraenas conservasse, quae tunc temporis in pretio erant ipsis Romanis. Ad hoc probandum Plinii textum Hist. Natur. lib. IX. c. 57 afferunt, qui scribit: *Apud Baulos in parte Baiana piscinam habuit Hortensius orator, in qua muraenam adeo dilexit, ut examinatam flevisse credatur. In eadem villa Antonia Drusi muraenae, quam diligebat, inaures addidit: cuius propter famam nonnullis Baulos videre concupierunt.*

Eruditus Winckelmannus in epist. supra Herculan. hoc magnum aedificium ab Agrippa excitatum arbitratur, quo aquas Misenensi classi illic moranti subministraret. At quidquid id rei est, utrum ea villa ad Hortensium, an ad alium pertinuerit, haud certe constat. Piscina isthaec tam magna est, ut haud ad unum virum tantum pertinere potuerit. Quapropter credendum eam Romanae classi potius deservisse ad Misenum immoranti, et aquam pervenisse ex Serini montibus.

CAPUT VIII.

De Miseno (1), *eiusque portu, de villa Luculli, de Militum Schola, de Piscina Dragonaria, de lacu Acherusio, deque Vaciae villa.*

Hactenus ea loca perlustravimus, quae quondam sinum exornabant Puteolanum, necnon et Baianum cum

---

(1) Huius montis etymon Martorellius Colon. Fenic. pag. 7 ab Hebraeo derivat, quod *acutum scopulum* significat, quia longe navigantibus mons hic acutus videtur. Antiquissimis vero temporibus hunc montem conflagrasse fama est, idque videtur ita

lacubus, villis, atque montibus: nunc hoc capite vicina describemus loca.

Misenum. Primum occurrit Misenense promontorium (1), quod veluti montium propinquorum rex supra mare adsurgit. Hoc inter occidentem est, et meridiem Puteolani sinus, quod nomen a Miseno Æneae socio, et tibicine ipsi inditum est, ibique tumulato, ut ex Mantuano vate canente constat Æn. VI. v. 282

At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, remumque, tubamque
Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, aeternumque tenet per saecula nomen.

Verum iuxta Maronis mentem non heic tumulatus tibicen Misenus, sed supra aliam promontorii partem, quae nunc dicitur *Monte di Procida*, haud obstante poetae

---

fuisse, cum adhuc nostra aetate vulcanicas continere materias, quae passim super hoc monte adspiciuntur, evincatur.

(1) Cl. Scottus, Dissertaz. Corogr. di Pozz. e Cuma, pag. 28, et seqq. solidis argumentis probare nititur, hoc Misenense promontorium non fuisse illud a Virgilio indicatum, sed esse proprie intelligendum aliud, quod nunc vulgari lingua dicitur *Monte di Procida*, pretiosis abundans hodiedum vinis. Virgilius haud aliter intellexit: describens enim Æneae adventum ad vicinam urbem Cumas, et loca ab ipso visa, et Sibyllam, haec nonnisi in Cumana ora extitisse innuit. Idem vates Mantuanus totam Miseni tibicinis historiam narrans, et exequias, omnia evenisse super eandem oram canit, cum praesertim ligna apta ad pyram struendam ex vicina silva Gallinaria fuere collecta. Ex his omnibus argumentis idem Scottus clare arguit hoc Miseni promontorium pro *monte di Procida* esse intelligendum. Nec obstat quin Virgilius huic monti epitheton *aerii* dederit, cum humilis sit mons supra mare: idem Scottus *aereum* explicat pro *plano*. Iuxta eundem Miseni promontorium etiam significandum videtur illud, de quo supra diximus. In Cl. Scotti sententiam descendit etiam Iorius, Guida di Pozzuoli, pag. 168.

textu *monte sub aerio* : aliter heic esset Cumana, vel Euboica ora, quae reapse est prope Cumas ex ea parte, quae hanc respicit urbem. Ita sentit Scottus, Dissertaz. Corograf. di Pozzuoli.

Heic autem expendendum arbitror, quo in loco fuerit antiquum opidum Misenum. Omnes patrii scriptores hanc urbem ponunt super promontorium, quod occidentem respicit: sed hoc impossibile quidem esse potuit, cum locus hic urbem comprehendere haud posset propter eiusdem loci brevitatem, cum mons supra mare immineat; neque heic nisi pauca rudera adhuc supersunt, quae haud ad urbem pertinuerunt. Alio igitur loco conlocanda est urbs Misenum: at quo in loco? non in alio, nisi supra aliam montis partem, quae ortum respicit, isque locus hodiedum parum distat a *Monte di Procida*, et ubi adhuc dicitur *il Vescovado di Miseno*. Ibi enim plura antiquitatis rudera adhuc restant, et locus satis amplus ad urbem continendam aptus erat. Quamvis enim de hisce vetustis aedificiis nihil sit colligendum, cum omnia heic temporum iniuria deperierint, tamen accolarum ea est traditio, ut nonnisi in hoc loco urbs antiqua sit ponenda. Cl. Iorius, Viaggio di Pozz. pag. 161 et seqq. post diligentissimum examen credit heic urbem fuisse. Ex pluribus vetustis ruinis, et inscriptionibus repertis, quae de urbis Episcopis faciunt verba, arguit Misenum urbem hoc in loco statuendam esse. Praeterea sepulchretum, quod prope urbem eandem aderat, quodque ad ipsam pertinuit. Haec urbs igitur erat inter paludem Acherusiam, et hodiernum Castrum Baianum, vulgo *Castello di Baja*. Vrbs antiqua.

Haec vero urbs posita super amoenum promontorium, et commodum habens portum, ut diximus, cum vicinis, et dissitis urbibus commercium exercuit opportunissimum; hanc ob rationem ipsa brevi tempore civium frequentiam continuit, ibique Romani villas habuere. In hanc urbem quondam Coloniam deductam esse liquet ex

marmore reperto apud Misenum, ut legitur apud Scottum loco citato, pag. 14.

Hanc postea sequiori aevo, evulgata Evangelii praedicatione undique, fidem recepisse produnt Ecclesiae Christianae Fasti. Divum enim Paulum, quo tempore in Italiam advenit, et Puteolos appulit, ibi fidem Christi praedicasse constat: quo tempore vicina opida, et Misenates ipsi Christianae fidei Religione sunt imbuti. Saeculo autem tertio, et quarto ineunte cum magis ethnici Imperatores in Christianos saevirent, et praesertim cum persecutio in Christi fideles imperantibus Diocletiano, et Maximiano maxime exarderet, tunc B. Ianuarius Beneventanus Praesul Puteolos fuit perductus, ubi Sosium Ecclesiae Misenatium Diaconum in carcerem inclusum reperit. Hinc omnes ad Vulcani Forum capite plexi fuere, qui postea ab unaquaque urbe in patronos (1) vindicati fuere. Inter alios huius urbis Episcopos memoratur Benenatus, cuius mentionem facit S. Gregorius Dialog. lib. II.

Conlapso tandem Romanorum imperio, Misenum, cunctaeque aliae Campaniae urbes a maiestate sensim ceciderunt, donec anno DCCCXXXVIII. Barbarorum ma-

---

(1) Olim apud Ethnicos mos viguit patrios deos sibi in tutelam seligere, qui singulas urbes sub eorum habebant custodiam; hosce *Deos Patrios*, et *Communes* placuit appellare. Verum Christianorum introducta Religione, ac inanibus diis, atque templis eversis, tunc Sanctorum patrocinium invexerunt, et praecipue illorum, qui pro Christo vitam amiserant, quosque Martyres inde compellarunt: iique veluti *Patroni*, ac *Tutelares* habiti. Misenates inde, et vicinae civitates eos sibi in tutelam vindicarunt, qui olim sanguinem effuderunt. Hinc legitur in Act. Bonon. a Mazochio allatis Vindic. Repet. pag. 40 *Cum unaquaeque plebe sollicite suos sibi Patronos rapere festinarent, Neapolitani B. Ianuarium sibi patronum tollentes a Domino meruerunt, et Puteolani S. Proculum . . . . tulerunt, et Misenates Sanctum Sosium Diaconum . . . . . tulerunt, et posuerunt in Basilica* etc.

nus Italiam, et Campaniam simul depopulatae fuere, et praesertim Langobardi eodem tempore hanc urbem occuparunt, et tandem penitus eversa fuit a Saracenis anno DCCCXLV. iuxta omnes auctores, et inter alios Mazochius Kal. Neapol. pag. 346 mentionem facit.

In hoc vero terrarum orbis angulo amoenissimo fuere magna aedificia, et villae nobilissimae. Iam ante memoravimus admirandam illam piscinam super hoc litore constructam. Lucullus autem prae ceteris loca isthaec adamavit, ibique villam ex tot aliis magnificentissimam possedit, maximoque sumptu aedificatam. In villa Misenensi praeter alia muraenarum vivaria, piscinasque construxit. Ex Tranquillo in Tiberio c. 73 hunc Imperatorem supremam heic obiisse diem constat. Tacitus eandem memorat Annal. lib. VI. c. 50 et Phaedrus de ea sic etiam scribit. lib. II. Fab. 5 Villa Luculli.

Caesar Tiberius cum petens Neapolim,
In Misenatem villam venisset suam,
Quae monte summo posita Luculli manu,
Prospectat Siculum, et prospicit Tuscum mare.

Super hoc etiam litore fuit etiam villa Gracchi, qui legem tulerat Agrariam. Praeter urbis Miseni theatra, quorum nunc nulla superest memoria, fuisse et aliud constat super litus classis Misenensis commodo: huiusce theatri ruinae extant adhuc ibi. Super idem promontorium fuit olim pharus instar Puteolanae a Plinio memoratae Hist. Natur. lib. XXXVI. c. 12. Veteres quondam coloniae ex temporibus remotissimis Graiorum usus in nostris regionibus invectarunt: quapropter ad navigantium commodum hanc molem erexerunt: ea fortasse adhuc extabat, cum Romani hisce dominati sunt locis; sequiori aevo eversa, et inde nullum superfuit vestigium. Id omne accipimus ex Romanae historiae scriptoribus, qui hoc memoriae prodidere.

Illa vero pars, quae iacet inter Misenum, et mon- Militum Schola.

tem, quem indigenae compellant *Monte di Procida*, et alluitur a Mari Mortuo, hodiedum dicitur corrupte *Miliscola*, qui locus olim Militum Schola reapse fuit, ut etiam patet ex reperto lapide a Scotto recitato pag. 85. Hinc armatura, et schola armaturarum est eadem, ac militum schola, ut loquitur Vegetius lib. II. c. 19 unde corrupte *Miliscola*. In hoc vero loco magna militum pars, quin imo Misenensis aderat classis; Romanos fortissimas habuisse in Italia eiusmodi classes, primam in Ravennae portu, alteram apud Misenum, constat ex Tranquillo in Aug. c. 49 *Ex militaribus copiis legiones, et auxilia provinciatim distribuit: classem Miseni, et alteram Ravennae ad tutelam Superi, et Inferi maris, collocavit.* Et Tacitus Annal. lib. IV. c. 5 *Italiam utroque mari duae classes, Misenum apud, et Ravennas, proximumque Galliae litus rostratae naves praesidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in opidum Foroiuliense miserat valido cum remige.* Vegetius lib. IV. c. 31 hunc portum memorat. Videsis Stevechium in hunc auctorem, qui ipsum dilucidat.

Piscina Dragonaria.

A Miseno haud procul est Piscina Dragonaria; nunc *Grotta della Traonara* appellant accolae, ita dicta quod tortuosum habeat iter: huius Suetonius in Nerone c. 31 mentionem facit hoc modo: *Inchoabat Piscinam a Miseno ad Avernum lacum contectam, porticibus conclusam, quo quidquid totis Baiis calidarum esset, converteretur.* Plinius Hist. Natur. lib. XIV. c. 6 etiam eandem memorat; *Magis tamen Fossa Neronis, quam a Baiano lacu Ostiam usque navigabilem inchoaverat.* Haec autem piscina ad natandum, non ad alendos pisces a Nerone comparata videtur, quales multae in lautorum domibus fuerunt, ut compertum est ex Tranquillo in Nerone c. 27.

Lacus Acherusius.

Mille vero passus ad meridiem ex Misenensi portu, sive Mari Mortuo extat celebratus olim ille lacus Acherusius nempe, seu Acherusia palus, hodiedum *Fusaro*,

vel *lago di Coluccia*, non procul a turri, quam dicimus *Gavitam*. Ea palus parum a Cumis distat, ut scribit Strabo lib. V. Geogr. Ex hoc loco ad inferos esse viam ad unum omnes fabulati sunt poetae: inter alios Lucretius lib. VI. v. 763

Ianua ne his Orci potius regionibus esse
Credatur postea: hinc animas Acheruntis in oras
Ducere forte deos maneis inferne reamur.

Et Virgilius Æneid. VI. v. 295

Hinc via Tartarei, quae fert Acherontis ad undas.
Turbidus hic coeno, vastaque voragine gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.

In hunc lacum scelestorum animas inclusas veteres ethnici crediderunt. Huiusce fabulandi occasio derivavit, ut tradit Strabo lib. V. ex eo quod calidi, et aestuantes fontes heic sint: accepta apud omnes isthaec fabula finitimis lucrandi per dolum occasionem praebuit, qui quodam initiati ritu haec loca placatis prius Manibus summa religione advenientibus ostendebant, tum et oracula simulabant. Hinc fabulatum, ex hac palude cadavera immitti in ulteriorem ripam deferenda. Inde etiam nata est fabula de Charonte, qui animas nave veheret trans Stygem paludem.

Haud procul ab Acherusio lacu fuit olim villa Vaciae Romani equitis. Hic enim nomine P. Servilius Vacia Isauricus floruit anno ab V. C. DCLXXIV. quo tempore Consul fuit cum Appio Claudio: isque plura gessit bella, ac de pluribus saepe gentibus triumphavit. Tantas rerum reliquit divitias, ut vulgo post fata Dives fuerit appellatus. Villam eo loco condidit maximo sumptu, quam memorat Seneca lib. VII. epist. LV. Haec villa prout ex ruderibus liquet, quae restant, adeo fuit magna, ut aedificium praegrande, quin imo Castrum po- Vaciae villa.

tius esse videretur. Inter lateritia opera, et inter subterraneas ruinas plures statuae, numismata, et lapides reperti fuere.

Extitisse etiam quondam C. Marii villam apud Misenum nos docet Plinius Hist. Natur. lib. XVIII. c. 6 his verbis: *Novissimus villam in Misenensi posuit C. Marius septies Consul, sed peritia castrametandi, sicut comparatos ei ceteros etiam Sylla Felix coecos fuisse diceret* Circa ea loca fuisse quoque C. Cornelii Syllae Dictatoris villam ex Appiano de Bello Civili lib. I. compertum habemus, eamque haud procul a Cumis extitisse creditur, et in ipso agro Cumano. Plutarchus in eius vita heic pediculari morbo ob suas libidines, atque comessationes putrefactum eius corpus vitam finisse narrat.

CAPUT IX.

De Cumarum origine, maiestate, deque eiusdem ultima urbis ruina, atque fato.

Cumae. Puteolanum solum, et Baianum simul cum Misenensi promontorio (sicut supra demonstratum est) plenum celebratis villis, atque Romanorum aedificiis quondam fuit; nihilque aliud restat interim, quam vix misera recordatio: sicut enim diximus, ea loca non solum a temporum colluvie, et a Barbarorum manibus, verum etiam a terraemotibus pluries, a coeli inclementia, et igne e terrae visceribus deperdita, atque foedata fuere. Cumanus ager, ut mox enucleabimus, idem horrendum subiit fatum, et celeber evasit, cum a Barbaris praesertim vastatus; et hinc nulla ad nos pervenit memoria. Haec loca adeo sunt vetusta; ut quasi inter fabulas vera eius historia se perdat. At quidquid id rei sit, duce ipsa historia, nonnulla de tanta Cumanorum celebritate evolvemus.

Cumarum fundatio est tam prisca, ut post Troianum excidium fuerit condita. Graeci enim post longum

defatigati bellum, et post longam Troianae urbis obsidionem (si fides Homericae tribuenda sit historiae) Italiam adnavigarunt, eoque varias suae gentis Colonias per litora passim convectarunt, quas et in Magna Graecia, et in Puteolano agro, et in variis locis statuisse sedem ex historia compertum habemus. Velleius Paterculus lib. I. c. 14 LXXX. circiter post eversam Troiam, et Eusebius Chron. lib. II. CXXXI. annos post idem bellum eandem urbem aedificatam asserunt.

Praefatae Graiorum Coloniae fuere prae ceteris Arcades, Æritreenses, Euboicae, Chalcidenses, Atticae, aliaeque. Atticorum autem Colonia temporis progressu Chalcidem, Æritream, Cumasque urbes super Euboeam insulam fundavit; quae quidem Colonia aliquod post tempus seditionibus intestinis foedata, Italiam adnavigare coacta est ducibus Megasthene, et Hippocle (1) Cu- Diversae coloniae Cumas aedificant.

---

(1) Supra diximus, hanc urbem fundatam fuisse a Chalcidensibus, quae gens ex Euboea profecta ducibus Hippocle, et Megasthene magna stipatis hominum caterva. Primum iuxta Livium in Inarimen pervenere: en ut ex ipso habetur lib. VIII. c. 22 *Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt. Classe qua advecti ab domo fuerant, multum in ora maris eius, quod accolunt potuere. Primo in insulas Ænariam, et Pithecusas egressi, deinde in continentem ausi sedes transferre.* Ibi mulierem praegnantem (uti narrant) et dormientem super litus invenere; quo quidem augurio, bono capto omine, fertilitatis hic terrarum angulus fuit aestimatus. Nova hinc ita urbs est aedificata, quam et Cumas dixere, a vocabulo Κυμάομαι, *dormio*, ut Servius adnotavit in Æneid. VI. v. 1 vel ἀπο τῶν κυματῶν, *a fluctibus.* Contiguum quippe litus instar scopulosi dorsi mari est obiectum: inter quod et proxmam insulam Ænariam, immanium fluctuum motus, et ventorum impetuosissimi flatus fiebant.

Ea vero longa pace, et fortunae indulgentia floruit: hinc Strabo lib. V. Geogr. subiungit: Πρότερον μὴν οὖν ἠυτύχει: *ab initio fortunata fuit urbs.* At nescio qui sinistri rerum eventus sequiori aevo accideriut: Campani enim huius florentis urbis invidia capti, eam evertendam statuerunt; novi hinc cives alio

*

manis, qui huc transvecti, Chalcidem, Cumasque urbes aedificarunt. Id omne accipimus ex Strabone lib. V. Geogr. Idem confirmat Velleius lib. I. c. 4 narratque huiusce classis cursum columbae volatu fuisse directum.

Vrbs aedificata ab Hippocle Cumano celebris evasit, quae ad Graiorum formam muro circumvallata, et turribus fuit septa per orbem: quod opidum fuit conditum supra collem ad mare cum portu opportunissimo. Hunc memorat Patavinus auctor lib. XXIV. c. 30 hoc modo: *Auctores erant quidem, ut protinus inde Cumas duceret, urbemque oppugnaret. Id autem immodice Hannibal cupiebat, et qui Neapolim non haberet, Cumas saltem maritimam urbem haberet.* Et ex Sannazario lib. II. Eleg. 9 de Cumarum ruinis illacrimante accipimus.

Et vagus antiquos intrabat navita portus,
Quaerens Daedaleae conscia signa fugae.

Hinc passim aedificia publica, et sacra cum viis Graecorum instar vario tempore adiecta fuere. Inter alia adnumeratur prae ceteris Apollinis (1) templum, cuius meminit Mantuanus vates Æneid. VI. v. 9

. . . . Arces, quibus altus Apollo
Praesidet.

---

sedem deligendam curarunt. Sic narrat Halicarnassaeus lib. VIII. hinc subiungit Paterculus lib. I. c. 14 *Haec gens Neapolitano allecti Cratere, ibi urbem, suamque transportarunt coloniam: pars horum civium magno post intervallo Neapolim condidit.* Odium in Cumanos anno ab V. C. CCCXXXV. effusum a Campanis fuit, ut prodit Livius lib. IV. c. 45.

(1) Cl. Iorius, Guida di Pozzuoli, pag. 114 et seqq. asserit duo in hac urbe Apollini templa olim dicata fuisse; unum a Graacis excitatum, et hoc antiquissimum, quod fortasse idem ipsum fuit, cuius meminit citatus supra Virgilius. Hoc templum

Post longam vero tempestatem respublica fuit florentissima sub nomine *Coloniae Cumanae Italo-Graecae.* Hinc tanta agrorum fertilitate, et divitiarum copia aucti fuere cives, ut Etruscis tunc imperantibus parere recusantes cum illis manus conseruerint, illorumque impetum fregerint. Strabo lib. V. Geogr. in longum narrat, Cumas plures passam vicissitudines, et praesertim pleraque egisse bella non solum cum longinquis, verum etiam cum vicinis gentibus, donec Romani subactis populis, hanc etiam in suam redegerunt potestatem. Postea iidem urbis capti deliciis, commercio opportunissimo, et divitiis, villas, et aedificia passim eo in loco condidere.

Livius lib. II. c. 20 in hanc urbem testatum reliquit, Tarquinium Superbum extremum Romanorum Regem confugisse, postquam e throno fuit exactus per Brutum, ibique vitam egisse privatam, donec e vivis excessit. Halicarnassaeus vero lib. VII. Aristodemum Cumarum tyrannum ad huius urbis dominium ita pervenisse narrat. Quo tempore bellum persaevum inter Etruscos, et Cumanos ortum, nobilis quidam divesque iuvenis Ari-

---

erat supra arcem : nunc pauca rudera supersunt. Alterum huiusce numinis templum a Romanis fuit excitatum haud longe ab arce Cumana : ab eiusdem fabricae constructione, et a lapidibus Latinis characteribus ab eodem auctore repertis clare eruitur, templum nonnisi a Romanis aedificatum. Inter alia marmora nuper effossa hoc legitur :

APOLLINI . CUMANO
Q . TINEIUS . RUFUS .

Hoc templum fortasse conversum in Ecclesiam Cathedralem Cumanam arbitratur idem auctor. Haec Ecclesia adhuc extabat anno MCCVII. quo tempore Anselmus Neapolitanus Episcopus sollemni pompa Martyrum lypsana ex hac urbe in Castrum transtulit Lucullanum.

stodemus Malacus nomine inter alios fortior fuit, qui Etruscorum ducem in praelio necavit: quam ob causam hostes fugam arripuerunt, et ita bellum confectum. Cumani inde hunc suae urbi praeficiunt. Hic vero Aristodemus temporis progressu a suis civibus fuit necatus, quippe quod eius regimen ad extremum severitatis pervenerat.

Cum vero in Italiam descendit Hannibal, cunctis in Poeni ducis potestatem subactis, Cumae etiam in ipsius imperium redactae iam fuissent, nisi Sempronius Gracchus Romanus Consul eandem liberasset urbem. Celebre per id temporis festum a Campanis peragebatur quotannis in Silva Hama, quae postea Silva Gallinaria, et nunc *la Paneta di Patria*, ubi omnes ex urbibus cunctis Campaniae ad festum celebrandum conveniebant accolae. Campani hinc quo Cumas in Hannibalis manus darent, hanc adstruunt fraudem. Cumanorum senatum, et gentem ad festum invitant. Interim Sempronius castra ad Linternum posuit. Iam Campani ad Hamam silvam frequentes convenerant ex composito, nec procul aberat Marius Alfius Campanus in occulto, qui erat *Medituxticus*, sive summus magistratus, qui cum XIV. millibus militum castra habebat. At Campani spe frustrati fuere; nam Cumani Graccho arcessito, dum nocturnum edebatur festum, dato signo, alios stratos somno, alios perpatrato sacro inermes redeuntes obtruncat. In eo tumultu caesa plus duo millia cum ipso duce Mario Alfio, et capta fuere signa militaria quatuor, et triginta. Tunc temporis Hannibal castra habebat ad Tifata, qui re cognita, cum exercitu Cumas adpropinquavit, eamque urbem obsedit; interim Gracchus urbem ad defendendam accurrit. Livius qui rem omnem enarrat lib. XXIII. c. 36 Cumanos, ait, et Sempronium tam strenue cum Hannibale pugnasse, ut facta ex portis eruptione, hostium stationes fuderint, atque fugarint. Sic Cumae ab Hannibalis obsidione liberatae fuere, Cumanorumque studium, et amor in Romanos peregregie demonstratus.

Cumanos insuper habuisse olim agrum satis extensum, et feracem ex omnibus confirmatur vetustis scriptoribus, uti Patavino historiographo, et praesertim Halicarnassaeo lib. VIII. quod confirmat Strabo lib. V. Huiusce rei tot villae celebratae, totque domus in hisce locis fidem adhuc ostendunt. Baias olim insuper agri Cumani partem fuisse ex Dione lib. XLVIII. n. 50 accipimus. A tanta vero rerum, atque divitiarum copia, quae illi a natura donatae fuerunt, urbs cecidit, postquam Romani illam occuparunt, et ad illum statum fuit redacta, ut ibi Coloniam deduxerint. Hinc ratione affirmat Frontinus lib. de Colon. his verbis: *Cumae muro ducta Colonia, ab Augusto deducta.* Inde in Municipium fuit conversa, quod accidit circiter annum CCCCXV. Id confirmatur ex lapide allato a Capacio Hist. Neapol. lib. II. c. 20. Quod evidentius a Livio comprobatur lib. III. c. 10 *Item ut Municipes Cumani essent, pridie quam populus Campanus a populo Romano defecisset.* Sunt qui hoc opidum narrant etiam Praefecturam evasisse, idque probant ex Festo. Tantaene olim urbis misera conditio!

Quo vero tempore Puteoli, Baiae, et vicina loca a Romanis habitata fuere, tum Cumae vetustate collabentes derelinqui coeperunt. Hinc Iuvenalis Satyr. III. v. 2 has describit iam prope derelictas, quo tempore praefata loca adamata, et in pretio fuerunt. Hinc laudatus poeta Vmbritium quendam rogat, uti Romam deserat satis frequentem urbem, et vitiis abundantem, quo Cumas prope desertas, et vacuas petat:

Laudo tamen vacuis, quod sedem figere Cumis
Destinet, atque unum civem donare Sibyllae.

Hodiedum de huiusce urbis magnificentia nihil aliud restat, quam passim per collem, perque agros perplura vestigia: inter quae numeratur *Arcus* ille vulgo *Felix* nuncupatus. Hoc aedificium lateritio fuit opere, si-

cuti apparet ex ruinis, idque inserviit ad urbis pomoerium, uti fama est. Hoc fuisse a Cumanis fortasse conditum vel ad urbem tuendam in arcis formam, ut ex eiusdem situ inter duos colles videre est, ne hostibus pateret, si bellum aliquod ingrueret, vel potius murorum ambitus partem fuisse verisimile est.

Aliud aedificium quod adsurgit, *Gigantis* vulgo dicitur templum, quod Iovis esse creditur, et Gigantis compellatum a colossoli statua ibidem reperta, quae quondam translata ad Regium Neapolitanum praetorium exornandum inserviit: nunc eiusdem caput extat in Regio Museo Borbonio. Templum hoc rotundum fuit, ut ex ara quae restat adhuc videre cuique licet. Adsunt vero immensae super litore ruderum reliquiae, ut domorum, viarum, atque aedificiorum cum publicorum, tum privatorum, et praecipue in agris plura sepulchreta cum eruderatis lapidibus. Praetereo Apollinis templum ante memoratum, quodque a longinquis, exterisque oris advena ad colendum veniebat. Sannazarius flens de ipso templo cecinit lib. II. Eleg. 9

Longinquis quo saepe hospes properabat ab oris,
Visurus tripodas, Delie magne, tuos.

Anno vero MDCVI. effossum fuit etiam Cumis templum a Cardinali Aquaviva Neapolitano Archipraesule ordine Corinthio, et marmore stratum, quod ab Agrippa Augusto dicatum videtur. Plures eo tempore statuae erutae, et Neapolim advectae fuere.

Prope Cumas, vel fortasse intra ipsos vetustos murorum ambitus fuit Amphitheatrum: hoc nunc temporis terrarum aggestionibus adeo repletum est, ut vix eiusdem suprema pars videatur. Miror interim ipsum a nonnullis patriae scriptoribus falso Circum auditum Cumanum: verum ex ipsius structura hoc nonnisi Amphitheatrum fuisse satis cognoscitur.

Cumani olim insuper fuere praeclari vasis fictilibus elaborandis: nam sicut Pithecusanis erant propin-

qui (de quibus infra prodibit sermo) Cumani inde utpote vicinitate, commercio, eodemque populo oriundi, vasis hisce efficiendis celebres evasere. Martialis lib. IV. Epigr. 50 Cumana isthaec laudat vasa:

. . . . . Samiae convivia testae,
Fictaque Cumana lubrica terra rota.

et Columella lib. X. v. 129 Cumanos commendat caules:

Frigoribus caules, et veri cymata amittit,
Quae pariunt veteres cesposo littore Cumae.

Antequam alio progrediamur, dicendum restat hanc urbem ultimam sui ruinam, atque fatum a Barbarorum manibus expertam. Procopius lib. IV. c. 35 narrat hanc urbem a Totila occupatam fuisse, qui per id temporis tota Campania, Samnio, Lucania, aliisque provinciis dominatus fuerat, donec Narses Iustiniani Imperatoris dux post natum Christum DLIII. in Italiam advenit, ubi cum Totila congressus, illum interfecit. Hinc Gothi fato functo eorum duce, et Rege, in eiusdem locum Teiam suffectum Regem consalutarunt. Narses igitur, Italia domita, populis, atque urbibus, ad Cumas adpropinquavit, quam Aligernus Teiae frater defendebat, quae tunc fortissima habebat moenia, ubi thesauros peringentes absconderat Teias. E principio urbe haud capta, utpote hostibus resistentibus, Narses Teiae exercitum maximum, qui tunc ad Sarnum tendebat flumen, devicit, profligavitque. Sic Cumae a Barbarorum manibus ereptae; totoque Gothorum regno extincto, thesauros plurimos ibidem reperit: ita rursus restituta Italia fuit Romanorum dominationi, et Cumae in libertatem redactae. Adest lapis non longe a Cumis repertus pluribus abhinc annis, a Pratillio recitatus De Via Appia lib. III. c. 5 ex quo constat, quendam Nonium Erastum Campaniae praefectum Iustiniani fortasse tempore Cumarum moenia re-

staurasse, quae Gothico in Italia exeunte bello diruta, et eversa fuere.

Langobardi vero anno DCCXV. sub Romualdo duce urbe sunt potiti: posteaque Saraceni illam igne concremarunt, postquam ad ultimam redegerunt internecionem, nullasque urbis reliquias deseruere; tandem temporum colluvies, et aeris, et maris aestuantis fluctus, et tempestates, et terraemotus ipsi ultimam sui ruinam, atque manum dedere.

Evulgato Christi Evangelio per Apostolos, et Discipulos (in hac urbe fortassis per ipsum Apostolum Paulum, cum Puteolos advenit, vel alium e LXXII. Discipulis), statim in Episcopatum urbs fuit evecta. Inde S. Gregorii Magni aevo memoratur Episcopus Cumanus: qui quidem Romanus Pontifex Maximus Ecclesiae Misenensi eundem adiunxit Episcopatum. At temporis progressu sive urbe senectute conlapsa, sive bellis civilibus, si quae aderant; sive Barbaris potius in eam saepissime irruentibus, isthaec unio constans, et permanens haud fuit. Hinc utraque Ecclesia Cumana, et Miseuensis in Neapolitani Archipraesulis iura transivit, uti adnotat Chioccarellius De Episcop. Neapolit. pag. 153. Sunt qui scribunt Cumanum Episcopum cum Aversano coniunctum fuisse: ita sentit Vghellius De Episc.

CAPUT X.

Fossa Neronis, Silva Gallinaria, lacus Liternus, urbs Liternum, Scipionis nobile Sepulchrum, vicus Feniculensis, via Vicana, campus Leborius, pagus Maranus, et Iulianus describuntur.

Postquam Cumarum originem, maiestatem, utque in aliorum manus pervenerint, utque tandem post longam saeculorum longaevitatem per Barbaros Italiam misere occupantes corruerint, perspeximus, nunc restat ut ad alia describenda loca a Cumis haud procul acceda-

mus. Primum sermo erit de Neronis Fossa, de qua heic pauca.

Neronis Fossa extendebatur ab Averno usque Cumas, et ad Ostiam usque, ut tradunt veteres auctores. Inter alios Suetonius scribit in Ner. c. 31 *Fossam ab Averno Ostiam usque, ut navibus, nec tamen mari iretur, longitudinis per CLX. milliaria: latitudinis qua contrariae quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratia, quod ubique esset custodiae in Italiam deportari, etiam scelere convictos, nonnisi ad opus damnari praeceperat.* Tacitus etiam Annal. lib. XV. c. 42 de eadem Fossa sic enarrat: *Namque ab lacu Averno navigabilem Fossam usque ad Ostia Tiberina depressuros promiserant, squalenti litore, aut per montes adversos: neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomptinae paludes: cetera abrupta, aut arentia: ac si perrumpi possent, intolerandus labor, nec satis causae proxima Averno iuga connixus est; manentque vestigia irritae spei.* Quinam autem fuerint huiusce operis magistri, explicat idem auctor irritum consilium fuse tradens, *Magistris, ac machinatoribus Severo, et Celere, quibus ingenium, et audacia erat, viribus principis illudere.* Neronis Fossa.

Non procul a Silva Hama, de qua ante diximus, fuit alia sub nomine Gallinariae, vulgo *la Paneta di Patria.* Huiusce meminit Strabo lib. V. Geogr. et praesertim Cicero lib. IX. epist. 23 his verbis: *Heri veni in Cumanum, cras ad te fortasse . . . . etsi Marcus Ceparius cum mihi in Silva Gallinaria obviam venisset, quaesissemque quid ageres, dixit, te in lecto esse.* Varro de R. R. lib. III. sic eam describit: *Silva Gallinaria a gallinis rusticis dicta, est in mari Thusco, secundum Italiam, contra montes Ligusticos.* Iuvenalis Satyra III. v. 306 hanc silvam canit, olim etiam latronibus fuisse vexatam. Silva Gallinaria.

Prope Cumas est antiquus eiusdem portus quondam Lacus. Liternus

Liternus lacus ab accolis appellatus, *lago di Follicola*, et corrupte *lago di Licola*, et *lago di Patria*. Livius lib. II. c. 10 huiusce lacus mentionem facere videtur his verbis: *Poenus contra Formiana saxa, et Literni arenas, stagnaque perhorrida situ hibernaturus*. Et Valerius Maximus lib. V. c. 3 n. 2 Literni paludem *desertam* nominat. Ex historia compertum habemus, hunc portum celebrem fuisse huius opidi. Cumani enim (ut plures produnt auctores) maxime maris opportunissimo commercio addicti fuere: hinc eo ex tempore lacus hic portus ad tutam, firmamque navium evasit stationem. Augusti autem aevo M. Agrippa classibus, et portubus praefectus hunc portum meliorem redegit in statum, euripoque facto navigabilem reddidit, intermissa etiam aqua in lacum Avernum. At post tot tantosque divitiarum sumptus, sequiori aevo ad nihilum fuit hic portus redactus, et lacus iterum emersit. Hodiedum ob aquas heic stagnantes aer pessimus exhalat, locusque ad fugam captandam homines insinuat.

Vrbs Liternum. Non procul ab hoc lacu fuit urbs Liternum (1) super vetustam viam Domitianam ad XXIV. a Sinuessa lapidem: nunc urbs vetus vulgo *Torre di Patria*. Haec antiquissima existimatur, sicuti aliae Campaniae Felicis urbes. Prope opidum fuit Clania palus, nempe lacus ille palustris, in quo Glanii (2) fluminis aquae convenie-

---

(1) Cl. Martorellius Theca Calam. tom. II. pag. 678 autumat hoc Literni etymon ab Hebraeo, vel Chaldaeo derivare *ad gallinas*, quippe cum haec regio hisce silvestribus abundaret gallinis: unde est, ut etiam vicina silva Gallinaria appellata fuerit. Hinc laudatus auctor subiungit ibidem: *Imo adhucdum id genus gallinas venatores capiunt prope Liternum, quarum ibi ingens multitudo circumvolitant, ac enutriuntur*.

(2) Haud parum a Literno decurrit Clanius fluvius, a Graecis Γλάνις, nunc *Lagno* nuncupatus: hic ex montibus Abellae oritur, transitque per Acerras, super Aversam, et in mare Tyrrhenum se leviter exonerat, non procul ab opido Literno. Fuit o-

bant: supra quem locum fuit collis, ubi Liternum adsurgebat. E Livio vero, Strabone, Silio, aliisque liquet, hanc a Chalcidensibus aedificatam, qui eodem a Cumis urbe Coloniam Italo-Graecam deduxerunt. Ex praefatis autem scriptoribus, et praecipue a Livio lib. XXVII. c. 12 liquido eruitur, eandem urbem fuisse Tyrrheni maris litoream, et non procul ab illa castra posuisse Consulem Titum Sempronium, cum Vulturnum transmeavit. Vrbs posteriori aevo tutissima eo evasit modo, ut haud vi capi posset. Postea Octavianus Augustus Coloniam militarem fecit, ut scribit Frontinus lib. de Colon. Quin imo in Praefecturae statum ipsa transiit.

Supra diximus, hoc opidum prope Clanium fuisse conditum, et in loco palustri: hinc eius aer haud salubris fuit, ut canit Ovidius Metamorph. lib. XV. et Silius lib. VII.

Hoc insuper Liternum opidum celebre fuit ob Scipionis Africani exilium, de quo licet heic pauca evolvere. Cneius Publius Scipio cognomento Africanus fuit unus e Romanis ducibus tam celebratus, ut ipso Hannibale strenuior evaserit, aliosque antiquitatis duces gloria, et armis superarit, cuique plurimum Roma debuerit. Hic Hannibalem, Syphacem Regem, ipsamque Carthaginem e fundamentis Romae urbis aemulam evertit. Hunc Romani Consulem pluries, et Dictatorem crearunt; at Romana plebs Tribunorum opera illi insidias paravit, quem peculatu accusarunt, quod Antiocho Regi pacem vendidisset. In senatum igitur adveniens respondit, *esse*

Scipionis sepulchrum.

---

lim maioris latitudinis, quam nunc est, et a Lycophrone celebratus v. 717. Appianus de Bello Civili lib. I. Liternum, vel Clanium fluvium fuisse eundem ac Lirim scribit; Strabo lib. V. Lirim ipsum Clanium appellat. Hinc Plinius Hist. Natur. lib. III. c. 5 idem significat; *Colonia Minturnae Liri amne divisa, Glani appellato*: eandem hinc originem Clanium, atque Lirim habuisse videtur.

illa quidem die annum iam exactum, in qua cum Hannibale dimicantem superasse, et Carthaginem Romano Imperio in ditionem dedisse. Ita narrat Livius lib. XXXVIII. Quibus dictis, dimissaque concione, Senatu, populoque ad templum perrexit, quo grates diis ageret Inde Roma egressus, Liternum petiit urbem, ubi vitam egit quietam, ibique fato functus est. Sui et Sepulchrum, et statuam cum hoc erexerunt lapide: INGRATA . PATRIA . NEC . OSSA . QVIDEM . MEA . HABES . Plutarchus in eius vita, Romanos testatur, ingrati animi poenitentes tanto viro in urbem magnificum cenothaphium publico ex aerario posuisse. Apud Caietam in marmoreo sepulchro, aeneaque urna haec scripta reperiuntur.

Devicto Hannibale, capta Carthagine, et aucto
Imperio, hoc cineres marmore tecta habes.
Cui non Europa, non obstitit Africa quondam,
Respice res hominum quam brevis urna premat.

Seneca prae ceteris emphatice lib. XIII. epist. 86 de Scipione apud Liternum exulante sic scribit; *Vidi villam structam lapide quadrato, muro circumdatum silvae: turres quoque in propugnaculum villae utrinque subrectas: cisternam aedificiis, ac viridibus subditam, quae sufficere in usum vel exercitus posset: balneolum angustum, tenebricosum ex consuetudine antiqua. Non videbatur maioribus nostris calidum, nisi obscurum. Magna ergo me voluptas subit contemplantem Scipionis mores, ac nostros. In hoc angulo villae ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quod tantum semel capta est, abluebat corpus laboribus rusticis fessum. Exercebat enim opere se, terramque, ut mos fuit priscis, ipse subigebat. Sub hoc ille tecto tam sordido stetit.* Valerius Maximus lib. II. c. 10 de Maiest. sic etiam de hac Scipionis scribit villa: *Ad Africanum eundem in Linternino villa se tenentem, complures praedonum duces videndum eodem tempo-*

re forte confluxerant. Et lib. V. c. 3 n. 2 *Africanus superior non solum contusam, et confractam belli Punici armis rempublicam, sed pene iam exsanguem, atque morientem, Africae dominam reddidit: cuius clarissima opera iniuriis pensando vires, vici eum ignobilis, ac desertae paludis accolam fecerunt; eiusque voluntarii exilii acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, sepulchro suo inscribi iubendo: Ingrata . patria . nec . ossa . quidem . mea . habes.* Dissentit tamen a Strabone idem Valerius Maximus: non enim vicum, sed opidum Liternum dicit esse laudatus geographus lib. V.

Iam diximus ex Plutarchi auctoritate, Romanos olim Scipioni nobile Sepulchrum posuisse, quod haeredes eidem conlocarant: hoc quidem usque ad annum MDCXVI. (1) haud effossum fuit: quo tempore repertum est extra portam Capenam Romae, quae nunc sub S. Sebastiani nomine salutatur. In hoc autem Sepulchro plures lapides antiquis characteribus ad Scipionum familiam, atque gentem pertinentes fuere eo anno eruderati; iidem a Cl. Tiraboschio afferuntur, Storia della letteratura Italiana tom. I. pag. 367 edit. Rom. 1782.

De Scipionis Sepulchro, exituque varia tradidere scriptores. Alii Romae mortuum scribunt, et ad hoc probandum monumentum ad portam Capenam eidem erectum, et tres statuas superlocatas ferunt, quarum duae Publii, et Lucii Scipionum esse dicuntur: tertia Ennii poetae. Huic sententiae illud Ciceronis de Amicit. c. 4 suffragari videtur inquiens: *Carus Africano superiori fuit noster Ennius.* Et Plinius Hist. Natur. lib. IV. etiam ait: *Prior Africanus Q. Ennii statuam Sepulchro suo imponi iussit: clarum illud nomen, imo vero spolium*

---

(1) Idem sepulchrum iuxta Noctium Romanarum scriptorem eruderatum fuit anno MDCCLXXX. Confersis quae scribit idem tom. I. pag. 8 Edit. Rom. 1804.

ex tertia orbis parte raptum in cinere supremo cum poetae titulo legi. Literni hunc Africanum mortuum constat, ibique tumulatum, et monumentum ei factum, ac statuam suppositam, quam aetate sua eruderatam Livius se vidisse testatur.

Linterni insuper opidum stetit post Scipionis nobile exilium in florenti quondam statu sub Romanorum ditione usque ad annum post natum Christum CCCCLV. Symmachus qui floruit quarto Ecclesiae saeculo, Severiani cuiusdam meminit lib. VI. ep. 5 his verbis: *Primorem Literninae civitatis.* Ea tempestate urbs sedem habebat Episcopalem. Everso autem Romano Imperio per assiduos senatus, et militum factiones, ac barbaris nationibus in Romanas irrumpentibus persaepe provincias, Linternum idem miserum subiit fatum, quo tempore Vandalorum Rex Gensericus urbem est depopulatus, et a fundamentis illam evertit; hinc nulla alia prorsus illius extitit memoria, quam pauca per agros sparsa rudera. Ruinas inter olim sunt qui scribunt repertum illud fuisse lapidis frustum: INGRATA . PATRIA. etc. Hinc factum est, ut locus iste sub *Patriae* venerit nomine, ut in praesentiarum salutatur. In ruinis, et proprie ubi nunc pagus, quem dicunt *Villanella*, qui prope antiquum Liternum adest, plura identidem sunt reperta rudera, uti numismata, vasa, urnae cinerariae, sepulchra, arma, et lapides, quorum unus ad Herenniae pertinuit familiam.

Tota isthaec Campaniae pars etiam ex antiquissimis temporibus aere haud salubri gaudere debebat: totus enim hic ager in palustri loco positus erat, et urbs Liternum prope flumina, et paludes stagnantes adsurgebat. Hinc credendum haud urbem magni nominis fuisse, quamvis agrum haberet feracissimum. Hodiedum haec regio est penitus deserta; aer graveolens propter aquas stagnantes, habitatores rari, tugurium nullum, silvestrium animalium, reptilium venenatorum, et luporum frequentium opportuna sedes.

Non longe a Literno fuit vicus Feniculensis, qui juxta Pellegrinium Appar. Camp. Disc. II. paragr. 14 Campaniae Felicis ad oram situs fuit olim, ubi nunc dicitur *Vico di Pantano*. Verum ex Valerio Maximo lib. V. c. 5 locus hic ita innuitur: *Vici eum ignobilis, et desertae paludis accolam fecerunt*, ubi narrat de Scipionis exilio, ut paulo ante retulimus. Per hunc quondam vicum via Domitiana fuit producta: hinc sequiori aevo *Vicana* est nuncupata, ut legitur in Chronico Vulturnensi. In Chartis enim VIII. et IX. saeculi in eodem Chronico allatis ita legitur: *Via publica quae dicitur Vicana, et pergit ad Cumas*, quae nulla alia esse potest, quam Domitiana via. Videtur autem heic Valerium Maximum aliud innuere, cum dicat, Scipionem Vici, et non *Literni accolam fecisse cives*. Vicus memoratus est idem ac eiusdem Scipionis villa, quae temporis progressu fuit habitata. Vicus Feniculensis, et Via Vicana.

Apud viam Campanam, et parum dissite ab eo loco, qui *a Quarto* dicitur, incipiebat Campus Leborius, a Graecis Phlaegreus appellatus, ut ex Plinio compertum habemus Hist. Natur. lib. XVIII. c. 11 *Quantum autem universas terras campus Campanus antecedit, tantum ipsum eius pars, quae Leboriae vocantur, quem Graeci Phlaegreum appellant.* Campus hinc Phlaegreus, sive Leborius, Vulcanique Forum inter Cumas, Puteolos, Capuamque fuit. Hinc idem Plinius eundem scribit habere ab utroque latere viam Consularem, *quae a Puteolis, et quae a Cumis Capuam ducit.* Utque melius id clarescat, sciendum Consularem viam, sive Campanam extensam fuisse recto tramite ad sex milliaria a Puteolis, et ad septem a Cumis, et inde in duos ramos; unus a sinistra ad lacum Liternum (quae via restat adhuc integra eo loci) ad Cumas perveniebat, alter ad laevam per locum, qui *a Quarto* dicitur, et sub Gauro monte Puteolos contra. Campus Leborius.

Prope locum, qui *Quartus* appellatur, adsurgit pagus vulgo *Marano* IV. a Puteolis lapide viae Campanae Pagus Marianus

dissitus. Huiusce pagi fit mentio iam a primis Ecclesiae saeculis. Antonius Claritus Comment. Constit. Federici II. parte III. c. 2 pag. 168 mandatum celebratum IV. Kal. Decemb. anni XLII. imperii Constantini Magni affert, in quo memoratur hic pagus hoc modo: *Cupraxia filia Domni Gregorii vendidit Domno Andreae Presbytero custodi Ecclesiae S. Castrensis de Maranu integram portionem suam de fundo posito in Anglata.* Vide ergo huiusce vici antiquitatem. Fama vero est, quo tempore Puteoli, Cumae, vicinaeque urbes habitatae esse coeperunt, hunc Marani vicum propinquos recepisse accolas, et iam ex eo tempore adsurrexisse. Passim nunc per agros identidem reperta sepulchra, et inscriptiones.

Vicus Iulianus. Non longe ab hoc vicus alius adsurgit nomine Iulianus, a nostratibus *Giugliano* dictus. Quidam autumant nomen a Iulio Caesare usurpasse, ut prae ceteris existimat Cornelius Vitignanus in Genealog. Domus Austriacae pag. 15 quamvis alii credunt, nomen ab alio cepisse. Sunt qui arbitrantur, hunc pagum tam antiquum esse, ut post Cumarum eversionem, accolae alio sedem coacti quaerere, eoque paulatim commigrarint. Hodiedum vicus Campaniae est haud ignobilis, sive ad commercium, et domos ornatissimas, sive rerum omnium abundantiam spectes.

Atque haec de Literno satis, deque locis circa urbem, deque agro Cumano, vicinisque locis. Nos hactenus cuncta, quae ad antiquitatem pertinent, retulimus, et praesertim omnes descripsimus urbes olim a Graecis, posteaque a Romanis celebratas, atque habitatas; tum illarum enucleavimus singulatim originem, incrementum, maiestatem, et tandem cuiusque eversionem, et quid ad nos nunc temporis de ipsis pervenerit monumentis; hoc omne quam maxima diximus diligentia. Nunc tantum restat, ut insulas circa Craterem Neapolitanum, atque Puteolanum sinum describamus.

CAPUT XI.

De Inarimi insula, de variis eiusdem nominibus, de diversis gentibus, quae eandem occuparunt, de monte Epomaeo, de variis Balneis, atque Hypocaustis.

Pithecusa insula est in antiquo Cumarum sinu, ab ea urbe sex milliaria dissita, a Neapoli XVIII. a Prochita II.; Vesuvium longe prospectat, et ab oriente Puteolanum sinum: ab occidente subiectum habet Tyrrhenum mare. Insulae totius circuitus est XVIII. circiter milliaria. Hanc vero Inarimen, sive Pithecusam olim continenti unitam, et aliquo immani terrarum motu divulsam temporibus incognitis fama est. Ita arbitratur Strabo lib. V. Geogr. et Plinius Hist. Natur. lib. III. c. 5, et lib. II. c. 88. Merito poetae quondam a Iove bellum gigantibus inlatum, ac de illis unum Typhoeum nomine (1) in hanc insulam inclusum, ex se ignem, flammasque evo- Pithecusa.

---

(1) Typhoeus fuit unus e gigantibus, quem Iuno generavit. Haec irata quod Iupiter Minervam peperisset, manu terram calcasse, et Typhoeum genuisse immensa proceritate fama est, qui manu orientem tangebat, et occidentem altera; capite ad coelum pertingebat; ignem ex oculis, ex ore, ex faucibus emittebat, cuiusque corpus serpentibus plenum erat. Hinc creditur olim cum aliis gigantibus bellum diis intulisse, impositis super aliis montibus, ut canit Propertius lib. II. Eleg. 3

Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, ut coeli Pelion esset iter.

In Tartara devictos postea detrusos fuisse a poetis eosdem gigantes narratur. Alii vero Iovem sub ipsos impositos montes illos detrusisse canunt, et Typhoeum prae ceteris audaciorem sub Inarimi insula inclusum ferunt.

*

muisse fabulati sunt. Hinc Strabo scribit lib. V. Geogr. Ἐντεῦθεν καὶ ὁ μῦθος, ὅτι φασὶ τὸν Τυφῶνα ὑποκεῖσθαι τῇ νήσῳ ταύτῃ, στρεφόμενον δὲ τὰς φλόγας ἀναφυσᾶσθαι, καὶ τὰ ὕδατα: *Atque hinc fabula, Typhonem sub hac insula iacere, obversuque corporis flammas expirare, et aquas.* Et Mantuanus vates Æn. IX. v. 717

Tum sonitu Prochita alta tremit, durumque cubile
Inarime Iovis imperiis imposta Typhoeo.

Huic insulae diversa indita nomina fuere. Primum Homerus Οδυσσ. O. v. 403 illam Συρίν appellat. Pithecusa fuit etiam dicta ob fabricas figulinas. Πιθὸς enim *dolium*, et ἔχω, *habeo*, quippe quod isthaec insula iisdem abundavit mercibus. Hinc Plinius Hist. Natur. lib. III. c. 7 *Ænaria* (ait) *ipsa a statione navium Æneae, Homero Inarimè dicta, Graecis Pithecusa, non a simiarum multitudine* (*ut aliqui existimavere*) *sed a figulinis doliorum.* At recentes auctores, ut Salmasius Exercit. Plin. tom. I. c. 3, Bochartus tom. I. lib. III. aliique in Plinium profecto subirascunt haec scribentem, Graiaeque fortasse linguae ignarum: nam Πιθήκος *simiam* significat. At undenam Pithecusanis hoc simiarum nomen inditum, explicat Ovidius Metamorph. lib. XIV. v. 89 versutiam, et calliditatem scilicet insulanis tribuens.

Ænaria etiam nuncupata fuit ab Æneae navium statione, et etiam Οἰναρία, ab οἶνος, *vinum*, nempe vinaria, a vini quantitate, atque frequentia. Fuit quoque salutata Inarime, quam vocem usurpavit Homerus Ιλιαδ. Κ. v. 280. Εν ἀριμοῖς (1) *fortitudinem* denotantem, quam vo-

---

(1) Homerus loco supra citato sic canit:

Εν Ἀριμοῖς, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι ἐννάς.
In Arimis, ubi habere cubile Tiphoeum narrant.

Nemo tamen adest ex antiquis scriptoribus, qui Homeri Ἀριμιν

eam quidem ab Ἀρι, *ardor*, utpote insula maxime conflagrationibus assiduis fuit quondam subiecta. Tandem hodiedum vulgo dicitur *Ischia* fortasse a Graeca voce ἰσχυρὸς, *fortis*. Mazochius de Eccles. Neapol. pag. XXX. vult dictam Isclam ab *Isle*, quae vox est Gallica, insulam significans, et nomen hoc accepisse scribit, quo tempore Reges Andegavenses Neapolitanum obtinebant regnum. At ego ex auctoritate S. Leonis Papae (quam mox afferam) potius autumo Cl. Mazochii opinionem haud recte procedere, cum S. Pontifex plures ante annos eam insulam *Isclam* appellaverit.

Sunt qui scribunt ex antiquis auctoribus, ut Ovidius Metamorph. lib. XIV. v. 89, Livius lib. VIII. c. 19, Pomponius Mela lib. II. c. 7 eandem insulam Pithecusam simul, et Ænariam dictam fuisse. Hoc non alio modo intelligendum arbitror, quam quod vetustissimo tempore in ipsa, ubi nunc arx adsurgit validissima, urbs Ænaria, vel Pithecusa fuerit, quae temporis progressu insulae nomen fecerit. Consulsis Paschalium, Isolario del Regno di Napoli, pag. 12 et seqq.

Primos huius insulae habitatores iuxta Strabonem lib. V. Geogr. fuisse Eritreenses, vel Chalcidenses ex Euboea insula derivatos creditur. Eritreenses primum duce Hippocle, et Megasthene Cumano Inarimen petivere: post aliquod vero tempus Chalcidenses duce ipso Megasthene in hanc insulam pervenere. Sed hae quidem duae coloniae parum heic immoratae fuere: primo enim orta

---

fuisse Pithecusam insulam credit. Virgilius, Ovidius, Statius, aliique illam Inarimen vocarunt, non vero Arimen. At dicet aliquis, praefatos poetas ex praepositione Εἰν', et Ἀρίμοις derivasse Inarimen, quod falsum arbitror, nec ipsos tam stultos esse potuisse crediderim, qui vocem eandem distinguere haud potuissent. Illud vero certum est, Homeri Ἀρίμιν non fuisse aliam, quam Ciliciae locum, ubi ponit Typhoei gigantis habitationem. Plura si cupis, Vetranium legesis in opere, quod inscripsit, Prodomo Vesuviano, c. 3 pag. 102 et seqq.

seditione, indeque terrarum motibus deterritae eandem relinquere sunt coactae; id omne enarrat citatus Strabo. At quo tempore hae gentes in insulam penetrarint, haud recte constat; hoc unum addam, insulam tam antiquam fama esse, ut vulcanicis praesertim conflagrationibus solum fuerit subiectum, et vetusti scriptores saepe ipsius nentionem fecerint.

Praefatae gentes (ut diximus) ex insula recedentes, in vicinam commigrarunt continentem, ubi Cumas aedificarunt, ut prodit Patavinus auctor lib. VIII. c. 22. Post id temporis, quod accidit plura post saecula, in hanc insulam advenit Syracusana gens duce Hierone anno ab V. C. DXV. uti narrant quidam, quo tempore regnavit hic Syracusanorum tyrannus cum Graeca gente, quae sedem heic fixit: iamque leges, atque dominium extendebat, loci amoenitate inlecta, cum vicini montis Epomaei conflagrationibus deterrita est; murum tunc ingentem exstruendum paravit Hiero, quo montis ignem, flammasque cohiberet palantes; sed Epomaeus mons ignivomum eructans amnem, quidquid illi fuit obviam, evertit. Hinc iure merito consternata ea nova Colonia sedem alio figendam, constituendamque curavit.

Syracusanis successere Neapolitani, qui ad insulam habitandam commigrarunt: at sequiori aevo Romani insulam occuparunt; id omne traditur e Strabone lib. V. Augustus vero Caesar per id temporis spatium Neapolitanis Capreas munere donavit. Id etiam narrat Suetonius in eius vita c. 92 hoc modo: *Apud insulam Capreas veterrimae ilicis demissos iam ad terram, languentesque ramos convaluisse adventu suo, adeo laetatus est, ut eas cum republica Neapolitanorum permutaverit, Ænaria data.*

Romani postea loci eiusdem deliciis capti, passim villas, casasque aedificarunt (ut credibile est) quamvis nulla ad posteros illorum pervenerit memoria. In quibusdam insulae locis, et praecipue in terra *Lacci*, ut hodie appellant indigenae, passim sepulchra, vasa, lapi-

des Graecis, Latinisque characteribus sunt reperti, qui satis fidem testantur, quanti ab ea gente isthaec insula fuerit aestimata. Adhaec in valle S. Montani, et in promontorio Montis Vici ea ipsa sepulchra, necnon et statuas, aliaque vasa cineraria, et fictilia, veteraque domorum rudera reperta fuisse narrat Franciscus Sianus, Storia dell' Isola d' Ischia pag. 74 et seqq.

Medio Ævo ea insula ad Graecos pertinuit Imperatores cum vicino Neapolitano Ducatu. Ex epistola S. Leonis Magni lib. II. ep. 6 ad Carolum Magnum compertum habemus, Saracenos eo tempore eandem depopulatas esse. *Ingressi sunt in insulam quandam, quae dicitur Iscla, non longe a Neapolitana urbe milliaria XXX. in qua familias, et peculia Neapolitanorum non parva invenerunt: et fuerunt inibi a XV. usque ad XII. Kal. Septembris, et nunquam ibi Neapolitani super eos exierunt. Cumque totam insulam depraedassent, implentes navigia sua de hominibus, et eius necessariis, reversi sunt post se.*

Insula hodiedum est e ceteris frequentissima, et ditissima: incolae enim commercio opportunissimo sunt addicti; ideoque in vicinas, exterasque gentes vinum praecipue convectant, aliasque merces. In plures insuper eadem dividitur pagos, et urbem habet Episcopalem, cui *Ischiae* nomen est inditum ab ipsa insula. Pagus quem incolae vocitant *Casamicciola* nomen desumpsit a casa puta, Latiari voce, et μύκης fortasse *fungum* denotare, a loco forsitan, ubi iidem generantur. Pagus alius est *Forio* a φορὸς, *ferax*, quippe quod locus iste maxime fertilis, ideoque plus ceteris habitatus. Alius nomine *Lacco*, a λάκκος *puteus*, vel *lapis*, utpote locus petrosus est, et sterilis: alii adsunt in hac insula vici minoris nominis, et momenti.

Mons Epomaeus, nunc *Monte di S. Nicola*, altissimus est, et adsurgit in insulae medio. In eo aedicula est D. Nicolao Praesuli Myreusi dicata: unde huic monti nomen factum. Huius etymon ab Ἐπόπτεύω *Spe-*

cto, derivatur; quia mons altissimus cum sit, quaqua versus patet. Hic, ut supra indicavimus, quondam celebris ob conflagrationes fuit, et usque a temporibus incognitis. Vario tempore ipse aestuavit (1), praecipue Lucio Marcio, et Sextio Iulio Coss. exarsisse narratur. Hinc Iulius Obsequens de Prodig. sic scribit: *Lucio Marcio, Sextio Iulio Coss. Ænariae terrae hiatu flamma exorta in coelum emicuit.* Postmodum rursus conflagravit imperante Antonino Pio, et post hoc tempus Diocletiano regnante. Alia tandem conflagratio accidit sub Carolo II. Andegavensi anno MCCCI. cum insulae habitatores alio perrexerunt. Hodiedum in plano, seu ad montis eiusdem radices, ubi dicitur *l' Arso*, quo in loco ignis olim aestuavit, nulla plantarum semina, nullasque arbores inserunt indigenae propter loci sterilitatem. Temporis progressu insula evasit celebris ob diversarum specierum calidas aquas, balneaque, de quibus mox dicendum.

Quoad insulanorum pertinet mores, confersis quae prodit Capacius Hist. Neap. lib. II. c. 15. Nonnulli

---

(1) Plinius Hist. Natur. lib. II. c. 88 iam olim hunc montem conflagrasse scribit his verbis: *Sic et Pithecusas in Campano sinu ferunt ortas · mox in his montem Epopon, cum repente flamma ex eo emicuisset, compestri aequatum planitie. In eadem et opidum haustum profundo: alioque motu terrae stagnum emersisse.* Lucanus lib. IV. v. 93 qui postquam describit Nesidem insulam conflagrasse quondam, subiungit:

Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant.

et lib. V. v. 101

. . . . *Campana fremens, ceu saxa vaporat*
Conditus Inarimes aeterna mole Typhoeus.

Seneca etiam Thyest. Act. IV. v. 810 eundem memorat Typhonem.

Graeci, Latinique lapides reperti a patriis scriptoribus afferuntur. Inter alios Martorellius Colon. Fenic. pag. 262 hunc affert mutilum, et ita restitutum:

ΠΑΚΙΟC . ΝΥΜΦΙΟC
ΜΑΙΟC . ΠΑΚΥΛΛΟC
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΙ
ΑΝΕCΤΗÇΑΝ . ΤΟΥΤΟ
ΤΟ . ΤΟΙΧΙΟΝ . ΚΑΙC . ΤΟΥ
ΤΡΑΙΑΝΟΥ . ΤΗ . ΕΠΙΤΑΞΕΙ .

Latine sic sonat:

PACIUS . NYMPHIUS . MAIUS . PACYLLUS
LIBERTI . EXCITARUNT . HOC . PROPUGNACULUM
CAESARIS . TRAIANI . IMPERIO .

alius lapis in S. Restitutae templo sic legitur;

D . M .
L . FAENI . VRSONIS
THUR . CONIUGI . BENEMERENTI
TYCHE . LIBERTA . FECIT .

In hanc autem insulam quo tempore D. Restitutae (1) Virginis, et Martyris corpus ex Africa heic ap-

---

(1) Haec Diva, prout narrant Ecclesiastici Annales, Valeriano imperante in Africa martyrium subiit. Ponizarii enim nata, et ad Carthaginem delata, ab accusatoribus exagitata est apud Proculum, quod Christiana esset: hinc variis fuit exposita cruciatibus, et primum equuleo suspensa. Tum praefectus (invicta quod constanter omnia ferret) aliis suppliciis eandem dilaniavit. Inde Diva in navigium immissa, accensoque igne, paulo post martyrii corona ad coelum evolavit. Navicula tunc sine velo, ac remige, in Pithecusam appulit insulam, ub. quaedam mulier Lucina nomine, ad locum qui dicitur *ad Ripas*, accessitis aliis, eidem iusta persolvit, et corpus in suo sepelivit praedio. Constantino vero Magno imperante, redditaque Ecclesiae

pulit, iam Christi fidem praedicatam compertum habemus. Christiani enim illud excipientes, sepulchrum pararunt, et Ecclesiam sub eiusdem nomine dicarunt.

Antequam manum de tabula, breviter de aquis dicendum, balneis, atque eiusdem sudatoriis. In ea insula plures profecto adsunt balneae, plures fontes minerales aquas varias continentes, plura tandem hypocausta, sive sudatoria, de quibus en heic pauca, et praecipua memorabimus. Primum occurrit Cytharae balneum, quod indigenae vulgo dicunt: *Bagno di Citara*, qua parte insula ad occidentem vergit, in loco quem insulani appellant *Pietra Rossa*. Balneum Ferri: *Bagno del Ferro*, quod est prope Parvi Gurgitis balneum, et vicum quem dicunt *Casa Micciola*, ex quo scaturiginem habet aqua illa satis nota sub nomine: *acqua di Gurgitello*. Adhaec sunt alia balnea, ut de pluribus aliis sileam, ut S. Restitutae, S. Montani, Castilionis, vulgo: *Castiglione*, Auriferum: *Bagno dell' Oro*, Argenteum, Plagae Romanae. Sunt et etiam fontes, ut fons Nitroli; *Fonte di Nitroli*, quem incolae appellant: *Neutruoli*. Hunc insulani fontem ad potum adhibent, utilemque multis corporum morbis experiuntur, et est in vico, cui nomen *Barano*. Adest et alius fons Retis, quem vocant: *Fonte di Rete*, prope balneolum inter pagos *Casamic-*

---

pace, Basilica in eius nomine dicata fuit, ubi lipsana fuere deposita. Eiusdem festum incidit XVI. Kal. Junias.

Iam diximus eandem *ad Ripas* sepultam: ad hanc vocem Cl. Mazochius tom. II. Kal. Neapol. pag. 333: sic adnotavit: *Ripa non tantum de amnibus, sed et de mari usurpatur. Plinius lib. IX. c.* 15. *de mari Pontico: Thynni dextra ripa intrant, laeva exeunt. De etymo si quaeras, possis ad orientem recurrere: nam Arabice litus significat. Sed et aevo posteriori Ripa eo significatu usurpabatur, et Riparia, et Italia la Riviera di Genova. Postremo hinc factum, ut eisdem scriptoribus Arripagium, sive Portorium, et adripare sit appellere: unde est Italis arrivare.*

ciola, et *Lacco*. Praefatos fontes, et balnea Capacius Hist. Neapol. lib. II. c. 15. ad XXX. et amplius enumerat, narratque quendam Iulium Iasolinum celebrem medicum, et chirurgiae peritum eosdem invenisse, et restaurasse. Hypocausta tandem, sive Sudatoria praecipua sunt, Domus Cumana: *Stufe a Casa Cumana*, seu *Cacciotto*; sudatoria Cotti; *Stufe del Cotto*, S. Angeli, Barani, aliaque nonnulla, quae praeterire fas est. Hanc insulam plures continere fodinas canit Eucherius de Quintiis lib. I. v. 108 de Inarimi:

Haec eadem argenti rivis, aurique redundat
Plurima: Chalcanthon fovet haec: Magneta, Pyriten,
Cadmiamque, Ochramque cavis, et sulphura nutrit,
Et glebam Armeniam: nitrum per saxa, salesque
Exhibet: et Cyprii passim fluit aere metalli:
Et ferri uberior venis, et alumine manat.

Non procul ab Inarimi, et a Prochytae monte haud longe adiacet parvus scopulus, quem indigenae appellant *Isoletta di S. Martino*, quae olim ad Ecclesiam pertinuit Neapolitanam. A Turri vero, quae dicitur *Fumo*, alius iacet scopulus, quem vocitant Vivarium, vulgo *Vivara*, qui duobus abhinc saeculis sterilis omnino erat; nunc agricultura maxime viget, et phasianis abundat.

CAPUT XII.

De insulis Prochyta, Neside, et Capreis.

Insula Prochyta ab Inarimi distat II. milliaria, et a Neapoli XVI. Strabo lib. V. Geogr. hanc olim arbitratur, Pithecusae fuisse colligatam, et in quadam celebri Epomaei montis conflagratione separatam vehementi terraemotu. Hinc scribit: Τοῦ μὲν οὖν Μισηνοῦ προκεῖται νῆσος ἡ Προχύτη Πιθηκουσῶν δ' ἐστὶν ἀποσπασμα: idest: *Ante Misenum Prochyta iacet insula, pars a Pithecusis* Prochyta

*

divulsa. Idque Plinius Hist. Natur. lib. II. c. 88 hisce confirmat verbis : *Sic et Pithecusas in Campano sinu ferunt ortas. Mox in his montem Epopon, cum repente flamma ex eo emicuisset, campestri aequatam planitie. In eadem et opidum haustum profundo : alio motu terrae stagnum emerisse : et alio, provolutis montibus insulam extitisse Prochyten.* Mantuanus quoque vates hoc innuere videtur Æneid. IX. v. 714.

Miscent se maria, et nigrae attolluntur arenae :
Tum sonitu alta tremit, durumque cubile
Inarime, Iovis imperiis imposta Typhoeo.

Supra quos versus Servius sic commentat : *Inarimes mons fuit, qui terraemotu diffusus alteram insulam fecit, quae Prochyta ab effusione dicta est* Προχυω. Ea insuper appellata fuit Procyma, quasi prima Cyme, seu Cumae, a κοιμαομαι, *dormio.* Statius sic etiam de eadem canit insula Silv. lib. II. c. 2. v. 76.

Haec videt Inarimen : illi Prochyta aspera paret.

Et Iuvenalis Satyra III. v. 5.

. . . Ego Prochytam propono Suburrae :
Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos, ac mille pericula saevae.
Vrbis.

Eam insuper insulam vulcanicas eructasse materias credibile est, quum vicina Pithecusa idem effecit. Restant adhuc super ipsam a tempore prope immemorabili eructatae materiae. Re sane vera Silius lib. XII. v. 147. Mimantem gigantem sub hac insula inclusum canit. Ex his clare arguitur, insulam vulcanum quondam fuisse.

Primos huius insulae habitatores Euboicos fuisse pu-

tatur, qui assiduis terrarum motibus, et conflagrationibus Pithecusas, Prochytamque deseruere. Neapolim hinc habitandam commigrarunt. Propertius id innuere videtur Eleg. lib. II. 2 quamvis eruditus Scottus, Dissertaz. Corograf. di Miseno, parte I. eosdem post horrendam Epomaei montis eructationem immoratos asserit; quin imo ex eo tempore Pithecusanos omnes ad Prochytam habitandam transisse credit. Idem autumat hanc insulam prius vocatam fuisse Pithecusas, idque confirmat ex Livii textu lib XXIV. qui sic scribit: *Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt. Classe qua advecti ab domo fuerant, multum in ora maris eius, quod adcolunt, potuere. Primo in insulas Ænariam, et Pithecusas egressi etc.* Sub Pithecusarum nomine nullam aliam insulam in vicina continenti intelligit, quam Prochytam, sub quo nomine prius fuerat vocata. Temporis progressu Inarime fuit etiam Pithecusa vocata.

Insula postea a Romanis fuit occupata; vinis optimis, fructibus exquisitis, opportunoque ultro citroque commercio cum vicinis gentibus nobilis evasit. Eversa Romanorum fortuna, Barbari identidem Italiam vastantes, hac insula potiti eo usque, donec in aliorum pervenit manus. Ea insuper Medio Ævo ad Neapolitanos pertinuit Duces, qui heic villam, et aedem ad rusticandum habuerunt. Hoc confirmatur ex eo, quod narrat Principum Longobardorum historia. Marinus enim Ioannis Neapolitanorum Ducis filius cum Prochytam venisset aestivo tempore, et prope litus esset, ut in aqua se immergeret, exemplo fluctibus fuit absorptus, et enecatus non sine civium Neapolitanorum lacrimis.

Iuvat interim heic loci Guicciardinii auctoritatem de Prochytae deliciis appingere Merc. Camp. pag. 252 *Prochytam insulam . . . . adeat hospes. Non insulam, sed medio in pelago extructum viridarium illam dicet, ubi ex editiori loco, illius amoenitatam, et culturae elegantiam observaverit. In ambitu ad VI. M. P. extenditur: iucundissimis recessibus, ac pro-*

montoriis, nunc in mare protensa, nunc in seipsam recurva. Omnigeni in ea fructus, et qui non a sapore, aut a magnitudine tantum, sed quod praecoces sint, commendati. Vis verbo dicam? Ea est Prochytae facies, ut fabulosos Elysios unice eludat, et cui hoc tantum sinistri obvenerit, quod in Tirrheni, non in Graecanico locata sit mari. Famam tamen, quam ob situs amoenitatem, et coeli clementiam, cum Graecanicis insulis potuisset habere communem. Hodiedum opportunum maris commercium cives divites reddit, et insula abundat rebus omnibus. Aves aerem dulcisono permulcent concentu: hinc est ut Neapolitani Reges super hanc insulam villam sumptuosissimam ad rusticandum habeant, et praesertim phasianis silvam abundantem. Ea ad Neapolim spectat hodiedum quoad Episcopalem iurisdictionem. Circuitus est ad VII. circiter milliaria; duos habet portus, ad orientem unum, ad occidentem alterum; hique navibus onerariis semper pleni, et urbem tandem habet satis frequentem cum pago.

Nesis insula. Nesis in praesentiarum *Nisida*, est parva insula a Graecis Νησις, *insula* per excellentiam compellata. Eiusdem figura rotunda est, adiacetque e Balneorum regione, *i Bagnuoli*. Hanc quoque terraemotu quondam divulsam existimatur, quam conflagrasse quoque canit Lucanus lib. VI. v. 91.

. . . . . Tali spiramine Nesis
Emittit Stygium nebulosis aera saxis,
Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant.

Et Statius Silv. lib. II. c. 2. v. 78 heic aerem haud salubrem esse canit:

. . . . . Inde malignum
Aera respirat pelago circumflua Nesis.

Sannazarius Ecloga II. v. 33 laudat maris huius echinos:

Quos nec vere novo foliis lentiscus amaris
Inficit, aut vacuae tenuant dispendia lunae.

Nympham facit eandem insulam ecloga IV. v. 46.

Te quoque formosae captum Nesidis amore,
Pausilype, irato compellat ab aequore quaestu,

et in Arcadia ecloga XII. ita ipsam describit:

Dimmi Nesida mia, così non sentano
Le rive tue giammai crucciata Dorida,
Non ti vidd' io poc' anzi erbosa, e florida,
Abitata da lupi, e da cunicoli.

Plinius Hist. Natur. lib. XIX. c. 8 eiusdem insulae laudat asparagos: *Nam quod in Neside Campaniae insula nascitur, longe optimum existimatur.* Hodiedum aer multo insalubrior est, quam olim propter Aniani lacus propinquitatem.

Supra eandem insulam Lucium Lucullum villam habuisse proditur: nam ibi nonnulla fabricae restant adhuc vestigia. Hinc Cicero de Luculli tradit villa, et de Bruto sic scribit: Philipp. X. c. 4. *At hunc ipsis ludorum diebus videbam in insula clarissimi adolescentis Luculli propinqui sui.* Et ad Atticum lib. XVI. ep. 3. *Ego conscendens a Pompeiano tribus actuariolis, decem scalmis. Brutus erat in Neside, etiam nunc Neapoli Cassius.*

Nunc vero temporis haec ipsamet deserta, et sterilis prope est, et inhabitata, et dici potest cum Virgilio Æn. II.

. . . Statio tutissima nautis,

quippe quod Graecorum, aliarumque gentium onerariae naves ex Ægaeo mari provenientes, multum temporis heic *Quarantenae*, ut dicitur, insumunt causa. In Nesi-

dis verò vertice est arx in turris formam efficta; et supra portum, qua ad insulam descendunt navigatores legitur hoc distychon:

Navita siste ratem, timonem hic velaque fige,
Meta laborum haec est, laeta quies animo.

Non procul ab insula adsurgit parvus admodum scopulus vulgo *Copino*, vel *Chioppino*, quasi a caupona diceres, locus olim comessationibus destinatus. Hic etiam dicitur *lo Sporgatoio*: scopulum hunc longitudine, qua Nesidem versus extenditur, ferro fuisse terebratum conspicitur; et *repraesentat*, uti scribit Sebastianus Bartolus, Thermolog. Aragon. part. II. pag. 82 *formam longitudinis passuum L. latitudinis trium, profunditatis duorum, cui ab uno, alteroque extremo expeditus est pelago aditus, et ex uno, alteroque latere per excisa foramina lumini ingressus: parva carina hinc inde subvehi quisque potest.* Hunc locum credit ipse fuisse quondam unum e Lucullanis vivariis ad muraenas alendas.

Sub eiusdem maris undis, qua parte ab extrema promontorii Pausilypi ad Nesidem insulam pergitur, restant perplura vetustae fabricae rudera, quae Sebastianus Paulus Antiqq. Puteol. aquaeductus partem fuisse autumat, qui aquam in Nesidem insulam ad Luculli villam ferebat: isque aquaeductus ex ea Pausilypi parte veniebat, ubi nunc dicitur *Coroglio*, quo loco pars etiam adhuc restat. Verum enimvero Bartolus loco ante citato ingentes hasce pilas sub undis gliscentes, magni alicuius quondam tentati operis fundamenta fuisse exsistimat. Sed ex fabricae structura pilae potius esse videntur, quo loco parvus aderat portus.

Insula Capreae. Insula Capreae hodiedum *Capri*, e Neapolis regione XVII. millia passuum est, et in extremitate iacet sinus Neapolitani: distat a Minervae promontorio, vulgo *Stretto della Campanella* III. milliaria, et a Surrento VIII. iuxta Plinium Hist. Natur. lib. III. c. 7, sic tradentem:

Mox a Surrento VIII. *millibus passuum distantes*, *Tiberii principis arce nobiles Capreae*, *circuitu* XI. *M. Pass.* Eius longitudo est ad V. milliaria, et latitudo ad II. Olim Apenninis montibus ex tempore immemorabili hanc fuisse coniunctam tradit Strabo lib. V. Geogr. et ab ipsis ob aliquem motum terrae avulsam creditur. Ita etiam sentit Stephanus de Vrbibus, et Pop. Sunt qui scribunt ex antiquis auctoribus, eandem XL. millia passuum habuisse; isque ambitus postea vi tempestatum fuit imminutus. Insulae circuitus hodiernus non est amplius, quam IX millia passuum. In tota insula materiae passim restant vulcanicae.

Nihil illo coelo amoenius, et uberius est: hinc pisces ibi selectissimi, et omne avium genus propter abundantem venationem: oleum, et vinum elegans, fructus exquisiti. Hinc haud mirum si Statius eam salutarit *dites Capreas* Silv. lib. III. v. 128. Habitantium mores ante Augusti aevum Neapolitanis simillimi fuere: haud mirum inde etiam si Augustus ipse eam adamarit.

Variis nominibus fuit nuncupata; primum *Senaria*, hinc *Telantia*; postea Capreae appellatae. A Strabone lib. V. Geogr. Καπρίας, et a Latinis *Capreae*, et *Capraria* dicta fuit. Theleboas primum incoluisse prodidit Tacitus Annal. lib. IV. c. 67. Graios eandem insulam occupasse, et Theleboum ante Trojanum bellum commoratum, insulaeque regem fuisse cecinit Mantuanus vates Æneid. VII. v. 733.

> . . . . . *Nec tu carminibus indictus abibis*
> *Oebale*; *quem genuisse Thelon Sebethide nympha*
> *Fertur*, *Theleboum Capreas cum regna teneret*
> *Iam senior.*

Haec postmodum in Romanorum, orbe pacato, manus pervenit, qui huiusce amoenitate illecti suas fixerunt sedes. Augustus (ut indicavimus) eam adamavit, qui Æuariam insulam cum Neapolitanis commutavit: de qua

re nos certiores facit Tranquillus in eius vita c. 92 sic prodens. *Apud insulam Capreas veterrimae ilicis demissos iam ad terram, languescentesque ramos convaluisse adventu suo adeo laetatus est, ut eas cum republica Neapolitanorum permutaverit, Ænaria data.* Augustus igitur Capreas adeo dilexit, ut ibi adolescentes optimos bonis imbutos moribus coluerit, et inde Ephebeum quoddam efformarit. Hinc ex eodem Tranquillo c. 98 ibidem hoc de ipso proditur: *Nullo denique genere hilaritatis abstinuit: vicinam Capreis insulam Ἀπραγόπολιν appellabat a desidia secedentium illuc e comitatu suo: sed ex dilectis unum Masgaban nomine, quasi conditorem insulae κτιστὴν vocare consueverat. Huius Masgabae ante annum defuncti tumulum cum ex triclinio animadvertisset magna turba, multisque luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clare pronunciavit*;

Κτιστοῦ δὲ τύμβου εισορῶ πυροῦμενον.

Quid sibi velint *lumina* a Suetonio indicata, nisi ea parentalia in Masgabae honorem facta, quibus cerei, et faces accendebantur? nec eo solum tempore, sed et in tumulis, aliisque locis, in quibus religionis aliquid inesse suspicabantur, lumina apponebant. Qui mos ad Martyrum Christianorum tumulos translatus, ad nos usque pervenit. Nec religionis tantum, sed et in publica laetitia, diebusque festis, lucernas, cereos, funaliaque, accensa reperias, ut ex Iuvenale videre est Satyra XII.

Martorellius lapidem Graecis characteribus sculptum Capreis repertum affert, in quo legitur quendam adolescentem Hypatum nomine fuisse quam maxime ab Augusto dilectum. Videsis citatum auctorem Theca Calam. tom. II. pag. 478. Verum non te pigeat, lector, audire quid fuerit haec Ἀπραγόπολις ex eiusdem Cl. Martorellii laudato loco, qui ait, hanc non fuisse Capreas, cum liquido patescat ex Tranquilli auctoritate, qui hanc insulam a

Capreis diversam scribit, et forsitan Capreis propinquam. Statius autem sic canit Silv. lib. III. car. 1. v. 128.

. . . . Dites Capreae, viridesque resultant
Taurubulae, et terris ingens redit aequoris echo.

Quidam has Taurubulas (1) opinantur fuisse ipsas ac Capreas, sed Martorellius ait differentem prorsus insulam a Capreis esse propter ἐπίθετον *virides*, quod adiungit poeta: hinc concludit ipse Martorellius cum Strabone lib. V. has duas insulas Α'πραγόπολιν, Taurubulasque non esse eas parvas iusulas desertas, atque saxosas, quae Sirenusae appellantur, sed esse potuisse duas a Capreis haud dissitas, et a terraemotu aliquo fortasse divulsas, et deperditas, nisi vero Suetonianum textum mendacem esse credamus. Verum ego cum Grimaldio, Annali del Regno, tom. VI. pag. 181 potius puto, hanc Α'πραγόπολιν *urbem negotiis vacuam* nullam aliam fuisse, quam ipsas Capreas, quae per iocum fortasse ab Augusto sic nuncupatae fuere, ubi Augusti ipsius comites apud insulam otio vacabant.

Hunc vero Romanorum Imperatorem in hanc insulam secessisse scribit laudatus Tranquillus in eius vita c. 72 his verbis: *Ex secessibus praecipue frequentavit maritima, insulasque Campaniae, aut proxima urbi opida . . . . ampla, et operosa praetoria gravabatur. Ex neptis quidem suae Iuliae, profusae ab eo exstructa, etiam diruit ad solum, sua vero quamvis modica, non tam statuarum, tabularumque picturam ornatu, quam xystis, et nemoribus excoluit, rebusque vetustate, ac raritate notabilibus, qualia sunt Capreis*

---

(1) Parascandalus, Lettera sull' antica città di Equa, pag. 86 autumat hasce Taurubulas fuisse eandem, ac Æquam urbem, vel fortasse, quod Minerva, quae in vicino Surrentino promontorio colebatur, hoc etiam nomen usurpavit.

*

immanium belluarum, ferarumque membra praegrandia, quae dicuntur gigantum (1) *ossa, et arma heroum.*

Tiberius Imperator postea prae ceteris adeo insula fuit captus, ut illam suarum impudicitiarum sedem destinarit, ibique duodecim villas, hortos, balnea, et aedificia etiam construxerit. Tacitus Annal. lib. VI. c. 67 prae ceteris sic eam insulam, et Tiberii voluptates describit: *Capreas se in insulam abdidit* III. *millium freto ab extremis Surrentini promontorii disiunctam. Solitudinem eius placuisse maxime crediderim, quoniam importuosum circa mare, et vix modicis navigiis pauca subsidia: neque appulerit quisquam nisi gnaro custode. Coeli temperies hieme mitis, obiectu montis, quo saeva ventorum arcentur. Æstas in favonium obversa, et aperto circum pelago peramoena; prospectabatque pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons exardescens faciem loci verteret. Graecos eos tenuisse, Capreasque Thelebois habitatas fama tradit.* Hic imperator tanta coeli temperie, et amoenitate fuit captus, ut illam perdite, et ad insaniem usque adamarit, et heic tantum auri, et argenti profuderit, ut ad Romanae maiestatis culmen reduxerit: inde sedem libidinum ibi fixit, uti docet Tranquillus, ibique ipsius horrenda narrat probra super hac insula patrata.

Captus ergo insulae amoenitate, illam petivit, eoque Elium Seianum, qui Imperii summam obtinebat, advocavit, necnon et Cocceium Nervam iurisconsultum, aliosque, et astrologum Trasillum, cuius fide, operaque multa patrabat, dum Livia mater Romae pro filio gubernabat. Causa vero, ob quam Tiberius e Roma excessit, Capreasque secessit, fuit illa quidem; seu ut melius

---

(1) Haec Tranquilli enarratio non aliunde exorta videtur, quam ex quo creditum est olim in campis Phlegraeis in Campania prope Puteolos, ut ante diximus c. 10 huius libri, gigantes extitisse ab Hercule debellatos, de quibus narrat Diodorus Siculus lib. V. Geogr.

dicam, species, ut nempe iter per Campaniam institueret, Nolamque peteret urbem, quo ibi Augusti templum, et Capuae Capitolium sacraret. En ut Suetonius rem omnem aperit in eius vita c. 40. *Peragrata Campania, cum Capuae Capitolium, Nolaeque templum Augusti, quam causam profectionis praetenderat, dedicasset, Cupreas se contulit, praecipue delectatus insula, quod uno parvoque litore adiretur, septa undique, praeruptis immensae altitudinis rupibus, et profundo maris.* Dum in hac insula, turpibusque vacaret libidinibus, ne a quovis conspiceretur homine, praecepit ut nullus ad insulam accederet: at factum est ut temere, an ex industria piscator quidam quo gratum Imperatori animum demonstraret, piscem attulit (per aspera scopula in insulam penetrans) eumque eodem perfricari iussit. En ut saepe laudatus narrat Tranquillus ibid. *Piscatori qui sibi secretum agendi, grandem mullum inopinanter attulerat perfricari eodem pisce faciem iussit, territus quod is a tergo insulae per aspera, et devia erepsisset ad se. Gratulanti autem inter poenam, quod non et locustam quam praegrandem ceperat, obtulisset, locusta quoque lacerari os eius imperavit.*

Tiberius autem ex quo Capreas secessit, insulam nobilitasse, aurique immensa pondera profudisse ad variorum aedificiorum constructionem fertur. Ibi enim villas XII. condidisse memoriae prodit Tacitus Annal. lib. IV. c. 67. *Sed tum Tiberius* XII. *villarum nominibus, et molibus insederat: quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus, et malum otium resolutus.* Ex his unam construxit, quam Iovis nomine dedicavit in orientali insulae promontorio sitam, ubi Augustus habuit olim domum, posteaque Tiberius magnificentiorem reddidit, adiunctis prope illam aliis fabricis cum horto perquam sumptuoso. Huiusce villae Iovis meminit Suetonius in Tib. c. 65. hoc modo: *Verum et oppressa coniuratione Seiani nihilo securior, aut constantior per* IX. *proximos menses non egressus est*

villa, quae vocatur Iovis. Fortasse ceterae a Diis maiorum gentium nominatae fuere. De hac Iovis villa restant adhuc magnifica rudera: nam reperta fuere signa, opera anaglyptica, vermiculata, aliaque Graecae architecturae id genus monumenta. Non longe ab hoc loco, qui *Laurus* dicitur, sunt qui amphitheatrum, vel theatrum extitisse quondam commemorant ex quibusdam schalariis adhuc integris.

In hac insula fuisse olim etiam pharum liquet; huius facit mentionem Tranquillus ibid. hoc modo: *Et ante paucos, quam obiret dies, turris phari terraemotu Capreis concidit.* Haec forsitan restaurata, et integra postea adhuc Statii aevo extabat, ut canit Silv. lib. III. car. 5.

Theleboumque domos, trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagae tollit pharus aemula lunae.

Toto quo tempore Tiberius Capreis est immoratus, infamia perhorrenda patravit: ipse vero in hanc ab imperii curis animum avocavit, eo modo, ut postea *non decurias equitum unquam supplerit, non tribunos militum, praefectosque non provinciarum praesides ullos mutarit: Hispaniam, et Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit*, ita Suetotonis ibidem. Ipse tandem septem annos super hac insula moratus est, ut scribit Plutarchus in Exilio: Τιβέριος Καῖσαρ ἐν Καπρεᾶς ἑπτὰ ἔτη διετρίβη τῆς τελευτῆς, hoc est *Tiberius Caesar Capreis vixit septem annos usque ad finem vitae.*

Sunt qui scribunt mortuo Tiberio, hanc insulam derelictam fuisse, nec amplius ab aliis Imperatoribus, et Viris illustribus habitatam: at hoc falsum est, cum per historiam compertum habeamus post huius Imperatoris fatum alios illam habitasse: hinc ex quadam inscriptione paucis abhinc annis reperta, quae mentionem facit Marci Aurelii, constat hunc Imperatorem insulam adamasse,

et Tiberianas delicias adiunxisse. Ævo sequiori fortasse alii Imperatores insulae capti amoenitate in hanc advenerunt. Haud vero credibile est Romanos in odium Tiberii omnes insulae delicias evertisse; temporis longaevitas, et aquarum inundationes, terraemotus locorum faciem potius verterunt. Ex immensis fabricarum ruderibus, quae supersunt in tota insula, ex marmorum pretiosorum fragmentis, ex columnis, pavimentis, vasis, numismatibus, statuis, aliisque rebus passim in eo solo sparsis certiores facti sumus, hanc insulam olim fuisse Imperatorum delicias, et amoenissimum secessum.

Hodiedum insula a tanta magnificentia conlapsa est, et nihil aliud superest, quam parva urbs, quae nihil admirationis praesefert: supra insulam est pagus dictus *Anacapri* ab ἀνὰ *supra*, quod nempe supra ascendatur. De hac insula plures mentionem fecere, ut inter alios Capacius Hist. Neapol. lib. II. c. 14 Hadrava, Scoperte delle antichità di Capri, Iustinianus, Dizion. del Regno di Nap. artic. Capri, aliique. Piscatoriae tandem arti vacat maxima incolarum pars, aut reficiendis retibus, navigiisque. Olim duas in ea fuisse urbes scribit Strabo lib. V.

Explicit liber quartus.

DISSERTATIONES DECEM

IN

CAMPANIAM

ΔΙΑΤΡΙΒΗ I.

DE ETRUSCORUM

ORIGINE, POTENTIA, EORUMQUE DECREMENTO.

Operae pretium ducimus, postquam Campaniae Felicis Antiquitates explanavimus, de Etruscis, quoad e re nostra erit, aliqua heic breviter in medium afferre. Nihil ea gente difficilius esse potest, dum ipsa antiquissima adeo inter Italiae populos existimatur, ut vix pauca supersint monumenta post tot saeculorum longaevitatem. Hinc mirandum haud est, si Romanorum historia vetustissima tot fabulis sit conferta. Livius ubi gentis illius originem describit, nihil aliud enarrare fatetur, quam fabulas. Ex his vide, quaeso, quantum etiam incerta habenda sit vera Etruscorum historia.

Censorinus de Die Natali c. 21 Varronis auctoritate tres temporum in historia periodos distinguit, nempe *obscuram*, *fabulosam*, et *historicam*. Omnium primum est illud tempus, cui nullum adfuit principium, et Ogygis diluvium iuxta fabulas praecessit: alterum a diluvio ad Olympiadum institutionem attinet: tertium post Olym-

piades, quod a Varrone ipso certum veluti tempus habendum. Cum igitur ex antiquis auctoribus quasi nihil certi habeatur, quoad vetustissimos spectat historiarum annales, et praecipue de antiquis Italiae populis; semper dicendum, quidquid de ipsis, deque primaeva origine a scriptoribus est traditum, omnia veluti in incerto haerere, ac inde illorum temporum historiam dubiam semper existimandam.

Antequam alio progrediamur, dicendum est, Phoenices (1) olim in Italiam adnavigasse, suasque leges, mores, linguam, et cultum primos Italos edocuisse; et Etruscos, sive Tyrrhenos, seu Tuscos nonnisi post Phoenices Italia dominatos. Hinc iuxta nonnullos doctissimos recentes auctores Italiam, et praesertim Campaniam nonnisi a Phoenicibus omnia recepisse fama est: nullus enim Italiae, Campaniaeque ipsius locus, vel urbs fuit, quae a Phoenicibus originem haud agnoscat; hinc Etrusci ab iisdem cuncta mutuati sunt. Ex clarissimis, et eruditissimis Viris qui in eandem iverunt sententiam, praeclarior adnumeratur Bochartus, qui doctissime id probat, cui adstipulatur Mazochius, Martorellius, Attellius, Signorellius, aliique plures. Rursus vero qui hanc opinionem penitus refellunt, fuere Guarnaccius, Gorius, Maffeius, Tiraboschius, aliique qui doctissime probant, Phoenices nunquam in Italia regnasse, sed Etruscos dubio procul ipsos unos inter omnes vetustissimos Italos fuisse, qui regionem ante Romanorum aevum semper occuparunt.

Et Thucidide lib. VI interim compertum habemus,

---

(1) Ante hasce gentes fuere aliae, quae Italiam, et nostram praesertim incoluere Campaniam. Eae sub Lestrygonum, seu gigantum veniunt nomine. De his agit Homerus Ὀδυσσ K. v. 85, Strabo lib. V. et Pausanias lib. VIII. Hae gentes quae eaedem ac Aborigenes adeo silvestres ab laudatis describuntur auctoribus, ut bestiarum more per primam vixerint aetatem.

hosce Phoenices Siciliam habitasse: isque non aliam ob causam id accidisse scribit, nisi ut commercium ultro citroque Siculos inter, et eosdem exerceretur. Ea gens nullam aliam partem praeter Siciliam, haud vero Italiam, et praecipue nostram occupavit Campaniam, cum ex nullis id arguatur monumentis. Etruscos enim, atque inde Graecos late dominatos fuisse liquet, Italiamque omnem, et maria ipsa sub illorum fuisse regimine, non vero Phoenicium. Id autem satis constat ex millenis veterum scriptorum testimoniis, et praecipue in nostra Campania; praetereo tot signa, numismata, vetustas ruderum fabricas, inscriptiones ipsas Etruscis insculptas characteribus. At de Phoeniciis monumentis ne unum quidem usque modo eruderatum, quamvis recentiores auctores de ipsis tot, ac tanta praedicarint, ut Phoenices Italiam cunctam incoluisse passim asseveraverint. Miror tamen praeclaros doctosque praefatos supra scriptores ad eam pervenisse insaniam, ut putarint non solum Italiam, verum etiam Europam cunctam olim a Phoenicibus habitatam. Unus prae ceteris laudatus doctissimus Bochartus eam gentem Italiam, Graeciam, aliasque regiones adeo suis moribus, et lingua imbuisse scribit, ut omnia ad eorum referat originem. Re sane vera nullum est nomen sive Graecum, sive vetustum Tyrrhenicum Italicum, quod ad Phoenicisismum haud reducat; hinc est ut nulla natio praeter Phoenices eas antea habitavit regiones.

Nos interim quoad e re nostra erit, probare solidis nitemur argumentis (missis enim futilibus hisce quaestionibus, ad certiorem veniemus historiam) Etruscos reapse Italiae dominos fuisse, eamque gentem celeberrimam armis, scientiis, cultu, et artibus semper evasisse. Ne longius ultra sermonem protrahamus, en breviter omnia.

Etruscorum regnum, et Imperium fuit omnium vetustissimum in Italia; idque ante Romanam rempublicam. Hoc compertum est ex ipsis antiquis scriptoribus, qui hoc memoriae prodidere. Livius enim sic de eo testatum reliquit Imperio lib. V. c. 33. *Tuscorum ante Ro-*

manum Imperium late terrâ marique opes patuere. Mari Supero, Inferoque, quibus Italia insulae modo cingitur, quantum potuerint, nomina sunt argumento, quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum, ab Adria Tuscorum colonia, vocavere Italiae gentes. Plures hinc habuerunt urbes in nostra Campania. Diodorus Siculus lib. 11. c. 17 campos obtinuisse Phlegraeos Capuam inter, et Nolam scribit. Idem confirmat Plinius: et Pausanias Puteolos Tuscorum appellat urbem: Strabo Marciniam, nunc *la Cava* prope Salernum ad ipsos etiam pertinuisse scribit. Adhaec Cossa, Paestum, Nola, Atella, Capua ipsa, aliaeque ad eosdem etiam olim pertinuerunt. Livius loco ante citato duodecim habuisse Etruscos urbes, eorumque Imperium late qua patet Italia, extensum, et ad Alpes usque Rhaeticas fuisse historiae prodit; *Ii in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras: prius cis Apenninum totidem ad Inferum mare, postea trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, coloniis missis. Quae trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolunt maris, usque ad Alpes tenuere. Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo est, maxime Rhaetis.* Temporis vero progrssu factum est, ut plures urbes ab antiqua Etruscorum domina ione desciscentes, nihil aliud ab ipsis retinuerint, nisi originem, ut Campaniae urbibus evenisse constat, quae postmodum sub Romanorum dominium transierunt.

Iam diximus Etruscos duodecim habuisse urbes, sive in duodecim populos fuisse distinctos. Iis totidem praeerant principes, qui patrio illorum vetusto vocabulo *Lucumones* audierunt, quorum unus aliis per vices imperabat. Mezentius Rex, sive Lucumo fuit ex urbe Caere oriundus, et Clusinus fuit etiam Porsena. Ea vero Etruriae antiquae pars, quae Circumpadana fuit, Mantuam caput habuit ut canit Virgilius Æneid. X. v. 201.

. . . . . Mantua nomen,
Mantua dives avis, sed non genus omnibus unum:
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni,
Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires.

Hi vero veteres populi fuere Veientes, Coritani, sive Cortonenses, Tarquinienses, Caeretani, Volsinii, Perusini, Aretini, Falisci, Volaterrani, Rusellani, Vetulonienses, et Clusini. Plinius Hist. Natur. lib III. c. 5. sic de Etruria scribit: *Etruria ab amne Macra: ipsa mutatis saepe nominibus, Vmbros inde exegere antiquitus Pelasgi. Hos Lydi, a quorum rege Tyrrheno Tyrrheni: mox a sacrifico ritu lingua Graecorum Tusci sunt cognominati,* ἀπὸ τοῦ θυειν. Idque ob religionis coeremonias, quae apud eos vigebant, ab urbe Caere, quam memorat Livius lib. VII.

Sunt vero qui scribunt ex recentioribus auctoribus, ut ex his Guarnaccius, Origini Tirreniche, tom. I. c. I. hoc Imperium adeo vetustum fuisse, ut paulo post universale diluvium, vel Babelicam dispersionem sit constituendum: idque adeo patuisse credibile est, ut longe lateque per Europam pene omnem potentiam extenderit. Certum vero est iuxta Polybium lib. II. hoc Imperium per totam Italiam fuisse extensum, idque praesertim qua late patent Apenninì montes, atque iuxta mare Adriaticum olim habitasse Etruscam gentem. Hinc mirum haud est, si non solum per Graeciam ipsam magnam, aliasque regiones; sed praecipue per totam Italiam Etruscorum monumenta adhuc reperiantur.

Ea vero gens proprios habuit Reges, eosque celebres, uti Porsenam, aliosque; tamen praeter hunc, vel alterum, historia de iisdem nihil nobis memoriae prodidit. Etruscos insuper Campaniam obtinuisse ex hoc satis clarescit, quod vetustissima oppida, uti Calatia, Capua, Nola, aliaque plura sub illorum potestatem fuerint olim, et originem fortasse ab iisdem traxerint. Quae quidem Italiae pars populis quondam variis fuit subiecta. Memo-

rantur inter alios Sidicini, Ausones, Aurunci, Osci, Etrusci ipsi, aliique, ut ceteros omittam. Quae gentes diversis temporibus Campaniam veluti fragmen coeli in terram delapsum in suam habuere potestatem. At inde factum est, ut eae ipsae gentes bellis quotidianis inter se dissipatae Campaniae partem occuparint; horum populorum quicunque ipsi fuerint, dominio, atque iugo excusso, proprias sibi leges, administrationem, et politiam efformarint. Hinc mirandum haud est, si unaquaeque Campaniae Felicis urbs praeclariores magistratus, senatum, mores, et numismata cudendi sibi potestatem fecerit. Hinc Capua, aliaeque urbes unam ab alia diversam habuerunt administrandi facultatem. Unaquaeque veluti urbs parva fuit respublica, parvum occupans agrum. At undenam haec diversa administratio? Non alio id accidisse crediderim modo, nisi quod tunc temporis eo in more administratio ita esset posita. Nam ab aevo quasi immemorabili is apud gentes usus invaluerat, ut unaquaeque urbs cum parvis vicis, si qui fuissent, aut Regibus pareret, aut in reipublicae formam esset administrata, ut cunctis Campaniae opidis id evenisse ex historia satis arguitur.

Vetustissimorum Etruscorum potentia, et agrorum extentione a nobis vix degustata, ad illorum nobilissimas artes gradum nunc facimus. Norunt omnes eruditi viri, Graecorum artes ad perfectionis apicem pervenisse: nihilominus eas haud ceteris aliarum gentium esse praeferendas censeo. Hinc merito Cicero de Orat. lib. I. appellat *artium inventrices Athenas*; et Venusinus vates lib. II. epist. I. v. 157.

Gracia capta ferum victricem cepit, et artes
Intulit agresti Latio.

et in arte poetica v. 323

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui.

Tamen inficiandum haud est quin diversae temporum vices sint stabiliendae: cum enim praefati auctores ea de Graecia praesetulerint encomia, iam Etruscorum Regnum evanuerat, et Romanorum invidia dissipatum dicam, an senectute conlapsum, incertum; tunc Graiorum gens maxime vigebat: artes, atque omnia ad ultimam perfectionis normam erant redacta: hinc mirandum id accidisse haud est, cum Romani qui a Tuscis erant progeniti, iam tunc nullas norant artes. Attamen si rem historcam multo ante perspiciemus, profecto videbimus Etruscos, et quicunque ii fuerint, olim ad perfectionis ultimum venisse gradum; artes et quidquid ad Regni cuiusque maiestatem attinet, in summo gradu esse evectum. Id omne ediscimus ex ipsis Graecis historiographis, et praesertim Etruscorum fastorum adversariis. Inter alia quae ab iisdem inventa existimantur, occurrit mentio de tubis, ac cornubus militaribus. Hic scribit Athenaeus lib. IV. c. 25. Τυρρήνων δε ἐστιν εὕρημα κέρατα τέ καὶ σάλπιγγες *Tyrrhenorum inventa sunt cornua, et tubae.* Et Clemens Alexandrinus Stromatum lib. I. pag. 132 edit. Venetae 1757 Τυρρηνοί σάλπιγγα ἐπενόησαν: *Etrusci Tubam excogitaverunt.* Hinc haud admirationi esse debet, si ex antiquis aliquis auctor Tuscanicas artes, et scientias iam conlapsas fuisse scribat: quo enim tempore ii auctores de ipsis Tyrrhenis artibus verba faciebant, intelligendum est, iam deperditas omnino: haud enim amplius Etruscorum vigebat Imperium, et iam pluribus saeculis pene erat extinctum. Qnintilianus Instit. Orat. lib. XII. c. 10 qui non Etruscorum, nec primorum etiam Caesarum, sed extremo floruit tempore, de Etruscis haud bene sentit, qui suo vivebant aevo: aliter enim de antiquis Tuscis, cum et studia, et scientiae, et praesertim artes tum vel maxime floruerint.

Plurium interim scriptorum afferemus auctoritates, ex quibus comprobatur, iam antiquissimo tempore in Italia artes, et praecipue picturam ad perfectionem redactam. Plinius inter alios sic prodit Hist. Natur lib.

XXXV. c. 8. *In Italia Dema[illegible] Tarquinii Romani Regis patrem. . . . . Iam enim abso[illegible] erat pictura etiam in Italia. Extant certe, hodieque an[illegible]res urbe picturae Ardeae in aedibus sacris . . . . similiter Lanuvii . . . . . durant et Caere antiquiores, et ipsae.* Ex quo auctoris testimonio liquescit, picturam ante Romanam conditam urbem extitisse, eamque ad perfectionem adductam, praesertim apud Etruscos. Nonne etiam architectaram ab iisdem absolutam existimatur, ipsamque tempore immemorabili? inde iam a Romae incunabilis addiscimus templa, publicaque aedificia condita ex Tuscis introductis urbem ab Romanis ipsis. Nonne et Tarquinii filius Circum Maximum aedificavit? et undenam vir ille ortus? nonne apud Etruscos, qui architectonicam artem ad maiestatem redegerant? Ex supra citato Plinio accipimus, plastices artem etiam apud Etruscos absolutam fuisse: hinc scribit: *M. Varro tradit sibi cognitum Romae Posim nomine, a quo factas Romae uvas: item pisces, ita ut non sit adspectu decernere a veris.* Et paulo post subiungit: *Praeterea celebratam hanc artem Italiae, et maxime Etruriae.* Martialis lib. XIV. Epigr. 98 Tuscanica laudat vasa:

Arretina nimis ne spernas vasa, monemus,
Dives erat Tuscis Porsena fictilibus.

Et Plinius loco citato cuiusdam Turiani mentionem facit in opere fictili satis celebris: *Turianumque a Fregellis accitum, cui locarat Tarquinius effigiem Iovis in Capitolio dicandam. Fictilem eum fuisse, et ideo miniari solitum.* Hinc haud mirum etiam esse debet, si tot opera Tuscanica, praesertim vasa, longe qua patet Italia, et praecipue in nostra Campania apud tot veteres urbes identidem reperiantur. Hinc est, ut hodiedum in eruderandis antiquarum aedium ruinis, tot ac tanta effodiantur, ut nullum adsit Museum, quod haud

scateat millenis hisce optimis elaboratis fictilibus vasis. Praetereo tot urbes veteres, uti Capuam, Nolam, Abellam, Cumas, aliasque plures, ex quibus in dies isthaec inveniuntur, eaque omnia Tuscanico nonnisi opere elaborata reperiuntur. Ex eodem Plinio lib. XXXIV. c. 7 accipimus suo aevo Etruscas statuas saepe repertas; hinc ait: *Signa Tuscanica per terras dispersa, in Etruria factitata esse.*

Ea autem signa fuisse tot ac tanta liquet, ut Italia tota iisdem fuerit repleta. Hinc Tertullianus Apologet. c. 8. sic scribit: *Signa Graecorum, et Tuscorum Romam simulacris inundarunt.* Romani vero post debellatos cunctos populos, et praecipue Italiam, plurimas statuas Romam convectarunt. Celebre hinc est illud, quod narrat laudatus saepe Plinius ibidem de Vulsinio, e quo opido Romam translata fuere ad duo millia statuarum: *Deorum tantum putarem ea fuisse, ni Metrodorus Sceptius, cui cognomen a Roman nominis odio inditum est, propter duo millia statuarum Vulsiniis expugnatos obiiceret.* Ptaeter citatum Plinium Clementis Alexandrini Stromat. lib. I. pag. 132. auctoritatem afferemus, qui Etruscorum plastices artem laudat: Ἔτι φασὶ Τουσκανικοὺς τὴν πλαστικὴν ἠπινοησαι: *Tuscanos aiunt plasticen excogitasse.* Negandum autem haud est, ante Etruscos alias extitisse gentes, quae hanc artem excogitarunt. Fuerunt Hebraei, et Ægyptii, non vero Graeci, qui hanc artem introduxerunt. Verum Etrusci ipsam fortassis ad perfectionis apicem reduxerunt, non vero illius auctores fuere. At nihilominus inficiandum haud est, quin iidem Etrusci in hac arte celebres evaserint, et praeclarissima composuerint opera; attamen Quintilianus lib. XII. c. 10 eosdem in arte *duros* appellat. Plinius interim Apollinis statuae mentionem facit loco supra citato: *Videmus certe Tuscanicum Apollinem in bibliotheca templi Augusti, quinquaginta pedum a pollice, dubium aere mirabiliorem, an pul-*

chritudine. Ea autem statua satis pulchra esse debuit, quae in loco tam magnifico fuit collocata.

Quid vero dicam de aliis celeberrimis gentis huius monumentis? Restant adhuc ab aevo immemorabili pleraque in antiquarum Italiae urbium ruinis nobilissima vestigia. Quid memorem vetustissima urbis Volaterrae moenia, quorum reliquiae hodiedum advenientibus sunt miraculo: immania enim saxa sine calce connexa, quibus ea urbs erat aedificata, dubio procul artis miraculum existimatur. Mitto etiam Perusiae Augustae moenia eodem modo effecta. Nonne etiam existimandum simili aedificatum structura nobilissimum Amphitheatrum Campanum, quod si non ab Etruscis, saltem illorum ordine fuit conditum? Ibi enim immania, et praegrandia saxa adhuc adservantur extrinsecus, et Tuscanico ordine constructa.

Postquam de Etruscorum diximus monumentis, nunc heic pauca de huiusce gentis opulentia, deque aliis rebus in medio afferemus. Ea Italiae pars, quae quondam ad Tuscos pertinuit, omnium ditissima fuit. Nam ea gens in Italiae ipsius meditullio cum esset sita, coelique, terraeque divitiis frueretur; opes hinc maximas a naturae auctore donatas constat. Cum vero non solum vicinas, et longinquas possideret terras, quibuscum commercium magnum exerceretur, sed etiam mare Superum, Inferumque prospectaret; inde in vicina Graecorum, et longinqua litora merces opimas convectabat. Ex Halicarnassaeo lib. VIII. Demaratum proditur Corinthium mercatorem magnos thesauros in Italiam ad Etruscorum opida, et Peleponnesum attulisse, et brevi adeo fuisse locupletatum, ut ditissimus evaserit. Ex hisce narratis liquet, Tyrrhenos eo tempore Italorum omnium ditissimos extitisse, qui merces ipsas ex ipsorum felicissimo solo extractas percipiebant.

Ea vero gens divitiis affluens, et in Italiae meditullio (ut ante innuimus) adeo vitae deliciis, et illecebris fuit dedita, ut cibos perquireret exquisitos, et

vestibus indueretur sumptuosis. Huiusce rei testimonium adest apud ipsum Halicarnassaeum lib. II. Quod confirmat alio loco, nempe lib. IX. Athenaeus de huius gentis luxu sermonem etiam sic instituit lib. IV. Παρα δὲ Τυρρηνοις δις τῆς ἡμερας τραπέζαι πολυτελεις παρασκευαζονται, ανδιναι τε στρωμαῖ, καὶ ἐκπωματα αργύρα παντοδαπα, καὶ δουλῶν πληθος ἐυπρεπων παρεστήκεν, ἑστησεσι πολυτελες κεκοσμημενῶν: *Apud Tyrrhenos bis in die mensae praeparabantur sumptuosae, floridis stragulis et aureis omnis generis vasibus, et servorum decentium assistit multitudo, vestibus sumptuosis indutorum.*

Eo autem res rediit, ut non solum seipsos exquisite tractarent, verum etiam hospites, et quicunque ad illorum domum perveniret. At undenam isthaec omnia vitae bona, nisi ex ipsorum longa pace, et fortunae indulgentia, et felicitate afflante, qua illorum solum per longam annorum seriem (ut credibile est) nullo intestino externove turbatum bello fuit unquam? Hinc artes ad ultimum perfectionis gradum apud ipsos pervenisse constat, ut etiam de sculptura, de architectura, aliisque factum est. At ea gens, quae per tot saecula in Italia a vetustissimis ipsis temporibus fuerat dominata, quaeque ad maiestatem, et divitiarum pervenerat culmen, quaeque ad illud usque tempus luxuriose vitam egerat; brevi ad sui ipsius ruinam accedebat. Hinc effoeminati mores apud eosdem, et nullo belli usu deturpati per longum tempus, cum tot annis vicinis populis pace reddita, postea ad Imperii lapsum pervenere. Hinc longinquae, vicinaeque efferatae gentes bellis instructae Etruscorum beatum invidentes solum, illorum rempublicam a fundamentis evertere omnino constituunt. Galli primum, qui cis Alpes incolebant (ea gens tunc temporis celeberrima, et ad militares labores assueta in Etruscos irruit) illorum opida fortissima diripiunt, atque populantur.

Vix Romanis ortis, et Romulo primo illorum Rege cum Fidenatibus, et Veientibus bellum gerente, eo res

rediit, ut illorum urbibus validissimis expugnatis, praeda divitiarum immensa ille fuerit potitus. Ita narrant Plutarchus in Romulo, Halicarnassaeus lib. II. et Livius lib. I. Infinitum vero esset enumerare tot praelia horrenda, quae Romanos inter, et Etruscos gesta fuere, quo tempore horum res eo venerant, ut illorum potentia, et antiquum fuerit extinctum nomen. Sic igitur bellica virtus, militaris disciplina, praeteriti temporis fama, et futura spes penitus ad extremum fuit redacta. Ne lectorem iteratis bellis, atque praeliis enarrando fatigemus, supersedeamus fas est.

Quid autem de Religione huiusce dicemus gente? Ea autem ad insaniam quasi pervenit: hinc eo fuit redacta, ut ad superstitionis pervenerit gradum. Hanc ob rem audire Livium licet de Etruscis enarrantem lib. V. *Gens itaque eo magis religionibus dedita, quo excelleret arte colendi eas.* Arnobius lib. VII. contra Gentes Etruscorum gentem appellat *Genitricem, et Matrem superstitionum.* Hinc Etruscos augurum collegia in Arretio, et Volaterris habuisse scribit Valerius Maximus lib. I. c. 1. Et Cicero de Divin. lib. I. c. 2. sic ait: *Cumque vis videretur esse, et in impetrandis, consulendisque rebus, et in monstris interpetrandis, ac procurandis in haruspicum disciplina omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus ullum divinationis, quod neglectum ab iis videretur.* Romani inde hanc ob causam adolescentes decem in Etruriam quotannis mittebant, quo religionis mysteria edocerentur. Hinc celebres ipsimet Etrusci ob auguriorum, et haruspicinae inventionem evaserunt. Ad rem narrat Clemens Alexandrinus Stromat. lib. I. pag. 132 has gentes aruspicinam invenisse; Καὶ Ϛυτικὴν ἐκβίβωσαν Τοῦσκοι Ιταλίας γείτονες: *Aruspicinam autem, sive extispicinam perfecte tenuerunt Tusci, vicini Italiae.* Et si quando Romae portentum aliquod ingrueret, statim in Etruriam oracula scitatum ad sacerdotes mittebant, quo rem edocerent. Livius lib. IX. narrat, primis reipublicae temporibus Romanos ipsos adolescentes litteris Etruscis

erudiendos curasse : *Auctores habeo ; Romanos pueros, sicut nunc Graecis, ita tunc Etrucsis literis erudiri solitos.* Ex Dionysio Halicarnassaeo lib. III. Demaratum Graium scimus, suos filios Etruscas edocuisse literas. Ex his narratis satis liquet, hanc olim gentem literis addictam adeo fuisse, ut vicinae, et longinquae nationes in illorum lingua instituerentur.

Cum autem horum lingua in more maxime esset posita (nam illorum Imperium late erat diffusum) hinc certum est, apud Etruscos plures extitisse scriptores, qui materias, et argumenta tractarunt varia. Heic interim de ipsis pauca adiungemus. Macrobius lib. VII. c. 13 Caecinam Albinum prodit apud Atteium Capitonem, librosque Pontificales memorat. Hic quidem auctor a Seneca etiam indicatur Quaest. Natur. lib. II. c. 35, quique Fulminum auctor ab eodem dicitur. Suidas in verbo Πολλῆς mentionem huius facit auctoris patria Augiensis, qui scripsit Auguriorum libros octo, de Arithmetica duos, de Auspiciis Homericis, deque Tyrrhenorum Divinatione. Hic quamvis Graecus patria, tamen Tyrrhenum Pelasgum eundem fuisse sunt qui scribunt. Citatus auctor alterum memorat, ipsumque in historia virum peritum fuisse ait ; sed quinam is fuerit auctor, per hunc haud constat, neque quonam tempore suam elucubrarit historiam. Varro etiam De L. L. lib. IV. quendam memorat Volumnium Tragoediarum Tyrrhenicarum scriptorem, neque de ipso quidquam affert, nec verbum quidem, aut fragmentum. Tullius de Divin. lib. I. meminit etiam librorum Aruspicinorum, et Fulguralium, et Ritualium Etruscorum. Haud memorem Etruscos alios scriptores, uti Sostratum, Aquilam, Tarquitium, Vmbritium, et Caecinam, qui omnes de Italico Regno, deque Etruscorum rebus fuse scriptitarunt. Tagetes vetustissimus alius scriptor Homero ipso anterior (uti fertur) de mortuorum animis, deque divinitate disseruit. Verum ut alios praeteream, satis esset, si antiquissimorum Romanorum opera prae manibus haberemus, qui de Italia verba fecere, ut inter alios citantur

Cato, qui dixit de Originibus, Q. Fabius, L. Cincius, Valerius Antiates, aliique quorum opera omnino intercidere. Plinius Hist. Natur. lib. XXXIV. c. 6, et Plutarchus de aliis mentionem faciunt, qui de variis conscripserunt rebus, nempe de Musica, aliisque argumentis, quae profecto opera deperdita fuere.

Ea vero iam saeculo primo, et altero ab Ecclesia Christiana condita ineunte, adhuc prae doctorum hominum manibus habebantur, aut omnino fragmenta, eorundem plurima opuscula aderant, quaeque temporis progressu, et sequiori aevo procul dubio interiere. At undenam, et qua ratione posteriores auctores de ipsis haud mentionem fecerunt? Non alia id crediderim ratione factum, quam ipsorum Romanorum invidia, et praecipue Graecorum garrulorum loquacitate, qui potius vetustate tot nobilissimos auctores, totque artes tam egregias everterunt. Quo sane tempore Graeci suas artes, atque scientias introduxerunt, eversa ubique erant Tuscorum monumenta.

Haec gens de qua usque modo locuti sumus, quaeque tam celebris in Italia quondam fuit, quaeque per plura saecula fuit dominata, usque eo stetit, donec Romani imperium per Italorum regiones extendere coeperunt. Ex eo iam tempore Tyrrhenorum Regnum fuit penitus eversum, neque amplius illius historia nobis mentionem facit, aut si postea auctores de Etruscis scripsere, omnia Romanorum invidia intercidere.

ΔΙΑΤΡΙΒΗ II.

PHYSICO-HISTORICA DE LOCIS CIRCA LACUM ANIANUM.

Fuit quidem magni semper habitum rerum antiquarum studium, et praesertim illud quod ad patrias spectat antiquitates, non solum ab Italis eruditis Viris, verum etiam exteris. Hinc mirum haud est, si clarissimos saepe homines adspectamus ex dissitis Europae partibus in Italiam adventantes, quo res antiquas adhuc existentes invisant. Quidquid id rei est, in dubium vertendum haud arbitror, quin rerum vetustarum hic amor omnium amoenissimus sit existimandus, cum nihil sit praeclarius homini literarum studioso, quam Romanae reipublicae tempora ob oculos sibi obiicere.

Italia cuncta vetustis quaquaversus scatet ruderibus: at unus ipsius angulus Campania scilicet pretiosa servat rerum vetustarum monumenta. Inter alia eiusdem loca Puteolanus ager infinitas continet antiquitates. Nos de hisce ad ravim usque in quarto diximus libro, ubi de omnibus sermonem instituimus; physicum in genere huiusce anguli statum innuimus; heic vero pretium operae ducimus, et pergratum lectori erudito, circa Anianum lacum praesertim loca physice describere.

Lacus hic adsurgit in patulae vallis medio; pluresLacus Anianus. montes, atque colles anphitheatri instar circum illum coronam veluti efficiunt. Squalidus et graveolens est adspectus eiusdem, et pestilens habitatio, ita ut vicinorum pagorum haud tutum sit domicilium. Eiusdem crater nihil aliud repraesentat, quam ignovomi montis os, ex quo olim eructatae fuerunt materiae, ut adhuc videre est in propinquis illius locis. Cl. Ancora, Guida di Pozzuoli, pag. 26 edit. Neapol. 1792 evidenter probat, lacum hunc

quondam vulcanum fuisse, ut ex vestigiis apparet. Hinc solum Aniani lacus nihil aliud ob advenientium oculos ostendit, quam ignem quibusdam in locis extinctum, et in aliis adhuc permanentem. Vicini colles Leucogaei, qui Vulcani Fori sunt partes, ut ipsum etiam, et in loco praesertim, ubi dicuntur Fontes Leucogaei, *l' acqua de' Pisciarelli* (1), quos fontes describit Plinius lib. XXXI c. 11., nihil aliud sunt, quam ignivomi montes. Super hosce fontes adsunt colles Leucogaei, nunc *l' Alumera*, quorum meminit Sanfelicius Senior Orig. Camp. pag. 15 edit. 1726. Haec aqua duos inter montium crateres, quos dicimus *Astruni*, et montem *Spinam* ad Vulcani Fori, sive Sulphurariae radices reperitur.

Hoc solum nihil aliud offert, quam ignem, ubi vicina terra pestilentes, et sulphureos exhalat vapores, et ubi solum ipsum sub pedibus saepissime tremit. Vulcanicae hinc passim materiae loci faciem quaquaversus convestiunt. Idem Aniani lacus crater totum ignem fuisse quondam liquido demostrat; nam etiam cum aqua haud ventis agitatur, quibusdam in locis ebullire videtur, praesertim in ea lacus parte, quae parvam *Canis cryptam* respicit. Scriptores omnes qui eiusdem lacus mentionem fecerunt, et inter alios Carlettus, Regione Brugiata pag. 112, hunc probat lacum Vulcanum fuisse, ut etiam de monte dici potest, qui vocatur *Astrunus* (2), ubi

---

(1) Paucis abhinc annis locus hic magnam vicem est passus. Parva crypta ad montis radices adsurgit, ubi quondam aqua scatebat cum crepitu instar aestus. Haec aqua ex illo effluens cavo cum aliis minoribus se miscebat fontibus, qui in loca saliebant praerupta. In eadem igitur crypta nunc temporis idem auditur aquarum murmur, et adhuc etiam idem permanet caloris vaporisque gradus, et aqua haud (ut antea) adsurgere videtur, uti observavit Breislakius, Topografia Fisica della Campania, pag. 243.

(2) Breislakius, Topogr. fisica, pag. 240 hunc montem autumat olim vulcanum quoque fuisse, non solum ob Sulphu-

adhuc vulcanicas extare probat materias. Id etiam confirmat Hamiltonus Anglus Physic. Experim. Quid sibi tandem volunt eruderationes illae, quae in dies ex vulcanicis illis materiis, quas *piperno* vocamus, efficiuntur apud vicos *Soccava*, et *Pianura*, nisi materiem a temporibus usque remotissimis e terrae visceribus productam? Ea in inferiori montis parte reperitur, qui subiacet alteri, quem appellamus *de' Camaldoli*. Superior pars est tofacea, quae etiam vulcanicas inter materias est adnumeranda.

Ex his usque modo dictis luculenter eruitur, Aniani lacus propinqua loca nihil aliud esse, quam ignitas materias olim eructatas. At quo tempore id evenit? hoc esset experiundum: monumenta certe deficiunt ad hoc probandum, et nullus inter antiquos adest auctores, qui id sciat. Sunt vero qui scribunt Romanae Reipublicae tempore, hunc lacum haud extitisse, nec nonnisi multum post tempus ipsum efformatum fuisse. In hanc sententiam descendit Cl. Mazochius, qui autumat eundem exsurrexisse saeculo XI. post natum Christum, quod confirmat Breislakius topogr, fisic pag. 234 qui hoc evenisse credit circa annum MCXCVIII. Federico II. Neapoli regnante.

At qui fieri poterat, ut lacus Anianus post tot saecula fuerit efformatus? Pace bona Cl. Mazochii id credendum haud omnino est cum enim montes, collesque qui lacum circumeant, et cum ipse tam profundus sit, ubinam tot aquae, quae quotidianis dispendiis ex iisdem percolent montibus, ire debebant? heic loci nec euripus aliquis, nec aquaeductus unquam adfuit. Non in alio loco, quam in hac Aniani valle aquae ipsae semper fuerunt. Sive quod igitur a temporibus immemorabilibus,

---

rariae propinquitatem, verum etiam ob vulcanicas ipsas materias, quae adhuc adspiciuntur eo loco. Re sane vera haud procul ab iisdem locis ignitas materias adservari asserit. Nec solum heic, verum etiam qua patet idem mons, restant plures ex hisce, praesertim ex eo loco, qui montis orientalem respicit partem.

sive posteriori aevo lacus hic emerserit, haud unquam cum citato Mazochio credendum ipsum esse tam recentem, ut nonnisi saeculo XI. adsurrexerit. Lacus hic vetustissimus esse debuit: nec mirum sit, si ab antiquis haud fuerit descriptus. Blondus Hist. Neap. lacum hunc antiquissimum esse, et ipsum Romanorum tempore extitisse iam arbitratur. Hinc L. Lucullum fossam aperuisse scribit Olibanum inter, et Leucogaeos colles, ex qua ad mare usque aqua decurrebat, eamque temporum longaevitate oppletam vicinorum montium assiduis aquis credit. Idem autumat Carlettus, Reg. Brug. nota 14 15 et 16. At hoc omne incertum quidem est, cum ex historia nihil memoriae proditum fuit. Mazochius probat in ipso lacu Lucullum villam possedisse ex multis, quae supersunt ruderibus. Sunt etiam qui scribunt (1) heic loci olim fuisse urbem nomine *Anglanum* (2).

Hic vero lacus a Medii Ævi scriptoribus Colatorium (3) fuit nuncupatum, quippe quod ibi vicinorum

---

(1) Cl. Mazochius de Castro Lucull. pag. 215 asserit in hoc lacu extare adhuc vetustas fabricas: *Compertissimum est, quotidie ab urinatoribus ingentes continentium aedificiorum, interdum integrorum compages in toto stagni fundo deprehendi, ac pertentari, ita ut iidem non dubitent, eas opidi alicuius ruinas fuisse.* Heic ergo loci fuit urbs iuxta Cl. auctorem, aut saltem fabricarum frequentia, quae villam efformabat. At quaenam illa fuit? eandem ad Lucullum pertinuisse scribit idem. Hoc probatur ex pluribus ruinis, quae restant circa eundem locum. At ego nihil affirmandum auserim ad quemnam haec pertinuerit fabrica.

(2) In eandem etiam sententiam ivit Galantius, Descrizione di Napoli. Is enim autumat in Aniano stagno parvam olim urbem extitisse *Anglanum* nomine; haec auctoris affirmatio satis audax videtur, cum ibi nonnisi paucas aedificiorum ruinas reperi amus, quae haud urbis existentiam probare possunt: nec eiusdem ex situ in valle satis profunda, et tristi, nec ex veterum scriptorum silentio colligi liquido potest, hoc verum esse.

(3) Balneum fortasse, quod sub *Colaturae* nomine salutatur,

montium aquae percolarent· Pellegrinius, Discorso II. pag. 279 hunc asserit ab auctoribus Nortmannis *Anglanum* fuisse appellatum, quam vocem Mazochius ibidem ab *Ango* derivat. Eiusdem tandem lacus crater milliare circiter unum latitudine haud excedit, et circuitus III. circiter. Hodiedum linis maturandis inservit, quae vicinis proveniunt locis: aer hinc adeo graveolens est, ut nulla heic sit sedes. Vicina loca serpentibus infinitis scatent.

Ad descripti lacus ripam ex parte, quae occidentem, et septentrionem respicit, et ad montis radices adiacet parva Crypta Canis, vulgo *la Grotta del Cane*, altitudine XII. pedes, et latitudine V. Sic fuit dictitata, quod in ipsa canum praesertim fiunt pericula. Quinam huius auctor, nullus inter veteres, nec inter recentes adest auctores, qui id commemorat praeter unum Plinium. Eandem creditur excavatam a vicinis accolis. Mephitis quae heic perpetuo regnat, est adeo visibilis, ut nigra videatur nebula, et fumus, qui totam eius occupat superficiem. Guicciardinius Mercur. Camp, pag. 188 sic eandem describit: *A pestifero et venenoso, quem terra emittit, halitu exanimari canes credidit, et huc usque credit vulgus: ad orificium siquidem antri se prosternentibus, nubecula quaedam apparet, eiusdem solum, ac planum, ad palmi unius altitudinem aeque omni ex parte operiens. Hanc ex alitibus, et vaporibus, quos sulphur, et alumen, ceterave mineralia, quibus hic tractus abundat, transmittunt, coalescere non est ambigendum.* Canum fit experientia, quos funiculo adhaerentes huc immittunt accolae, post minutum semimortui eiiciuntur. At si in vicinum statim immerguntur stagnum, vires iterum recuperant. Idem periculum faciendum est cum quovis animali, et cum ho- Canis crypta.

---

cuiusque meminit Sebastianus Bartolus Thermol. Aragon. pag. 156 eandem habuit originem Aniani stagni, dum aquae a vicinis percolantes montibus in Anianum pervenicbant.

*

minibus quandoque factum. Petro enim Toletano Neapolitanum administrante Regnum duos servos in hoc antrum immissos, statim vita privatos fuisse narrat historia. Et Carolus VIII· Galliarum Rex ad haec loca adveniens super asinos pericula fecit, qui etiam mortui fuere. At undenam aer hic tam pestilens, et lethalis in ea crypta generatur? Hic nihil aliud est (ut ante diximus) quam immensae vulcanicae materiae, quae in eo solo regnant, et heic praesertim extricantur. Physici auctores plura de hac crypta scriptitarunt. Ea vero ab antiquis auctoribus fuit appellata *Scrobs Charonea.* Plinius inter alios eam significasse videtur hoc modo Hist. Natur. lib. III. c. 93. *Spiritus lethales alibi, aut scrobibus emissis, aut ipso loci situ mortiferi; alibi volucribus tantum, ut Soracte vicino urbi tractu: alibi praeter hominem ceteris animantibus, nonnunquam et homini, ut in Sinuessano agro, et Puteolano. Spiracula vocant: alii Charoneas scrobes mortiferum spiritum exhalantes.* Et Sanfelicius de Orig. Camp. pag. 15 sic etiam scribit: *Est in proximo terrae spiraculum, afflatu intus tabifico, signum habens iuxta, quod non sine vitae periculo praeterire licet. Quodcunque animal id transgreditur, procumbit illic semianime: quod si prius quam exanimetur, his tinguatur aquis, ad salutem redit, facto in canibus saepe periculo.*

Aniani Sudatoria.

Parum ab Aniano lacu immensa vetustorum aedificiorum supersunt rudera, in quibus plures cretacei in parietinis tubi adservantur. Huiusmodi aedificia Thermae, vel Sudatoria, vel Calidaria (1) esse existimantur, quae sunt iuxta viam Puteolanam. Re sane vera scriptores omnes heic celebres

(1) Hoc erat Calidarium, vel potius aedificium, in quo per tubos bene dispositos vapores distribuebantur diversis in cameris ad advenientium aegrotorum usum: hoc praeclarissimum esse debuit prae recenti, in quo vix nunc commoda aegris subministrantur.

S. Germani Capuae Praesulis thermas ponunt. Eadem *Thermae*, vel *S. Germani Sudatoria* audivere Nota est historia, quam narrat S. Gregorius lib. V. Dialog. num. 10 huius Episcopi Campani, qui sexto vixit Christianae Ecclesiae saeculo. Hic prodit eum adhuc adolescentem hanc historiam accepisse a maioribus, Paschasium nempe Sedis Apostolicae Diaconum hominem sanctum heic damnatum. Hinc accidit multum post tempus ab eius fato, ut S. Germanus Capuae Episcopus medicorum consilio infirmitatis causa in hasce advenerit Thermas. Ibi eiusdem Paschasii animam in caloribus invenit. Zaccharias vero Pontifex Romanus, qui VIII. extitit Saeculo, Gregorii Dialogos e latino in Graecum vertens, earundem meminit Thermarum. At quomodocunque se res habet, nempe utrum vera, an falsa sit haec historiola, illud pro certo habendum, easdem fabricas Thermas, vel Sudatoria fuisse, eaque quadrata extitisse forma, ut apparet ex opere lateritio.

Postquam de vicinis circa Anianum stagnum locis diximus, pauca de Vulcani Foro, seu Sulphuraria addemus. Non amplius quam mille passus ab hoc distat lacu: eiusdem forma ovalis est parva altitudine, et circum collibus cingitur, praeter partem, quae meridiem spectat. Sulphuraria etiam dicitur ob sulphuris quantitatem, qua undique scatet. Vulcani Forum

Capacius Hist. Neap. lib. II. c. 24 hunc montem narrat, MCXCVIII. regnante Federico II. tantum ignis eructasse, ut vicini agri, et vici ingentibus fuerint malis pressi, et motibus terrae. Regnum vero Neapolitanum administrante Ferdinando Aragonio tantam aquarum effervescentium copiam evomuisse Vulcani Forum fama est, ut agris propinquis ruinam attulerint. Nec solum eo tempore hoc evenit, verum etiam Romanorum aevo, ut ex Petronii Satyrico intelligi videtur c. 120 v. 67.

Est locus exciso penitus demersus hiatu,
Parthenopen inter, magnaeque Dicarchidos arva,
Cocyta perfusus aqua. Nam spiritus extra
Qui furit, effusus funesto spargitur aestu.
Non haec autumno tellus viret, aut alit herbas
Cespite laetus ager.

Aquae Minerales.

Totum vero hoc vulcanicum solum a temporibus remotis aquarum mineralium scaturigine abundavit, quae semper celebratae fuere. De hisce historiae Puteolanae scriptores emphatice scriptitarunt. At undenam huic tanta regioni celebritas, nisi ex aquarum mineralium adfluentia? Puteolanae vero historiae auctores, ut inter alios alios Alcadinus de Baln. Puteol. Capacius ibid. Scipio Mazzella Hist. Puteol. Sebastianus Bartolus Thermol. Arag. tom. I. Sarnellius, Antichità di Pozzuoli, aliique memoriae prodidere, hasce aquas fuisse plures, easque ad XL. circiter differentes, et variis aegrotorum usibus inservisse. Easdem fama est a medentibus Salernitanis invidia dissipatas esse. Videsis quae diximus lib. IV. c. 4, ubi rem fuse enarravimus, et ubi de singulis aquis verba fecimus in Puteolano agro existentibus.

Eaedem, necnon et balnea a Sebastiano Bartolo loco citato accurate describuntur, ubi praesertim mirandos effectus ab iisdem productos narrat. Petrus Antonius de Aragonia Neapolitanum regnum administrans anno MDCLXVI pro Carolo II. cum iam aquas, et Puteolana balnea collabentia animadvertisset, quae Barbarorum, et maris aestuantis causa ad eum statum fuerant redacta, ne pessum abirent, iterum reviviscenda curavit. Hinc paucos post annos ingentibus sumptibus res isthaec numeris omnibus fuit absoluta. Ne igitur foret deperdita, epitaphia erecta fuere, quorum unum ad Neapolitanae cryptae ingressum fuit positum. Sub lapide aliud longissimum legitur, in quo Puteolanae et Baianae aquae, quin et praesertim virtutes praedicantur. Aliud epitaphium prostat extra Puteolos mare ver-

sus iuxta viam, quae ad Lucrinum, et Avernum lacum ducit.

Aliud epitaphium tandem est illud, quod adsurgit supra Tritulae Sudatoria, quae vulgo Neronis Thermae audiunt. Optimi Principis Petri Antonii Aragonii providentia eo devenit, ut montem effodiendum curarit, quo via commodior ad Baianas visendas antiquitates, et ad aquarum Thermalium usum viatorem duceret. Eaque fuit appellata via Aragonia ab eodem optimo Prorege aperta, quae adhuc extat cum epitaphio ruinoso, in quo lapis legitur. Tandem sciendum est, quoad harum Thermarum pertinet ad historiam, Bartolo iniunctum fuisse ab ipso Prorege, quoad illarum restaurationem attinebat, ut prodit idem lib. IV. c. 5.

Ad physicum nunc statum redeamus. Subterraneorum ignium frequentia, plures ignivomi montes, quibus Puteolanus scatet ager, et assidui motus terrae tantarum aquarum procul dubio causa fuerunt. Physicis in Naturae regno perplura consideranda offeruntur, et quoad differentes herbarum, et lapidum, et reptilium, et insectorum attinet species, quae heic enascuntur. En igitur vulcanicarum materiarum effectus, qui heic generantur. Ex alia parte terraemotus locorum faciem penitus inverterunt. Hinc quibusdam in locis mare fuit elevatum, in aliis depressum: plura aedificiorum rudera sub undis adspectantur, necnon et viae, et templa, aliaque hisce similia. Montium partes avulsae nunc insulas efficiunt. Quis neget Nesidem insulam olim terrae unitam fuisse? Montes extemplo efformantur, idque ex ignium subterraneorum causa. Lucrinus, et Avernus lacus ad medietatem redacti. Sulphuraria ipsa quae adhuc ignes continet, et Leucogaei ipsi albicantes satis indicant, totum hunc Puteolanum agrum ignitarum materiarum receptaculum fuisse.

At numne persimilis fuit Romanorum vigente fortuna ager iste? toto prope coelo a recenti fuit diversus, nec ipsi ea loca dilexissent, nec tot immensa argenti pondera in villis aedificandis insumpsissent, nisi eam regio-

nem amoenissimam comperissent. Tot magnificentissima aedificia et publica, et privata fidem adhuc testantur. Nunc temporis horum locorum aer penitus inversus: lacus plures, montes ignivomi, habitatores rari satis ostendunt ea loca magnas rerum naturae vices passa fuisse.

ΔΙΑΤΡΙΒΗ III.

DE VERO CASTRI LUCULLANI SITU.

Heic de vero Castri Lucullani situ pauca appingemus: patrii auctores de hoc loco tam stulta identidem scriptitarunt, ut fabulis, erroribusque passim eorum opera conferta redoluerint. De illius autem vero situ alii alia, sed nullus reapse verum adhuc a falso discriminavit.

Lucullanum Castrum nihil aliud fuit, quam pars villae Luculli, quaeque improprie a Neapolitanis scriptoribus postea Ovi arx fuit appellata. Hoc vero Castrum iuxta ipsos nihil aliud fuit, quam ea parva insula, cuius mentionem facit Plinius Hist. Natur. lib. III. c. 6. his verbis: *Inter Pausilypum, et Neapolim Megaris.* Ex quibus verbis colligitur inter Pausillypanum promontorium, et Neapolim urbem hanc insulam esse, cum nulla alia adsit in eo mari posita, praeter Megariam. Hanc etiam memorat Statius nostras ab alia parva insula Euplaea nomine sic dicta haud dissitam;

Inde vagis omen felix Euplaea carinis,
Quaeque ferit curvos exerta Megaria fluctus.

Sunt qui scribunt ex nostris patriis scriptoribus in ea insula urbem olim extitisse. Inter alios, qui in ea non urbem, plura tamen aedificia fuisse scribunt, est Claritus Comment. Sulla Costituz. di Federico II. parte III. c. 3. paragr. XI. qui heic SS. Salvatoris, S. Michaelis, et S. Costantini monasteria fuisse quondam narrat: adhaec fuere heic villae, agri, et viae; et Federicus II. Regnum Neapolitanum administrans praetorium aedificavit, ubi eius uxor diu vixit, et Neapolitani Reges per sequiores

aetates inhabitarunt; id omne ex variis Medii Ævi Regestis probat laudatus auctor. At undenam ea insula nostro aevo coangustata, et dimidiata adservatur? non aliam ob causam id evenisse scribit, quam quod anno MCCCCXLIII. VII. Kal. Decemb. horrendissima exorta tempestate, et motu terrae in medietatem est redacta. Huius horrendi casus mentionem facit Petrarca libr. V. epist. famil. qui inter alia haec ait: *Mille inter Capreas, atque Neapolim fluitabant undarum montes, non caeruleum, aut quod in magnis tempestatibus solet, nigrum, sed canum, horrifico spumarum candore fretum cernebatur.* Celanus etiam, Giorn. V. aperte id declarat, qui inter alia in vicino insulae mari plura vetustarum fabricarum rudera suo adhuc aevo superfuisse ad vetustam Megariae urbem pertinentia narrat.

Cum autem insula isthaec tota ex materia tofacea sit efformata, facillime evenire potuit, ut paulatim maris ictibus repercussa dimidiata fuerit. Idque tam certum est, ut sub maris undis ex omni insulae parte, qua patet, adservetur adhuc terrae pars quae ad insulam quondam pertinuit. Id vero iam ex Romanorum aevo evenisse existimandum est, cum eo tempore etiam saepe mare insulam coangustarit. Eandem olim terrae unitam fuisse quoque creditur, et a motibue terrae, vel ab ipsis hominum manibus in insulae formam postea effictam.

Megariam vero insulam fuisse ipsum Lucullanum Castrum falso creditur a patriis scriptoribus, cuius occurrit mentio iam a quinto Ecclesiae Christianae saeculo, quod a Neapolitanis saeculo decimo fuit eversum. Gulielmus autem I. *Malus* nomine arcem Normandicam ibi aedificavit anno MCLXX; hinc ex ea tempestate Ovi Castrum ab insulae rotunditate audiit. Iam ante *insula Maior, et Salvatoris insula* per patrios auctores fuit compellata, ut inter alios probat Claritus loco ante citato pluribus scriptorum Medii Ævi auctoritatibus. Ad hoc melius probandum auctores afferemus, ex quibus Lu-

cullanum Castrum alio quidem esse conlocandum patebit. Omnium primus occurit Marcellinus Comes, qui quinto saeculo suam elucubravit historiam Basilico, et Armato Coss. Hic ubi de Augustulo postremo Romanorum Imperatore verba facit, ab Odovacre Erulorum Rege in exilium multato anno CCCCLXXVI. Sic narrat: *Augustulum filium Orestis Odovacer in Lucullano Companiae castello exilii poena damnavit. Hesperium Romanae gentis Imperium . . . . cum hoc Augustulo periit.* Et Iornandes iisdem fere verbis prodit De Regn. Success. c. 103 *Odovacer . . . . Italiam invasit, Augustulumque Imperatorem de regno evulsum, in Lucullano castello exilii poena damnavit.* Ex quorum auctorum verbis occurrit mentio *de Castello*, non vero de insula, in qua patrii scriptores omnes eundem Imperatorem inclusum credunt, quod quidem ab insula Megaria differentem omnino fuisse credendum arbitror.

D. Gregorius Papa Petro Campaniae Subdiacono scribens lib. III. ep. I. et Antemio lib. X. epist. 19 huiusce loci facit mentionem, et praesertim Ecclesiarum, sed nunquam insulae, quin etiam *Castri Lucullani*, *Opidi*, *et Castelli.* Egipius quoque qui sexto floruit saeculo, S. Severi Norici Episcopi historiam scribens in Castro Lucullano tumulati iam quinto vergente saeculo, nempe anno CCCCXCII. hoc modo ait, ut legitur apud Bulland. tom. I. Sanctor. ad diem VIII. *Tunc S. Gelasii Romani Pontificis auctoritate, et Neapolitano populo exequiis reverendis occurrente in Castello Lucullano per manus S. Victoris Episcopi mausoleo, quod praedicta foemina* (nempe Barbara, quae eundem S. Severinum sepelivit) *Condidit, conlocatum est. Qua celebritate multi languoribus afflicti recepere sanitatem. Inter quos quaedam, cum gravissimae aegritudinis pateretur incommodum, propreranter occurrit, et ingressa sub vehiculo, quo corpus venerabile portabatur, statim caruit omni languore.* Ex his verbis ecquis adest, qui

clare non videt, mentionem heic nullam fieri de insula, deque mari, sed de castro potius: nam dubio procul si castrum istud in mari positum fuisset, indicatum utique esset.

Ioannes Diaconus ubi agit de altera huius S. Severini Translatione Neapolim facta circa annum DCCCXC. sic ait. c. 3. num. 9 *Gregorius Consul his cognitis super Castello Lucullano, cogitans eius incolis multa iniit consilia cum Stephano Episcopo, et ceteris potentibus, ut habitataribus eius Neapolim transmigratis opidum illud everteretur; cum decrevissent diem, quo ad id perficiendum universus proficisceretur populus.* Ex his verbis percipit Claritus Part. III. c. 3. paragr. 31 Neapolitanum Ducem Gregorium (qui tunc veluti Rex erat) longum haud iter cum omni populo instituere potuisse VI circiter milliaria pedestri itinere, quo praefati S. Severini corpus Neapolim transferret, ut arbitratur Mazochius De Castro Lucull. pag. 21. Hanc ita historiam sequitur laudatus Ioannes Diaconus; *Venit dies ruinosi decreti, in quo Consul, et optimates, necnon et populosae phalanges ad memorati opidi* (nempe Lucullani) *destructionem accincti.* Adhaec in Actis S. Iulianae ab auctore contemporaneo exaratis, ubi agitur de huiusce Divae corpore Cumis Neapolim translato, haec de Lucullano scribit Castro: *Et sic canendo pervenerunt ad Ecclesiam B. Nicolai Christi Confessoris de Castro Lucullano sitam prope moenia civitatis.* Ubi vide quaeso, hanc Ecclesiam B. Nicolai ab auctore in eo Castro sitam fuisse prope urbis muros. Hinc si verum esset, quod ea fuisset super Megariam insulam, huius mentionem fecisset auctor: at nulla eiusdem occurrit mentio: hinc dicendum, idem Castrum cum Ecclesia fuisse olim in vicina continenti, non vero in ea Megaria insula.

Lucullanum igitur Castrum cum ab ipsa distet, non alio loco ponendum credit Galianus Dissert. MS. de de Castro Lucul. quam in vicina continenti Neapolim in-

ter, et Pausilypum: at ubinam? in eo terrae quidem spatio, quod extenditur per totam Plagam Olympicam, vulgo *Riviera di Chiaja* ad cryptas usque Platamonias, vulgariter *Chiatamone*. Et Ioannes Villanus Chron. c. 31 num. 13. etiam in hanc videtur sententiam descendere, scribens: *Era nel tempo de lo dicto Vergilio un castello edificato dentro mare ncoppa uno scoglio, come per fino mò è, a lo quale se chiama lo Castiello Marino, o vero di Mare.* Mazochius de Castro Lucull. alio ponendum credit hoc Castrum, idque non parum ab Aniano lacu. Verum enimvero illud in eo loco collocat ipse, ubi nunc vernaculo dicitur sermone *la Taverna delle Rose*, qui locus ab Aniano parum distat. Blondus in Ital. Descript. eandem Mazochii sequitur opinionem, Luculli villas describens. Cluerius Ital. Antiq. lib. IV. et Grimaldius, Annali del Regno, tom. VI. epoca II. ibidem etiam ponunt hoc Castrum. Mazochius loco cit. pag. 211 concludit omnino illud figendum in ea ora, quae est inter Puteolos, et cryptam Neapolitanam: idque probat ex Actis Translationis S. Severini, ubi fit mentio de *campo opidi* prope Lucullanum Castrum. Hoc igitur iuxta ipsum in Regione Balneolana est ponendum, ubi Luculli villa erat iuxta quosdam, et ubi tot fabricae vetustae adsunt.

Temporis progressu pagus hic adsurrexit, in quo perplures familias a Lucullo collectas cohabitasse creditur. Inde sub Castri Lucullani nomine sequiori aevo fuit salutatus. Restant adhuc in ipso Aniano lacu vetustorum ruderum vestigia, quae ad Lucullanum castrum fortasse pertinuere. Hinc via Puteolana vetus (cuius adhuc per ea loca adservantur vestigia) per Aniani stagni litus, et per ipsum lacum ducebatur, ut ex admirandi pontis ruinis, quae supersunt ab Aniano procul, videre est. Videsis quae dicemus in Dissertat. de Antiquis Companiae Viis.

Lucullanum interim hoc Castrum haud in eo loco esse potuit, cum tota istahaec regio pestilentiali halitu

semper fuerit usa, tota undique montibus, et collibus interclusa, ubi aer pessimus semper exhalat. Alia causa ob quam Lucullus nullam heic erexit villam, est illa ob quam apud antiquos usuvenit easdem condere locis, ubi aeris salubritas, et omnia vitae commoda adessent.

Ubinam ergo Campaniae loco ponendum hoc Lucullanum castrum? Claritus Comment. part. III. c. 3. paragr. 37 varia affert Medii Ævi scriptorum testimonia, ex quibus probat, idem figendum sub Echia promontorio. Primum duas affert auctoritates a S. Gregorio Magno desumptas lib. I. epist. 24 Antemio Subdiacono scribente, ubi mentio occurit Castri Lucullani, quod iuxta S. Petri fuit Basilicam. Altera eiusdem scribentis Fantino cuidam lib. X. epist. 14. et memorantis *Macharim*, insulam nempe Megariam, quam prope Castrum hoc extitit. Inde affert Instrumentum Neapoli exaratum IV. Idus Quintil. Indictione XIII. anni II Imperatoris Nicephori; in eo sic habetur: *Intus destructum Castrum Lucullanum, iuxta ab occidente cum alia terra dicti Monasterii, sicut descendit ad viam publicam, in qua posita erat porta maior destructa dicti Castri Lucullani. A septentrione est alia terra propria eiusdem Monasterii, et revolvendo itur ad murum eiusdem Castri.* Ex eodem affertur aliud Instrumentum scriptum VII. Kal Augusti MCCLXV. regnante Manfredo, in quo occurrit mentio Ecclesiae S. Mariae ad Circulum positae in *Cuple* sub ipso monte Echia.

Hoc autem Castrum anno circiter DCCCXC. a Neapolitanis eversum ante significavimus. Hinc post hoc temporis intervallum haud amplius occurrit mentio. Ex quodam autem Federici II. Imperatoris diplomate Megariam insulam appellatam *Castrum Salvatoris ad Mare*, non vero Castrum Lucullanum compertum habemus. Imperator hic cuidam cognomento de Tocco, et Angelo de Marra scribens sic ait, ut est apud Capacium Hist. Neapol. lib. I. *Quia placet Excellentiae nostrae, ut charissima consors nostra . . . . in Castro Salvatoris*

quod hactenus . . . . custodisti, Ioanni de Amato fideli nostro assignes, ut illud sicut expedit, et viderit, faciat ordinari, et disponi.

Ex Medii Ævi etiam scriptoribus scimus, plures fuisse olim in hoc Lucullano Castro Ecclesias, ut illa S. Sergii, et Bacchi, et alia S. Nicolai (ut ex S. Iulianae Translatione ante significavimus) S. Michaelis, S. Petri, ut constat ex S. Leonis epistolis. Fuit etiam S. Severini Monasterium (1) cum Ecclesia, aliaeque nonnullae, ex quibus profecto arguitur, easdem Ecclesias esse potuisse proprie in Lucullano Castro, ubi locus satis extensus esse debuit ad eas omnes Basilicas, et Monasteria continenda. Nec vero illorum patriorum scriptorum valet opinio, a quibus Megariam insulam creditur ex Romanorum tempore, et praesertim Medio Ævo angustatam, et ad medietatem redactam, sive a motibus terrae, sive ab hominum manu, sive tandem ab ipsa maris vi conlapsam.

Iam ante significavimus, Lucullanum Castrum eversum fuisse a Neapolitanis. Gulielmus I. anno circiter DCCCXC. arcem condidit *Normandicam*, quae per hoc tempus Lucullanum fuit dictum Castrum in veteris eversi memoriam: hinc sequiori aevo Castrum hoc a patriae scriptoribus cum primo fuisse confusum reperimus: atque ea hinc causa, cur ipsi scriptores usque Castrum Lucullanum in ipsa Megaria insula conlocandum scribunt, quod quidem verum haud est.

---

(1) Hinc scribit Egipius apud Bolland. tom. I. mensis Ianuar. ad diem VIII. ubi de S. Severini Ecclesia, et Monasterio verba facit: *Monasterium igitur eodem loco constructum ad memoriam Beati viri hactenus perseverat, cuius meritis multi obsessi a daemonibus curati sunt.*

ΔΙΑΤΡΙΒΗ IV.

DE LUCII LUCULLI VILLIS.

Celanus Lucullum in Megaria insula Villam habuisse existimavit: contra hunc auctorem plures adsunt antiquorum auctoritates, ex quibus eandem alio loco extitisse constat. Ad hanc rem demonstrandam en breviter omnia. Nostrorum auctorum maximum argumentum ad hoc probandum est illud, quod ea insula per eosdem fuerit appellata Lucullanum Castrum (quod quidem falsum): nos in antecedenti Diatriba iam probavimus hoc Lucullanum haud ponendum esse in insula, sed in vicina continenti. Vbinam igitur Luculli villa? hoc expendendum: ipse unam habuit super Pausilypanum promontorium prope Neapolim, duas vero apud Misenum. Ad hoc nostrum primum firmandum argumentum, plures adsunt tum Graecorum, tum Latinorum scriptorum auctoritates: hinc nos heic loci omnia κατὰ ταξιν afferemus.

Plutarchus in Lucullo pag. 518 edit. Francofurti 1620 haec de Pausilypana scribit villa: Τα δ' εν τοῖς παραλιοις και περὶ Νεαν πολιν ἔργα . . . . ο Στωικος Τουβέρων θεασαμενος, Ξέρξην αὐτὸν ἐν τηβέννῳ προσηγόρευσεν: *Opificia eius maritima, et ad Neapolim . . . . . quum Tubero Stoicus contemplatus esset appellavit eum Xerxem togatum.* Et Varro lib. III. de Re Rust. sic de eadem villa sermonem instituit: *Contra ad Neapolim L. Lucullus postquam perfodisset montem, ac maritima flumina immisisset in piscinas, quae reciprocae fluerent, ipse Neptuno non cederet de piscatu.* Et Plinius Hist. Natur. lib. IX. c. 54 de ea etiam villa sic enarrat: *Lucullus exciso etiam monte iuxta Neapolim maiore impendio, quam villam aedificaverat, euripum, et ma-*

ria admisit. Qua de causa Magnus Pompeius Xerxem togatum eum appellabat. Velleius Paterculus lib. II. c. 33 hanc memorat villam : *Quem ob iniectas moles mari, et receptum suffossis montibus in terras mare, haud infacete magnus Pompeius Xerxem togatum vocare adsueverat.* Ex horum auctorum verbis hanc villam prope Neapolim fuisse satis apparet, eaque nonnisi fuit Pausilypana. Verum dicet aliquis: ubinam ergo hae Lucullianae piscinae tam celebres erunt conlocandae ? cum enim veteres auctores easdem magnificas, easque maximas fuisse scripserint, ubinam excisi montes montes, euripique? Blondus adhuc suo tempore conspicuos esse tradit; Pontanus vero de Magnif. c. II. perfossi montis indicia in ulteriori Pausilypi latere, in ea parte, quam adhuc *Seiani* vocitant *cryptam* fuisse scribit.

Revera in ea parte quae dicitur *la scuola di Virgilio*, restant adhuc perplures vetustarum fabricarum ruinae, et praesertim piscinarum sub undis, et aedificiorum partes, quae nonnisi ad Lucullum pertinuerunt. Cum vero mare tranquillum est, ea rudera integra apparent. Omnes easdem fabricas fuisse prope mare certum est, easque ab ipso post plura saecula absorptas, aeque ac montis partem.

Praefata insuper Seiani crypta, quae prope Luculli villam visitur, ad ipsum fortasse pertinuit, vel eiusdem impensis fuit excavata. Ea parum differt a crypta Puteolana vulgo dicta, et fortasse illa magnificentior, latior, et longior est, et luminibus passim in interiori eiusdem parte, uti videre cuique licet montem adscendenti. Ipsa tot abhinc saeculis vel terrae aggestionibus, vel aquarum inundationibus oppleta videtur : sed anno prope elapso MDCCCXXV. cum via nova Pausilypana ad Balneolanam usque regionem traheretur, factum est, ut ea quae usque ad nostram aetatem obliterata erat, effossa pars fuerit.

Ad quem vero usum ea crypta inservierit, facile dignosci potest; cum vicina isthaec regio passim aquis

mineralibus olim scateret, inde tot balnea aedificata fuere, ut ex ruinis, quae supersunt videre est. Hinc Lucullus, vel alii fortasse Romani divites hanc cryptam perfoderunt, quo a Pausilypo monte ad mare descenderent commodius, et propius, ut balneis mineralibus, vel marinis uterentur, vel etiam e crypta exeuntibus facile iter esset peragendum ad Puteolos, et vicina loca per aliquam viam agrestem, vel lignariam, de qua nulla amplius extat apud auctores mentio.

Nesis insula ad eundem pertinuit Lucullum; id omne ex variis Ciceronis accipimus auctoritatibus Orat. X. in Marcum Anton. num. 4. lib. XVI. epist. 2. ad Attic. et epist. 3 eiusdem libri. Hanc ad Luculli filium pertinuisse satis elucet, ubi forsitan a parente villam heic habuisse aedificatam crediderim. Verum Mazochius de Castro Lucul. pag. 211 hanc Luculli villam extensam usque ad Aniani lacus vallem, a Pausilypo incipientem, totamque Balneolanam regionem cum vicina Neside ad ipsum pertinuisse putat. Cum autem omnes Luculli villae post fata in alienas pervenissent manus, eas sequiori aevo Imperator Traianus possedit, et praecipue Pausilypi villam, ut probatur ex quodam lapide apud Fabrettum pag. CXCIX. num. 486.

Ea insuper Nesis insula, ut ex vita S. Silvestri Romani Pontificis constat, a Magno Constantino Neapolitanae Ecclesiae fuit donata, qui insulam (puta Nesidem) cum Castro (nempe Lucullano) solidis octoginta pependit. Hinc recte existimat Mazochius, eam nullam aliam fuisse insulam, quam Nesidem: nam haud credibile est, Megariam utpote parvam insulam, eamque scopulosam tantam argenti quotannis Neapolitanae Ecclesiae pecuniam solvere potuisse; hinc recte putandum est, eandem Nesidem ipsam fuisse.

Idem Mazochius loco citato pag. 221 Salvatoris insulam, sive Nesidem cum alia nomine Megaria confusam fuisse scribit; idque evenisse circa saeculum XII. probat auctoritate Petri Ebulensis, qui in Elego carmine de

Motibus Siculis inter Henricum IV. Imperatorem, et Regem Tangredum de hac agit insula. Hic enim auctor Megariam Salvatoris insulam appellat. Ex Falconii etiam Beneventani historia exarata ante Ebulensis poetae aevum Megariam cum Neside sub Salvatoris nomine confusam fuisse probatur. Hinc Rogerii Regis Neapolim triumphalem ingressum anno MCXL. describens sic narrat: *Inde navigio parato, ad castellum S. Salvatoris civitati proximum adscendit, et civibus Neapolitanis ibi vocatis, negotia quaedam cum illis de libertate civitatis* (nempe Neapolitanae) *et utilitate tractavit.* Ex Actis quoque SS. Maximi, et Iuliani anno MCCVII. isthaec insula Salvatoris appellatur. Sequiori vero aevo tam Nesis, quam Megaria sub eodem nomine salutatae fuere; hinc Nesis utpote Megaria maior, *Maior insula*, ut patet ex Diplomatibus Ecclesiae S. Sebastiani, quae afferuntur a Capacio lib. II. Hist. Neapol. et Megaria *insula minor S. Salvatoris* fuit vocata, quae sic dicta per ea tempora fuit respectu Nesidis. At undenam Megariae insulae Salvatoris nomen datum? causam affert Falcus, qui tradit in ea insula Salvatoris aediculam fuisse, unde insulae nomen impositum.

Haud procul ab Megaria insula locus adest prope mare; isque in Plaga Olympica, in praesentiarum dictus *S. Leonardo* e regione Ecclesiae S. Iosephi, ab aedicula olim eidem Divo dicata. Hunc locum creditur parvam fuisse insulam, ut plures etiam e nostris scriptoribus arbitrantur: inter alios Celanus, Giorn. IX. et Galianus Dissert. MS. del Castro Lucullano. Idque colligunt ex vetustis nonnullis scripturis, in quibus legitur: Ecclesia *S. Leonardi ad insulam:* eaque etiam est plurimorum adhuc nostro tempore Neapolitanorum traditio. Eadem fortassis esse potuit *Insula Minor* supra memorata.

Prope hanc alia parva, vel potius scopulus fuit. Ipsum enim extitisse creditur inter Neapolitanas moles, et navale armamentarium, vulgo *Darsena*, et haud procul S. Vincentii Turre. Iustinianus, Dizion. del Regno, ar-

tic. *Megara*, ad hoc probandum, librum affert expensarum Caroli Andegavensis, ubi inter alia hoc habetur: *Die Iovis V. Iulii Neapoli sero huius diei comedit Dominus Rex in insula S. Vincentii.* Eaque temporis progressu adeo fuit dimidiata, ut paulatim defecerit, donec anno MCCCXLIII. a maris horrenda fortuna integra fuit absorpta. Ipsa tandem saeculo VI. vergente *Insulella* adhuc dicebatur.

Ex quodam Instrumento Neapoli exarato XI. Kal. Maias Indict. XIV. anni II. Imperii Basilii agitur de controversia inter Theodorum Pissicellum, et Laurentium Abates Monasterii SS. Sergii, et Bacchi de maris possessione dicti *Vivarello*, sive *Bibario*, quod parum distabat ab insula S. Vincentii, et S. Barbarae. In hoc igitur Instrumento huiusce insulae occurrit mentio his verbis: *Nullo unquam tempore dare molestiam suprascripto Monasterio super mare ipsius, quod est iuxta insulam S. Vincentii, quae et quod est ipsius Monasterii, et iuxta vocabulo S. Barbarae, quae est prope Ecclesiam ipsius Monasterii vocabulo S. Sergii.* Hanc insulam Claritus Comment. di Feder. part. 3, c.3, et Iustinianus loco citato autumant intelligendam esse proprie illam, quae sub *Minoris* nomine appellatur ad *Maioris* differentiam, quae fuit Megaria, quamvis Mazochius De Eccles. Neap. *Maiorem* insulam intelligit proprie Nesidem.

Ad alias nunc L. Luculli villas ad Misenum positas veniamus. Prima eo loco erat illa, quae quondam ad C. Marium pertinebat, et LXXV. millibus denariorum Corneliam emisse, et temporis progressu L. Lucullum quingentis millibus, et ducentis licitatum esse a Putarcho narratur in Mario. Plinius de hac Marii villa lib. IX. c. 54 scribit: *Novissimus villam in Miseno posuit* C. *Marius.* Seneca epist. LI. etiam de eadem scribit: *Illi quoque ad quos primos fortuna Romani populi publicas opes transtulit*, C. *Marius*, *et* Cn. *Pompeius*, *et* Caesar *exstruxe-*

runt quidem villas in regione Baiana, sed illas imposuerunt summis iugis montium. Mons hic supra quam aderat C. Marii villa iuxta Cluerium Ital. Ant. lib. IV. c. 2. nullus alius potest esse, quam mons Prochytae versus occidentem.

Altera Luculli villa parum aberat ab illa nunc descripta, eaque fortasse parum distabat a Miseni portu, prope quem locum erat theatrum, cuius pars superest in praesentiarum. In hac Luculli villa Tiberium extremam obiisse diem narrat Suetonius in eius vita c 73.: *Sed et tempestatibus, et ingravescente vi morbi retentus, paulo post obiit in villa Lucullana octavo, et septuagesimo aetatis anno.* Et Tacitus Annal. lib. VI. c. 50 sic etiam de ipso confirmat: *Mutatisque saepius locis, tandem in promontorium Miseni consedit in villa, cui Lucullus quondam dominus etc.* Et Phaedrus etiam lib. II. Fabul. 5. eam Luculli villam in Miseno positam canit;

Caesar Tiberius cum petens Neapolim,
In Misenensem villam venisset suam,
Quae monte summo posita Luculli manu
Prospectat Siculum, et prospicit Tuscum mare.

Post Luculli vero fatum eam villam possedit Valerius Asiaticus, ut Tacitus narrat Annal. lib. XI. c. 1. *Nam Valerium Asiaticum bis Consulem, fuisse quondam adulterum eius credidit; pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo coeptos insigni magnificentia extollebat.*

Hic autem vir quot sumptus, quot magnificentias, et argenti pondera in suis hortis extruendis insumpsit? Nullus est antiquorum qui hunc maximis haud exornet laudibus; de iis villis Plutarchus sic scribit in eius vita: *Ὅπου καὶ νῦν, ἐπιδοσιν τοιαύτην τῆς τρυφῆς ἐχουσης, οἱ Λουκουλλιανοὶ κῆποι, τῶν Βασιλικῶν ἐν τοῖς πολυτελέστατοις ἀριθμουνται, Quando vel hac aetate ita gliscente luxu, horti Luculliani inter principis sumptuosissimos habentur.* Ex his Graeci auctoris verbis recte intelligitur, quam sumptuosi esse

debuerint horti Luculliani, qui pervenerant in Principis manus, manseruntque usque ad Traiani aetatem, ut ante diximus. Hic vero omnium Romanorum ditissimus eo pervenit magnificentiae, ut nemo cum ipso comparandus unquam fuerit. Eum postea in villis exstruendis magnificentissimis plerique Romanorum locupletiores imitati fuere. Id videtur Tullius innuere sic scribens De Offic. lib. I. c. 39. *Studiose enim plerique praesertim in hanc partem facta principum imitantur: ut Lucii Luculli summi Viri virtutem quis? quarum quidem certe est adhibendus modus, ad mediocritatemque revocandus.* Ex hoc Ciceronis testimonio satis elucet, hunc praeclarissimum Virum normam in villis aedificandis fuisse, eumque ad ultimum perfectionis apicem pervenisse: hinc est, ut tot alii Romani divites Lucii Luculli exemplum sectati, passim tot amoenas villas in nostro Campano aedificarunt solo: hinc etiam Vedius ille Pollio supra Pausilypum villam cum nobilissimis piscinis, quarum adhuc restant vestigia, Hortensius, Vacia, Caesar, aliique plures nobiles Romani Viri apud Baias, Misenum, aliaque loca condiderunt. Nonne ipsi ex Lucullo exemplum sumpsere? At procul dubio fatendum est, ipsum multo magnificentiorem in eisdem extruendis fuisse. Hic etiam praeter tot sumptus, tot etiam arborum novas plantas ex Asia post Mithridatem devictum in nostro Campano condidit solo. Nonne et cerasos, aliasque fructuum plantas ab ipso Lucullo introductas fuisse ex Plinio Hist. Natur. lib. XV. c. 125 liquido demonstratur? Tertullianus Apolog. adversus Gentes num. II. Sic de Lucull. tradit: *Lucullus primus cerasa ex Ponto Italiae promulgavit.* Et D. Hieronymus lib. I. epist. 35 ad Eustoch. sic etiam scripsit: *Verum ne videar, dona minuisse, accepimus et Canistrum cerasis refertum, talibus et tam virginali verecundia rubentibus, ut ea nunc a Lucullo delata existimarem. Siquidem hoc genus pomi Ponto, et Armenia subiugatis de Cerasunto primus Romam pertulit.* Probabile igitur est hunc divitem Virum in suis hortis

hanc novam plantassè arborem, praesertim in villa Pausilypana terrarum orbis angulo feracissimo, unde ad nos usque pervenit.

Usque modo Luculli villas memoravimus, una quae Neapoli, duas alias quae super Misenense aderant promontorium, idque probavimus veterum scriptorum Graecorum, et Romanorum testimoniis. Paucis vero abhinc annis Italico sermone elucubratam dissertationem MS. Cl. Viri Ferdinandi Galiani me legisse memini, in qua non inerudite probat auctor, Lucullum unam habuisse villam, eamque apud Baias tantum extitisse: alteram Neapoli negat: et ex allatis ante scriptorum auctoritatibus satis liquet, Lucullum etiam villam iuxta Neapolim in Pausilypano monte habuisse. Miror interim hunc doctum Virum novam apud Baias reperisse urbem, eandemque *Neapolim* appellatam credit. Hic autem ex quodam Strabonis lib. V. Geogr. textu satis corrupto hanc urbem Baias prope, et ipsas Baias eandem novam urbem fuisse probare nititur. Alios affert Graecos diversorum scriptorum textus laudatus Galianus, et praesertim Dionis lib, LVIII. ex quibus probat, eam urbem novam extitisse apud Baias; sed nihil héic ad nostram faciunt rém; quamvis vero iidem veteres auctorés hanc novam urbem in Baiano sinu ponant. Per eandem nihil aliud significare voluerunt, quam ipsas Baias, non ut urbem novam Νέαν Πολὶν, sed ut plurimorum aedificiorum frequentiam Romanorum aevo: et re sane vera haec nova urbs semper Baiarum nomine fuit nuncupata ab aliis cuiuscunque aetatis scriptoribus, qui nunquam Νέαν πολὶν dixere, praeter unum citati Strabonis, Dionisque testimonium, qui aliis locis Baias semper dixere. In Cl. Galiani sententiam ivit quoque Martorellius, qui Theca Calam. tom. II. pag. 589 eandem sequitur opinionem: hi duo scriptores a summo Viro Pellegrinio, Apparato ect. Disc. II. hanc auctoritatem hauserunt, qui sic scribit: *Avendo egli troppo sconvenevolmente appreso, non per avuta buona notizia di questi luoghi, che la nuova città a Bauli vicina era Napoli, la quale come si è ve-*

duto, *erā Baia*. Ex hoc Pellegrinii testimonio liquido eruitur, ipsum novam hanc urbem Νέαν πολίν apud Baias collocasse, cui equidem maxime adsentior.

Ex hisce igitur ante dictis luculenter eruitur; L. Lucullum plures habuisse villas, unam Neapoli supra Pausilypanum promontorium parum dissitam ab alia Vedii Pollionis: eaque satis extensa esse debuit, cum Nesis insula ad ipsum etiam Lucullum pertinuit. Aliae duae villae, eaeque magnificentissimae in Misenensi agro positae fuere, ut probavimus scriptorum testimoniis. Nec valeat supra laudata Cl. Galiani auctoritas asserentis, Lucullum ad Baias villam possedisse, cum post tot annos a Galiani ipsius fato loca isthaec ab eruditis recentibus nostris scriptoribus satis cognita fuere, et examini subiecta, praeter monumenta in iisdem reperta, quae L. Lucullum suas habuisse heic villas fidem testantur.

ΔΙΑΤΡΙΒΗ V.

QUANTUM ITALIA, ET PRAECIPUE CAMPANIA QUONDAM INGENUAS DIDICERIT ARTES, ET STUDIA: QUAENAM URBES TANDEM IN HIS PRAECLARIORES EVASERINT.

Heic plura lectoris ob oculos animadvertenda proponemus: primum quantum Italia quondam, et praecipue Campaniae urbes ingenuas coluerint artes, atque literarum studia; deinde quaenam ex illis celebriores evaserint: inde quaenam incremenenti, tandem quaenam decrementi causae, ut artes liberales, et praesertim literae ad barbariem Medio Ævo usque pervenerint.

Postquam Romana Respublica ad maiestatis culmen pervenit, cunctis subactis, et bello domitis populis, et pace iam parta terra, marique, Roma ex Capitolio gentibus leges, atque iura ferebat, populique turmatim ex longinquis accurrebant mundi regionibus, quo sub potentissimi regiminis tutamine, atque ope adforent. Ex his vero qui a Romanis pacati fuere, quidam adnumerantur sapientissimi, ut Ægyptii, et Graeci praesertim, qui artes scientiasque in Romanam urbem, atque Latium, ac subinde in alia loca intulere. Hinc Venusinus poeta belle cecinit Epist. lib. II. 2. v. 156

Graecia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio.

Ea vero gens iam in Italia sedem conlocarat: temporis progressu Romani illam subegerunt Graiorum partem, quae postea Magna Graecia fuit appellata, quae quidem in Italiae meditullio a primaeva tempestate sedem constituerat, ubi plerasque etiam celebres, nobilesque urbes

in Campano condiderat solo. Romani vero ex eo tempore Graecorum singulas sibi artes, atque scientias brevi temporis intervallo vindicarunt, eo sane modo, ut Italia illorum artes didicerit iuxta Tullium qui haec scribit pro Archia Poeta num. 3 *Erat Italia tunc plena Graecarum artium, ac disciplinarum: studiaque haec et in Latio vehementius tunc colebantur, quam nunc iisdem in opidis.* Ibidem Cicero fuse narrat, hosce Italos Graecos (nam ea gens quondam in Italiam adnavigarat post Troiae excidium, et orignem a Graecis orientalibus trahebat) Neapolitanos Archiae poetae suam civitatem, aliaque munia donasse, utpote viro poeseos callentissimo. Nec vero tantum Tullius Graecis artes tribuit humanitatis, verum etiam Mantuanus vates sic canit Æneid. VI. v. 858.

Excudent alii spirantia mollius aera:
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus,
Orabunt causas melius, coelique meatus
Describent radio, et surgentia sidera dicent.

Et Horatius etiam ait De Arte v. 323.

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui.

Cicero iterum de ipsis sic loquitur De Orat. lib. II. c. 27 *Referta quondam Italia Pythagoreorum fuit.*

Neapolis vero urbs studiis, et certaminibus literariis, adeo floruit, ut una praeter ceteras alias evaserit celeberrima. Ad hanc rem demonstrandam perplura adsunt vetusta documenta ex antiquis desumpta scriptoribus. Suetonius in Aug. c. 99. mentionem facit eiusdam literarii certaminis in illius honorem celebrati, quod quidem in hac urbe quinto quoque anno peragebatur: *Mox Neapolim traiiecit . . . . et Quinquennale certamen Gymnicum honori suo institutum prospectavit.* Verum ipse Tranquillus hoc Gymnicum tantum certamen, sed Strabo lib. V. Geogr. Musicum etiam fuisse prodit. Neapolitani vero hoc certamen

in Augusti honorem instituisse docet etiam Paterculus lib. II. c. 2 *Interfuturus athletarum certamini ludicro, quod eius honori sacratum a Neapolitanis est.* Neapolitanos quoque imitatus est Herodes Iudaeorum Rex, qui ludos in Augusti honorem Caesareae edidit, ut ex Iosepho accepimus ita narrante Antiqq. Iudic lib. XVI. c. 5. Κατηγγέλκει μὲν γὰρ ἀγῶνα μουσικῆς, καὶ γυμνικῶν ἀθλημάτων δὲ πολὺ πλῆθος μονομάχων, καὶ θηρίων, ἵππων τε δρόμον, καὶ τὰ πολυτελέστερα τ' ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ παρ' ἄλλοις τισὶν ἐπιτηδεύμασιν ἀνετίθει δὲ, καὶ τοῦτον τὸν ἀγῶνα Καίσαρι, κατὰ πεντετηρίδα παρασκευασάμενος ἄγειν αὐτόν: *Indixit enim certamen musicum, et ludos gymnicos: nam gladiatorum magnum numerum, et ferarum praeparaverat, cursuque equorum et quidquid eiusmodi studii pretiosius erat, et Romae, et alibi uspiam. Quin et Caesari hoc certamen consecravit: quod ita instituit, ut per singula quinquennia instauraretur.*

Hi vero ludi in alicuius numinis honorem instituebantur, aut eorum hominum, qui quod virtute, et factis mirabilibus Diis proximi fuerant, summis honoribus colebantur. Laudatus supra Suetonius Claudium narrat Imperatorem in eius Vita c. II. Neapoli in theatro repraesentasse Graecam comoediam, quam ipse exararat, quaeque iudicum sententia corona fuit donata. En eiusdem verba: *Ad fratris memoriam per omnem occasionem celebratam, comoediam quoque Graecam Neapolitano certamine dedit, ac de sententia iudicum coronavit.* Ex Dione autem compertum habemus, ipsum Claudium diu Neapoli fuisse immoratum, ut ipse narrat lib. LX. Atque ea quidem fuere illa exercitia poetica, et certamina in ea urbe fieri solita, in quibus prae ceteris poetis saepe Statii pater, et ipse filius, ut canit pluribus locis, laureae corona eo in Gymnasio fuere identidem donati. Atque ea etiam fortassis fuit causa, ob quam crudelem Neronem in Neapolitano certamine cantasse memoriae prodit idem Tranquillus in eius Vita c. 20 *Et prodidit Neapoli primum, ac ne concusso primum quidem repente motu terrae Theatro, antea cantare destitit, quam inchoatam*

absolveret νομὸν *Ibidem saepius, et per complures dies cecinit.* Idem Suetonius loco citato tradit Neronem captum fuisse quorundam Alexandrinorum modulatis laudationibus, ac inde coronam quaesisse, qua fuit donatus. Unde vide quoque, quanti ea tempestate musices ars, necnon et poetices a maioribus nostris fuerit aestimata. Hanc etiam ob rem publicum condidere illud nobilissimum aedificium, quod vulgo Gymnasium erat nuncupatum, de quo ante diximus, quodque ad unum omnes patrii auctores ad literaria praesertim certamina fuisse destinatum arbitrantur. Videsis quae ad rem fuse scripserunt Petrus Lasena, Ginnasio di Napoli, et Ignarra de Palaestra Neapol. ubi litterarias in hisce ludis, quin et corporeas exercitationes actas olim fuisse erudite narrant,

Supra ostendimus vetustos Italos-Graecos in Italiae meditullio non solum, verum etiam in Campano solo insignes, nobilesque urbes condidisse, quae maiorum antiquos aemulantes mores, literaria praesertim exercuere studia. Hinc in quavis urbe habuisse Gymnasia, et ipsa Theatra comperimus, ubi poetices arti prae ceteris animum applicuisse probabile est. Iam fuse diximus de Herculanensi effosso Theatro, necnon et Pompeiano lib. II. c. 2 et 5 in qua quidem urbe duo extitere, unum ab altero haud procul, ubi vehementissimum studium, atque delectationem percepisse cives non solum scenicis, verum etiam literariis ludis certum est. Praetereo Theatrum Campanum, supra quod tam belle disseruit Vir Clarissimus Mazochius. Mitto Suessulanum, Minturnense, Puteolanum, totque alia passim aedificata in nostra otiosa, ac studiis florente Campania, quarum vehementi amore adeo fuere delectati veteres illi Graeci, Romanique, ut ad furorem quasi devenerint.

Quid vero dicam de artibus, uti Sculptura, Architectura, aliisque, quae ad excellentiam profecto, quin ad perfectionem a maioribus excultae fuere? Pictura praesertim, et Sculptura ad ultimum perfectionis gradum redactae fuere. Et re sane vera tantarum artium monu-

menta eruderata adhuc ostendunt antiquissimarum urbium magnificentiam. Quid dicam de tot statuis nobilissimis nuperrime effossis apud Herculaneum, Pompeios, Stabias, Capuam, aliasquae urbes, quarum excellentia longe multumque superat omnia vetustatis monumenta? Quid de picturis, quarum infinitum pretium haud est aequiparandum cum alia quavis re? et quaeso ea monumenta, quae ad nos pervenere cum Sculpturae, tum Picturae nonne ab optimis Graecis auctoribus e saxis scalpta fuere? Nonne et Praxitelis, et Scopae, et Apellis opera ad nos usque tradita fuere? Nostram igitur regionem, quam Graii quondam incoluerunt, magnificentissimorum operum parentem optimam, et magistram fuisse liquet: hanc quidem gentem haud cum alia vetusta, vel hodierna quam celeberrima comparare auserim.

Quae cum ita sint, inficiandum haud est, quin isthaec studia, atque liberales artes tum vel maxime floruerint, cum Respublica ad maiestatis culmen pervenit, vel cum optimi Viri Principes Romanum rexere Imperium: et re quidem vera quis neget, Augusti aevo homines omnibus scientiis, atque artibus apprime callentissimos extitisse, qui Rempublicam, et Imperium ad magnificentiae gradum reduxere? Augustum enim studiorum amantissimum fuisse ad unum omnes produnt illius temporis scriptores. Hinc ipsi cives Imperatoris vestigia sequentes, animum ad studia quaeque adiecere: hinc tum vel maxime liberales artes ad ultimum perfectionis culmen redactae fuere; hinc est etiam, ut Augusti aetas *Aurea* passim a scriptoribus salutetur. Et forte fortuna eo tempore floruere tot magni, celebresque homines virtute, et armis clarissimi, uti Tullius, Hortenius, Virgilius, Horatius, sexcentique alii Viri insignes, qui usque dum erunt literae, ad sidera extollentur. Rursus vero cum tyranni Imperii summam obtinuere, tunc et ingenuae artes, et amoena studia prorsus obliterata. Nam si ipsimet tyranni sapientes homines exilio multarunt, et ad necem usque eos insectati fuere: quid quaeso tranquillum

animum ceteri poterant intendere? Hinc haud negandum, quin bonae artes optimum requirant gubernamen, atque animum a curis avocatum: alioqui haud ullae erunt artes, atque literae. Apud alios vero Imperatores studiorum amatores, homines ad studia animum adiungebant, non vero secus apud alios bonorum oppressores. Ea per longam tempestatem eo in statu permansere, donec per Barbarorum incursiones Italia misere depopulata, tandem ad eam pervenere ruinam, ut haud amplius celebres antiquitatis homines alias adsurrexerint. Nam iidem Barbari ex septentrionalibus exeuntes antris, nullarumque rerum amatores, tantum populationibus, et caedibus animum adiecere: ipsi homines inculti, rapinis, atque incendiis adsueti, nullum studiorum, atque artium amorem foventes, extemplo omnia perdidere. Civilia insuper bella, quae per ea tempora adeo miseram Italiae faciem antiquam configurarunt, ut haud amplius recti mores atque artes viguerint. Hinc Itali ipsi Barbarorum aemulantes mores, prae illis ferociores, incultioresque evasere. Proh misera Italiae tunc temporis conditio!

Accedit et his usque modo memoratis alia causa cur nam literae, ingenuaeque artes ab antiquo statu tam cito deciderint. Aeris clementia multum intulit quovis tempore Italiae, quo magis homines ad studia, et artes animum admoverent. Quo enim tempore Italia vel maxime virtute, et armis floreret, tunc amoenissima aeris, et coeli clementia fruebatur. Haud tunc defigurata erat eius facies tot nationum huc irrumpentium assiduitate, atque pestiferi halitus (ut ita dicam) nondum pulcherrimam adhuc hanc regionem deformarant. Horum autem adventu etiam aer inversus: nam ante hoc tempus aeris, coelique clementia peramoena fruebantur Itali. Hinc per ea tempora tot sapientes homines Rempublicam sancte religioseque administrabant: atque artes, et studia ibi maximo omnium amore colebantur. Nonne et temperatus aer est causa, qua pueri optimam indolem, et ingenium demonstrent, quo postea ad Reipublicae gradus facile possint adscendere?

Hinc Tullius de natura Deor. lib. II. sermonem ita instituit: *Perinde utcunque temperatus aer sit, ita pueros orientes animari, atque formari, ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem cuiuscunque fingi.* At nostra amoena regio temperato coeli aere semper est fruita: hinc mirum haud est, si tot praeclaros homines virtute, et armis usque genuerit. Haud memorem Arpinatem eloquentiae parentem optimum Tullium, haud Crispum Sallustium civem Romanum, et primum in Romana historia scriptorem, haud Vitruvium Formianum celeberrimum architectum, haud Horatium Venusinum Pindarici carminis imitatorem, haud Cneium Naevium Campanum celebrem poetam, et Atellanarum, Oscarumque fabularum scriptorem, haud Ovidium Sulmonensem qui adeo ceteros superavit poetas, ut extemporanei carminis auctor fuerit appellatus; haud memorem celeberrimum Maronem, qui olim Neapoli diu fuit otiatus, et ubi studia, et ingenuas didicit artes, ut ipse canit in fine Georg.

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.

Praetereo Papinium Statium Neapolitanum poetam Virgilii imitatorem, et Iuvenalem Aquinatem Satyrarum vatem. Mitto tot celeberrimos alios antiquos scriptores, quorum opera posteri admirabuntur et flexo poplite venerabuntur. Nec etiam sum praedicaturus illustres philosophos, haud Architam Tarentinum, non Pythagoram Crotoniatem, aliosque sexcentos, qui tantum nostram illustrarunt Italiam, ut iure merito eorum nomina, et scripta ad posteros veluti venerandae antiquitatis monumenta pervenerint. Haud tandem mentionem faciam nobilissimae Neapolitanae Philosophicae Scholae a Seneca maxime laudatae Epist. XCIII. quo saepe adveniebat, ut sapientes audiret philosophos. Hinc ipse Metronacten philosophum commendat, a quo multa utilia audivisse testatur. Huc cum-

cti ex Athenis, Corintho, Roma, aliisque dissitis urbibus commigrantes conveniebant quam saepissime celebres, doctique Viri has regiones petebant, quo amoena colerent vehementius studia. At undenam haec tanta huc commigrandi amoris libido? nonne ex aeris, coelique clementia, quae purius abundat? Haec enim sedes haud cessit amonissimo Athenarum coelo, haud Alexandriae, quo olim tot nobiles, sapientesque Viri convectarunt, ut Pythagoras, Democritus, Plato, aliique. Nostra igitur Neapolis, aliaeque Campaniae, et Magnae Graeciae urbes haud inferiores praeclarioribus fuere. Vide igitur quaeso ad quam perfectionis normam haec urbs olim pervenerit!

ΔΙΑΤΡΙΒΗ VI.

TABULA HISTORICA, ET CHRONOLOGICA OMNIUM VICISSITUDINUM, QUAE IN ITALIA ACCIDERUNT A ROMANORUM ORTU, USQUE AD ILLORUM IMPERII LAPSUM, ET PRAESERTIM MEDII AEVI HISTORIA DEGUSTATUR.

I. Ad nostrae Campaniae historiae intelligentiam heic breviter lectoris ob oculos cunctas Italiae proponemus Vicissitudines, et praecipue illas, quae Medio Ævo idendidem acciderunt. Compania pluribus gentibus occupata fuit diversis temporibus. Iam de vetustis Italiae populis in peculiari diximus Diatriba, ubi de Etruscis quondam Italiae dominis, et de aliis antiquissimis gentibus prolocuti sumus, quae Campaniam incoluerunt.

II. Romani temporis progressu subactis gentibus cunctam Italiam per plura tenuerunt saecula. Iidem cum vicinis gentibus quasi ab suae Reipublicae origine quotidianis armis pugnarunt. Samnites inter alios invidia dicam, an potius dominandi libidine cum Romanis LXXX. prope annis certarunt. Plures deinde aliae Italiae gentes ferocissimae, fortissimaeque Romanam Rempubicam totis viribus aggredi conantur. Inter alios enumerantur Galli Cispadani, qui non semel, atque iterum Romanos adoriuntur. Anno enim tricesimo postquam Romam occupant, ingens praelium ad Collinam portam gestum est: et anno V. C. CCCCV. duodecim post annos a Camillo rursus caesi fugatique; posteaque cum Romanis foedus initum. Anno vero CCCCL. Cisalpini Galli, atque Transalpini cum Etruscis Romanorum agros populantur. Aliquod post tempus signis conlatis iterum cum iisdem bellatum.

III. Successit deinde bellum Epiroticum anno V. C.

CCCCLXXII. cum imbelles Tarentini Romanos provocassent; hinc Pyrrhum in Italiam ad suppetias ferendum advocant. Traiecto in Italiam ingenti exercitu, maximum flagravit bellum per annos sex. Romani Laevino Consule Tarentinos evertissent, illorumque socios iterum trans Italiam adnavigare statim coegissent, nisi elephantorum nova territi specie fuissent; hinc fugati profligatique. Iterum atque iterum post id temporis cum Pyrrho Romani congredientes, in Epirum cum copiarum reliquiis ipsum devictum, Tarentoque depulsum redire coegerunt.

IV. Nihil heic memorem Punicum primum bellum, quod anno V. C. CCCCXC. incoeptum est, et undecim post annos, postquam Pyrrhus in Epirum remeavit: nihil heic dicam de secundo, quod post paucos evenit annos, quo tempore Hannibal Carthaginiensium dux in Romanos maxime saeviens, in Italiam per Alpes descendit. Norunt omnes quoties hoc belli fulmen, disciplinaeque militaris ornamentum cum strenuissimis ipsis Romanae Reipublicae ducibus non semel, sed pluries fuerit congressus. Hoc satis dictu est, Hannibalem per plures annos in Italia immoratum, eaque dominatum fuisse. Mutatae inde leges, magistratus, et cuncta Romanorum politia. Unius Hannibalis nomen undique personabat, et Carthaginiensium leges per cunctam vigebant Italiam. Roma ipsa Reipublicae urbs princeps Poenos cum ipsorum duce ad moenia adpropinquantes tremebunda conspexit.

V. Fractae postmodum Poenorum paulatim res in Italia erant, cum Hannibal copias hibernaturas apud Capuam adduxerat luxuriantem longa felicitate, et fortunae indulgentia, et paucos post annos in patriam cum copiarum reliquiis regredi coactus: Romani tunc Scipione fortissimo duce bellum in ipsam Africam gerendum statuerunt. Sic Italia a Poenis liberata, et Carthago a fundamentis, et Imperium excisum. Eversa urbe, Italia ex ea tem-

pestate haud amplius turbata : bella externa ubique gesta, et capta regna fortissima fuerunt. Sic una Italia cunctis tunc gentibus dominabatur, pace postmodum illis parta. Romanorum vero Imperium per plura stetit saecula. Vigente Republica summi claruerunt viri, qui Imperii summam ad maximum magnificentiae adduxerunt statum. Eo tempore sanctissimi ubique aderant mores : at postea cum Asiaticorum divitiae in agrestem urbem inlatae, tunc mores omnino mutati. Augusto Romanorum moderante Imperium, eiusque primis successoribus, luxus perquam magnus Romae vigebat : isque ad maximum pervenit gradum. Sic Romanorum res sensim eversae.

VI. Post Antoninorum splendidissimum saeculum Romanae res magis ac magis effractae : nam Imperatores effoeminati, et crudeles Romam tunc temporis administrarunt. Successit postea Constantinus, eiusque filii; ipse Imperium iisdem divisit, regnique sedem in novam a suo nomine factam urbem transtulit. Barbaris haec primum causa Italiam invadendi data. Hinc paulatim ex septentrionalibus iidem advenientes partibus, hanc quondam dominam, ac reginam totis occupant viribus.

VII. Roma maximi Imperii sedes per quingentos annos a nullis aliis gentibus perturbari poterat, nisi a Persis, quibuscum tunc assiduis pugnabant bellis; qui quidem hostes fortissimi per ea aestimabantur tempora : attamen haud Romanum Imperium occupare sunt ausi. Germani non longe ab Italia aderant, gens armis semper adsueta, ac felicissimas Italas provincias expetentes, statim ac Romanos inermes, Imperium divisum, et duces inexpertes sunt conspicati, eosmet adgrediuntur. Romani tunc adversus Germanorum irruptiones in vicinas Italiae provincias, opida validissima, et muros ultra Danubium condidere.

VIII. Eo tempore Aurelianus Imperii summam occupabat. Is enim Barbaros suas intra sedes habitandos cohibuerat Danubium ultra. At ipsi collecto exercitu permagno, celeriter Italiae montes pervadunt, in eamque

descendunt. Dum haec geruntur, Aurelianus qui extra Italiam erat, illuc cucurrit, ubi periculum aderat imminens: hinc coactis legionibus auxiliiaris, et Vandalorum equitatu ad Alpes cum hostibus conseruit palantibus. Triplici pugnatum cum ipsis praelio. Primum gestum Placentia haud procul, ubi Romani pene effracti: alterum in Umbria apud Fanum: tertium tandem apud Papiam, ubi Barbari eversi, caesi, fugatique. Post id temporis Roma iterum est muro ducta ab Aureliano, ne in hostium manus perveniret, si rursus in Italiam descenderent.

IX. Valentinianus postea Imperii summam administravit, iussitque haud amplius operi instandum. Marcellianus dux arces, atque opida contra Valentiniani iussum instaurat, Quadis obstantibus. Et res eo rediit, ut is Gabinium, illorum Regem, dum pacem componit, crudeliter enecaret. Quadi tunc simul cum Sarmatis, Scythis, aliisque Barbaris in Romanorum provincias irrupissent, nisi idem Valentinianus eosdem praelio fugasset. Iam antea Antoninorum aevo cum ipsis Germanis saepe pugnatum, at invictus illorum animus restitit. Foedus tunc cum illis initum. Aureliano antea imperante Romanorum vires citra Danubium collocatae, Dacia Barbaris data. Infinitum esset enarrare, quot vicibus Barbari Italiam, et provincias conterminas aggredi fuerint conati: eam tamen historicam enarrationem silentio praeterire fas est.

X. Honorio postmodum Imperium occidentale moderante, et Arcadio orientale in Italiam Barbari irrumpunt. Summam tunc habebat potestatem in oriente Rufinus, in Italia Stilicho natione Vandalus. Rufinus summam expetebat Imperii, qui cum haud occupare posset, Gothorum Regem Alaricum accivit. Eo tempore Stilicho dux fortissimus Graeciam illum invadentem fugavit. Paulo post Rufinus ab Arcadio capite fuit plexus.

XI Anno vero CCCXCV. Honorio adhuc imperitante in Romanas provincias Barbari excurrerunt, et eo res rediit, ut Radagaisus Gothorum princeps cum quadringentis

millibus cunctam invaserit Italiam. Haec prima Barbarorum in illam excursio. At longe satis strenuissimus dux Stilicho totis Imperii occidentalis viribus in Gothos adsurrexit. Hinc eam omnem maximam Barbarorum multitudinem Fesulanis inclusam montibus ad internecionem redegit, ipso duce Radagaiso capto. Hunc statim evertit Alaricus ipsorum Barbarorum princeps Radagaisi exemplum secutus, Graeciamque qua patet, invadit. Iam ipse in Epiro prius longe moratus, postea Honorio imperante, in Italiam penetrare cupiebat; iamque ipsam invaserat: hunc hostem ut everteret Honorius Galliam, Hispanicasque provincias eidem habitandas permisit. At Alaricus haud contentus, Italiam iterum invasit, Romam urbem Imperii sanctuarium, aliasque plures urbes fortissimas fame, belloque expugnavit, populatusque fuit anno CCCXCV.

XII. Post Romae obsidionem, et populationem, Alaricus magnis itineribus cum exercitu triumphante per Italorum provincias ad meridiem positas iter aggrediens, easdem fuit populatus. Capua Campaniae urbs princeps, Nola, aliaeque plures fama, caede, necnon et populationibus excisae, eversaeque fuere. Iam Alaricus ad Brutiorum pervenerat fines, quo Siciliam traiiceret, atque inde in Africam maxima divitiarum pondera per Italiae urbes direpta adsportaret, dum naves plurimae Siculum transeunt fretum, submersae fuere. Adversa statim fortuna repulsus, quid deliberandum foret, in Italia ne maneret, an iterum in patriam redeundum, immatura moritur morte anno CCCXL.

XIII. Alarico successit Ataulfus eius consanguineus, qui Romam revertens, Italiam iterum divitiis spoliavit. At Honorius Imperator sororem Placidiam Gallam in matrimonium eidem copulavit. Ita ea gens pace cum Romanis composita, Italiam in illorum restituit potestatem.

XIV. Post annum fere XL. Attila vulgo *Dei Flagellum* Hunnorum Rex Italiam occupat, Tartarus genere: vir dubio procul fortissimus, habitu modestus, men-

saeque frugalis. Hic Gothos orientales, Marcomannos, Suevos, Quados, Erulos, Rugos, aliosque Barbaros populos in suam ante redegerat potestatem. Eo ipso anno nempe CCCCLI. Visigothorum apud Gallias occupat Regnum. Anno insequenti Coss. C. Sporatio, et Flavio Herculiano maximo exercitu Italiam invadit, populatis pluribus urbibus in Pannoniam regreditur. Norunt omnes quot hic saevissimus vir Italiae attulerit damna.

XV. Anno vero CCCCLV. Gensericus Vandalorum Rex Eudoxiae (uti fertur) precibus motus Carthagine ubi Regni sui sedem conlocarat, profectus, in Italiam pervenit: ubi cum classe apud Tiberina ostia non procul descendit. Ad urbem expugnandam profectus, eamque iam a fundamentis evertisset, nisi S. Leonis Papae fuisset precibus motus, incendio, ac caedibus abstinuit, populationem militibus horrendam permissit per dies XIV. sacris ac profanis omnibus rebus expoliatis. Roma inde proficiscens per Samnium, Campaniam, Lucaniam, Brutios, omnesque populos depopulatos, eversos fame, caedeque redegit.

XVI. Odovacer inde Rex Italiam occupat annis circiter septem et decem antequam Ostrogothi Theodorico Rege in illam advenirent. Odovacer enim Rugus (uti perhibent) natione, nobilibus ortus parentibus, vir fortissimus, qui antea in Italia militaverat, posteaque in patriam receptus, Italiam ipsam est aggressus permagno Herulorum, Rugorum, Scytharum, Gothorum, aliorumque Barbarorum, agmine, quo Oresti iret obviam, quem ad Papiam reperit, praelioque vicit, atque necavit Augusto mense exeunte anni CCCCLXXVI. Ita Romanum occidentale Imperium excisum cum Augustolo potremo Romanorum Imperatore, qui in Lucullanum fuit Castrum relegatus. Italia igitur cuncta nullo amplius resistente in Odovacris cecidit potestatem.

XVII. Post illum regnavit Ostrogothorum in Italia Rex Theodoricus vir magnis praeditus virtutibus, sive rei militaris, sive politices spectemus artem. Anno enim CCCCLXXXIX.

hic Zenonis orientis Imperatoris hortatu in Italiam descendit, ubi Odovacrem gemino vicit praelio haud procul ab Isontio flumine, et Verona. Tertio vero praelio apud Ducam amnem triplici victoria, tertium superatum, cum hostium reliquiis Ravennam fugiendum coegit: quam tertium post annum obsidione cinctam occupavit. Eo tempore cum Odovacre Theodoricus pacem fraudulenter componens, ipsum hospitali adhibitum mensa crudeliter enecavit. Ita de Odovacre, eiusque conclamatum Regno, novoque per Theodoricum auspicato anno CCCCXCIII. ipsi Italici Regni fuit initium. Ex eo tempore mutata fuit Italiae facies: ea enim quae per tot saecula cuncto terrarum orbe fuerat dominata, Barbarorum legibus fuit subiecta. Tunc magistratus, mores, habitus, et quidquid ad vitae formam spectat, fuit mutatum. Nova prorsus administrandi gubernaminis fuit forma. Italis ita nomen tantum relictum.

XVIII. Ita firmato florentissimo per Theodoricum in Italia regno, externa saepe bella per ipsum fuere gesta. Hinc bellum conflagravit apud Dalmatas, Suevos, aliosque Germaniae populos, quos omnes in sui redegit potestatem. Praetereo Hispaniam, Galliamque, quarum regionum partem suo adiecit Regno. Dum haec geruntur, Anastasius Orientis Imperator Theodoricum Regem novum Italiae dominum aegre fert: hinc quo iniuriis ulciscerentur de Italiae amissione, classem fortissimam ad Brutias oras advenientem mittit. Regionem parum militibus munitam hostes inveniunt; inde facta direptione, atque caede ubique praedonum instar in patriam remeant. Theodoricus tandem cum ad senectutem pervenisset, Italis pace data Regnoque firmato cunctis dilectus, bonoque populorum natus cum ad annum XXXI. sui Regni pervenisset, mortem oppetiit anno post natum Christum DXXVI.

XIX. Theodorici fatum Regni sui excidii fuit causa: nullus eidem fuit filius, nisi Amalasuntha, quam suscepit ex Audephelda de Clodovei Francorum Regis germana. Filiam optimis educatam disciplinis anno DXV. pater

Eutarico cognomento Cillica in matrimonium conlocarat, qui soceris vicem in Regno Italico erat occupaturus, et quem praematura mors fato abstulit. Suscepta iam proles erat ex Amalasuntha: hinc genitus Athalaricus ex Amalorum stirpe, qui sub matris Amalasunthae fuit tutela, qui annos natus VIII. ad usque duodevigesimum suae aetatis Regnum Italicum administravit.

XX. Amalasuntha interim regnandi semper libidiné capta, mortuo eius filio Athalarico, in eiusdem locum Theodatum suffecit Amalaphridae Theodorici sororis filium anno DXXXIV. Vir hic ad solium evectus, eadem vitia, quae iamdiu habuerat, attulit: nam pecuniae maxime fuit cupidus, rerumque omnium ignarus praeter Platonicae philosophiae amorem, quem usque coluit: sed artis militaris inscius. Foeminam optimam, deque se meritam, ne in Regno haberet partem, an ob Iustiniani orientis Imperatoris amicitiam, an aliam ob causam, crudeliter occidit, quam antea exilio multaverat.

XXI. Amalasunthae mors Gothorum in Italia excidium fuit. Iustinianus enim quo eiusdem mortem ulciscereturr, sub Religionis specie, Belisarium in Italiam primo ad Siculas oras appetentem mittit insulam fertilissimam primum a Gothorum ipse manibus eripuit. Gothorum Rex eo tempore Evermorem suum propinquum ad meridionales Regni provincias defendendas magno copiarum agmine mittit. Ita Belisarius anno DXXXVI. ex Sicilia in Italiam penetravit: Brutios, Lucanos, Campanos, aliosque populos in orientalis Imperii partem adiunxit, occupatis urbibus, atque opidis, praeter Neapolim, Cumasque, quas vi expugnavit.

XXII. Iam morientis Gothici in Italia Regni supererant reliquiae; cum Theodatus ipsis Gothis invisus, Vitigem qui Mathasuntham Amalasunthae filiam in matrimonium duxerat, Regem proclamant, Theodato occiso, exilioque multato, Theodegildo Theodati filio. Belisarius vero iam pene cunctam Italiam in sui fecerat potestatem Romam, aliasque urbes fortissimas occuparat. Is in Ita-

lia diu moratus, quotidianis armis cum Gothis pugnans prospera, et adversa saepe fortuna: nam paucis militibus contra Gothorum innumeras phalanges pugnantibus Belisarii animus satis fuit: et eo res rediit, ut Theodebertus Francorum Rex per eam tempestatem maximis copiis Italiam invaderet, qui saepe cum Gothis, et ipso Belisario pugnavit Italiam depopulante, in Regnum postea incolumis rediit. Accisae hinc Belisarii ipsius res iam erant, et Vitiges quo ipsum Italia expelleret Chosroam Persarum Regem rogavit, ut arma in Iustinianum verteret.

XXIII. At res statim mutatae fuere: hinc Belisarius Regni Gothici Ravennam urbem principem modicis occupat praesidiis. Vitiges tunc captus, qui statim Regnum abdicavit, in cuius locum Ildibaldus fuit suffectus. Gothorum Regnum ultra Padum haud extendebatur: adeo res erant conclamatae! Belisarius iam Constantinopolim erat profectus, quo Persis iret obviam: Alexander interea Italiam administravit, homo argenti maxime cupidus, qui paucos regnavit annos: ipse enim Vraiae coniugis pulcritudinis fortasse causa fuit necatus anno DXLI. ut perhibent scriptores. Successit postea Eraricus, qui paulo post fuit enecatus. Ad regnum hinc evectus est Totilas princeps optimus, qui conlapsam Gothorum rem restituit anno DXLVI. hic tum Romam urbem vi cepit, totamque pene Italiam in Gothicam redegit potestatem: Belisarius cum Persis bellum tunc gerebat, et iterum in Italiam advenit, quo Totilae triumphanti iret obviam: Itali eo tempore fortunae ludibrium facti: dum Graios inter, Gothosque illorum regiones assidue armis conscindebantur: utraque hinc parte captae eversaeque urbes, cives fame, belloque enecti: argenti pondera abrepta.

XXIV. Post hoc tempus Gothorum res per Totilam restauratae, donec Narses Eunuchus Persa genere anno DLII. ab Iustiniano in Italiam missus, cuncta mutavit. Hic praeter magnas argenti divitias in illam allatas, quo bellum sustineret, magnis militum delectibus habitis Graiorum, Italorum, aliarumque gentium, quibus adiunxit

dno millia, et CC. ex Langobardis ab Alboino illorum Rege suppetias ferentibus. Contra hos Totilas Teiam ducem cum duobus millibus hominum non procul a Verona misit, quo Narseti iam triumphaturo occurreret. Bellum tunc maxime flagrabat: hinc quo Totilas collabens iam Regnum sustineret, cunctis urbibus in Graecorum manibus redactis, Cumas urbem tunc validissimam, ac moeniis satis munitam, coniugem, filios, et immensa divitiarum pondera adsportanda curavit. Ad Eugubium acriter pugnatum: ex Gothis ad sex millia, et amplius trucidati: pars alia per montes palantes obsessa, aliique capti: Totilas eo praelio occisus. Sunt qui scribunt, eo bello Langobardos victoria iam parta, adeo in urbes saeviisse, ut pluribus illorum ab iisdem excisis, civibus captis, atque capite obtruncatis, Narses iterum eosdem in patriam restituendos curarit, ne Itali rursus fame, populationibus, caedibusque enecti Barbaris praeda forent.

XXV. Dum haec geruntur, accidit, ut ea Gothorum pars, quae post praelium fugae se eripuerat, apud Papiam collecta Phridigerni filium in Totilae locum suffecerit virum fortissimum, quo conlabentem rem sustineret. Teia hinc collectis Gothorum reliquiis magnis itineribus ex Papia proficiscens, in Campaniam pervenit, et non procul a Vesuvio, Sarnoque fluvio castra posuit. Paulo post Teias movet, et ad Lactarium montem suas collocat copias. Variae tum excursiones utrinque factae. Praelium inde persaevum gestum inter Graecos, Gothosque, donec Teias dux strenuissimus pluribus gladiorum ictibus confectus, audentem animam expiravit. Huius Gothorum Regis mors Regni excidii fuit causa: Narses enim Gothorum reliquias in Italia ad internecionem redegit. Cumae tantum urbs munitissima ipsis supererat, quam Narses Teiae ingentes thesauros servantem, e fundamentis evertit. Ita bellum confectum Gothicum in Italia annum post duodevicesimum quo accidit, nempe DLIII.

XXVI. Ea interim Gothorum pars, quae superstes fuerat, Alemannorum, Francorumque opem imploraret,

qui anno insequenti ducibus Leuthari, Butilinoque Italiam adoriuntur. Narses qui cum omnibus copiis Romae erat, haud Barbarorum horrendas copias ex septentrionalibus advenientes partibus, atque depopulantes urbes fame, caedeque cohibere potuit. Adeo gentes innumerae Italiam miseram occupaverant! Ea gens in Samnium usque fuerat progressa: ibi copias dividunt Leutharis, Butilinusque fratres. Primus Apuliam, Calabriamque percurrit: alter per Tyrrhena progrediens litora, ad fretum usque pervenerat Siculum. Leutharis facta ingenti praeda Padum transgressus in patriam remeandum statuerat. At Butilinus regnandi captus libidine, novum in Italia Regnum constituendum in animo habebat. Hinc factum est, ut ipse cum Narsete congressus apud Casilinum, atque inde ad interneccionem cum omnibus suis copiis redactus occisus fuerit. Sic ea clade per Narsetem acta, Italia a Barbarorum manibus liberatur.

XXVII. Ipsa post hoc tempus pluribus annis in Graecorum fuit potestatem, Narsete ipso patricio eam provinciam administrante, partaque Barbaris pace post foeda, teterrimaque bella. Gothorum leges exinde mutatae fuere vigente Graecorum politia. Iustinianus interim ad senectutem pervenerat Barbaris semper infensus. In demortui orientis Imperatoris locum Constantinopoli publicis suffragiis sororis filium Iustinum II. proceres consalutarunt. Sub huius novi Imperatoris initio Langobardi ex septentrione advenientes Italiam invadunt sub Alboino illorum Rege. Causa latet cur nam ea gens effera in nostras irruperit provincias. Iustinus homo divitiarum cupidus, an Narses fuerit causa isthaec, ob quam Barbari in Italiam advenirent, incertum profecto est. At qui huius temporis miserae illius status? hoc tantum norunt illi qui diurna, nocturnaque manu versant Medii Ævi historiam. Hoc unum satis dictu est, hunc universi terrarum orbis angulum quondam florentissimum, tunc adeo vexatum esse, ut nihil aliud superesset, quam nomen. Toto enim tempore, quo floruit Gothorum Regnum, quod diu perdu-

ravit, orientis Imperatores bellum quotidianum cum Gothis, Italisque gesserunt: hocque tum vel maxime flagravit, cum Theodatus, Teias aliique Reges apud Gothos dominium obtinuerunt. Inde urbes, pagique florentissimi solo aequati fuere: quorum nonnulli si qui superfuerunt, horrida ferarum lustra veluti cohabitati fuerunt: sic Itali ferociores evasere. Literarum studia tunc prorsus obliterata, mutata omnino magistratuum politia, rei militaris disciplina prorsus destituta: ingenuae artes exilio multatae. Sequiori aevo omnia statim versa, et peiorem in statum redacta. Langobardi de quorum dicemus in Italia novo Regno mox efformando, deteriorem, quin imo miseram Italiam in squalidiorem reduxerunt gradum. Eo igitur res fuerant conclamatae, cum Longinus patricius, et Exarchus (Narses iam Constantinopolim fuerat profectus) Ravennam pervenit anno DLXVIII. Iustino II. imperante, dum ex Septentrione Langobardi Italiam occupant militibus vacuam, quibus adiuncta Suevorum, Sarmatarum, Bulgarorum, Noricorum manus, aliaeque efferatae gentes cum coniugibus, filiis, propinquisque, omnia secum portantes. Alboinus illorum Rex his omnibus praeerat. Eae omnes gentes Kalendis Aprilis anno DLXVIII. ex Pannonia, vicinisque locis proficiscuntur, quo Italiam invaderent.

XXVIII. His ita dispositis Barbarorum hoc maximum agmen ad Venetorum primum fines adpropinquat, Liguriaque statim occupata, nemine ipsis resistente, Papiam tantum urbem militibus munitam reperit, quam obsidione cinctam paulo post occupat. Hinc Iulii Forum Alboinus Gisulpho fratris filio tradit, qui statim novo principatu erecto Dux fuit salutatus. Alboinus interim cum hoc ingenti Barbarorum exercitu provinciis citra, ultraque Padum captis, Italiae a suis Rex proclamatur

XXIX. Anno sequenti dum Langobardi magis grassantur, Etruria, Æmilia, Vmbriaque cum opidis fortissimis potiuntur, quae cuncta dum aggrediuntur, credibile est, Italos omnes terrore perculsos alio aufugisse,

cunctis relictis: nam Capuam, Caietam, Neapolim, et Rhegium usque pervaserant Itali, quo Langobardorum effugerent iram, praeda ingenti a Barbaris facta. Longinus Ravennae Exarchus haud ipsis resistere poterat: vix enim pauci milites illi superfuerant.

XXX. Barbarorum inde decursionibus cuncta pene Italia direpta, Zotho illorum Dux modicis vastatum Samnium praesidiis occupat, et ad Beneventum perrexit urbem moeniis munitam, quam obsessam paulo post vi capit. Qui loci amoenitate illectus, sui Ducatus sedem figit, quamvis alii hunc antea erectum credunt.

XXXI. Anno vero DLXXIII. Alboinus pridie Nonas Septembres ferro fuit extinctus, dum in Italia regnaverat tres annos, et sex menses. Eius mors per coniugem Rosmundam Regis Gepidorum filiam fuit patrata: ea enim ad epulas invitata dum Veronae esset, ut in sui parentis calvaria biberet, rogata, iuxta Barbarorum mores, offensa uxor, iniuriam ulciscitur, Peridaei familiaris sui brachio utens, Regem vino sepultum gladio confodit. Rosmunda interim ne a Longobardis morti esset tradita, ad Longinum qui erat Ravennae, confugit, cum abrepti coniugis ingentibus opibus: hic venenum Elmegiso ex balneo prodeunti propinat, quod eadem ad bibendum fuerat coacta, simul emoriuntur. Longinus postea Constinopolim thesauros, et Alboini interfectorem Peridaeum misit.

XXXII. Huic Regi successit Clefus ex Balaeorum genere, qui uxorem duxerat Massanam nomine. Hic non amplius, quam sex et decem regnavit menses, a suis ipsis ferro obtruncatus. Post hunc interregno facto, eiusdem filius Autaris XII. anno a patris fato, Langobardorum Rex eligitur. Interea Mauritius orientis Imperator, quo Langobardos Italia expelleret, cum Childeberto Francorum Rege foedus iniit, qui paulo post magno cum exercitu in Italas irrumpit provincias. At Francorum Rex, qui donis, et divitiarum thesauris a Mauritio fuerat cumulatus, quo in Italiam adveniret, a Langobardis eo-

dem modo fuit exceptus : quare in patriam revertitur. Anno sequenti in Italiam iterum advenit, quo tempore Autaris, qui cum Graecis aliquandiu pugnaverat, pacem per triennium composuit quo exeunte tertium revertuatur quo cum Langobardis manus consererent : et factum est, ut Francorum Rex cum exercitu fuerit fusus, et ad internecionem redactus.

XXXIII. Langobardorum in Italia Regnum iam erat firmatum, Graecorum reliquiae pluribus abhinc annis supererant : tunc paucas occupabant urbes maritimas Inferi, Superique maris apud Calabros, Appulos, Campanosque. Adeo in Italia Graiorum iam Imperium erat omnino casurum! Sic Italia cuncta Langobardi dominabantur, qui assidue cum Graecis pugnabant, urbibus atque vicis a Barbaris eversis. Italorum provinciae per ea tempora peiorem in statum redactae fuerunt, cum Langobardi suos undique mores introduxissent.

XXXIV. Anno DXC. Autaris moritur: eius uxor Theodelinda ne regnandi libidine privaretur, Agilulphum Augustae Taurinorum Ducem Regno sociat. Huic successit Adaloaldus cum XIII. esset annorum, quem Theodelinda procrearat. Ipse paucis regnavit annis, a suis ipsis throno exactus, quod subiectos male sibi populos exciperet : hinc Arioaldus Augustae Taurinorum Rex salutatur anno DCXXV. Huic successit duodecim pos annos Bavariae Dux Vrotarius, seu Rotharis, qui plenis Langobardae gentis suffragiis Rex deligitur, princeps optimus. Celebre est per ea tempora Rotharis Edictum, quod tulit anno DCXLIII. Langobardi qui Italia pluribus abhinc annis degebant, et exleges usque tum fuerant, providentissimi Regis Rotharis novis legibus vivere coeperunt, per quas politiorem fuerunt in statum redacti.

XXXV. Ita ad maximum pervenerat splendorem Langobardorum Regnum eo tempore, pace Italis data, Graecis ad extremum redactis, et multis novis per Italiam principatibus erectis, Ducatu Spoletino, Beneventanoque satis firmato. Arichis qui Beneventi Dux erat, pro-

pinquis occupatis provinciis, vicinisque Graecis exactis, Beneventanum auxerat dominationem.

XXXVI. Mortuo Rothari successit eiusdem filius Rodoaldus anno DCLII. Hic annus celebratur ob Saracenorum in Siciliam adventum, contra quos Olympius Exarchus orientis iussu cum classe mittitur: at Graeci fusi, caesique fuere cum ipso Olympio. Saraceni eo tempore Sicilia cuncta direpta, in Africam redierunt. Post sex menses Rodoaldus iniuriae ulciscendae causa, et ob raptam cuiusdam uxorem occiditur, huic successit Aribertus Catholicorum fautor.

XXXVII. Mortuo inde anno DCLXI. Ariberto, eiusdem duo filii Bertaridus, et Guadebertus simul paternum occuparunt solium, dominandi libidine capti. Mediolanensem primus Ducatum rexit: alter Papiensem. Sic Italia post diuturna bella, post caedes, et eversas, incensasque urbes, post Barbarorum irruptiones, ad ultimum infelicitatis pervenerat gradum. Mutata sic omnia fuere; Italia incultior ipsis Barbaris facta, lingua omnino mutata, et Latina vix, quin ad extremum redacta. Literae, et ingenuae artes omnino deperditae; commercium cum exteris gentibus propter Graiorum reliquias, quae iugitur cum Barbaris manus conserebant, omnino relictum. Talis erat Italiae status septimo ineunte saeculo ad undecimum usque: sic fortunatissima quondam Italia tunc in miserum pervenerat statum! Silentio praeterire fas est omnes illas regiones tunc adeo habitatoribus vacuas fuisse, ut pauci vix per urbes, villasque supererint. Plurimi enim fame, caedibus, bellisque assiduis mortem oppetierant.

XXXVIII. Iam ante diximus, Langobardorum aevo eorum Regnum per totam pene Italiam extensum fuisse, praeter paucas regiones, quae Graiorum parebant auctoritati. Tunc gentis Langobardae primores principatus plures erexerunt sub Ducatus nomine, eosque ad XXX. circiter, quorum duo Spoletinum, et Beneventanum praesertim maxime extendebantur, magnamque Italiae meridionalis partem occupabant. Principes sub Ducum nomine

celeberrimi per secuta deinde tempora easmet tenuerunt regiones, dum saepe cum Graecis in Italia bellum gesserunt. Grimoaldum Beneventi Ducem cum Constante orientis Imperatore pugnasse (qui tum in Italiam cum classe advenerat fortissima, et Beneventum obsidione cinxerat) eumque ad internecionem redegisse constat. Temporis progressu alii Ducatus erecti fuere, quamvis minores. Memoratur Neapolitanus, qui urbes plures habebat, nempe Liternum, Cumas, Misenum, Puteolos, Stabias cum insulis adiacentibus. Surrentum urbs etiam in ducatum conversa fuit. Formianus vero Ducatus Formias ipsas possidebat, aliasque vicinas urbes. Memorantur alii Ducatus, Campanus nempe, Caietanus, aliique.

XXXIX. Dum haec geruntur, et dum Italia eo fuerat redacta, accidit, ut Bulgari (gens isthaec Euxini maris propinquas incolebat regiones) sub Alczeco Duce in Italiam advenirent anno DCLXX. Ea olim gens vigente Romanorum fortuna identidem Illyricas fuerat populata provincias. Ex historia insuper compertum habemus, illorum ducem Alczecum Grimoaldum Langobardorum Regem convenisse, quo Italiae partem cum sua gente ad incolendam permitteret. Hinc factum est, ut Langobardorum princeps Rodoaldum Beneventi Ducem rogaret, ut iisdem Samnii partem habitatoribus vacuam cum urbibus Saepino, Boviano, Æsernia, aliisque ad incolendum permitteret. Sic ea gens Samnii partem per plures occupavit annos. Italia tunc tot gentibus barbaris habitata, lingua, moribus tot coelo differentibus, antiquos mores adeo mutavit, ut illi nonnisi nomen superfuerit. Nam tunc Graeci, Gothi, Langobardi, aliaeque efferae gentes amoenissimas incolentes provincias Latinam linguam adeo corruperant, ut ad ultimum redegerint statum. Ex eo tempore Italorum lingua vetusta in novam sensim mutata, vulgaris ex tot Barbarorum verbis fuit orta.

XL. Anno interim qui fuit secutus, Grimoaldus fato fuit functus, cui successerat Garibaldus filius, et Ber-

taridus qui dum erat in Pannonia, in Italiam reversus, e throno exacto Grimoaldi filio, in eius locum restituitur, pace Italis data, et praesertim Graiorum reliquiis, qui adhuc plures occupabant urbes. At post decennium regnavit Cunibertus filius. Hinc Luitbertus anno DCC. et paulo post Ragumbertus, et Aribertus II. successere. Quatuordecim post annos Saraceni, qui antea in Siciliam advenerant, ad Calabras oras cum classe accedunt, plerasque populantur urbes sub Farichio ipsosum immanissimo duce.

XLI. Luitprandus autem qui Ildebrandum in Regno sociarat, moritur omnibus Italis defletus. Princeps enim optimus is fuerat, reique militaris peritissimus, et Christianarum virtutum ad unguem factus. Cum Beneventano, Spoletinoque Ducibus diu bellaverat, quippe quod iidem Graecorum partes in Italia susceperant Hinc cum exercitu ingenti ad Spoletium primum, inde Beneventum perrexit: pugnatum utrinque fuit. Ducum agmina effracta, et fusa fuere. Ildericus hinc, et Trasimundus ex Ducatu expulsi, et eius in locum alii principes suffecti. Pax inde cum Spoletinis, Beneventanisque composita. Iam plures annos Luitprandus Regnum administraverat cum Ildebrando (ut diximus) qui solus post illius obitum thronum occupavit, et septem post menses virtutibus carens solio fuit eiectus. Langobardi anno DCCXLIV. Rachim Foroiuliensis Ducem Italiae Regem consalutarunt; et quintum post annum dum bellum gerit cum Spoletinis, Beneventano Duce, aliisque populis, et iam eius exercitus ad Perusiam tendebat, cum Zaccharias Romanus Pontifex Roma profectus, ut Rachim persuaderet ad pacem cum hostibus componendam, extemplo Rex non solum pacem iisdem dat, et Regnum abdicat, verum etiam ex Rege Casinatium monachus factus, et Aystulfum fratrem Regni habendas, ut acciperet, rogat: quod actum subito fuit.

XLII. Sub hoc principe Graecorum res in Italia tandem post tot saecula omnino conclamatae. Anno enim DCCLII- dum Aystulfus ipsis bellum infert (iam

a plurimis annis, ut ante dictum, iidem ad extremum redacti) Italiamque omnem sub unius gubernaminis formam redigere meditatur, Ravennam maximis advenit copiis: urbe sic capta, Eutychius Graecorum Exarchus postremus fugam arripit. Sic ea Italiae pars, quae iam a centum octoginta novem annis Graiorum Exarcho paruerat, Langobardorum sub dominium transiit. Beneventani tunc, Spoletinique Duces cum aliis principibus ad unum omnes per Aystulfum sub eiusdem potestatem redacti. Ita Italia cuncta, qua patet, in Langobardorum potestatem pervenit.

XLIII. Aystulfus tandem septimum post annum, dum in venatione aprum insequitur, equo decidens, paulo post moritur. Nullus ei erat filius: proceres hinc regni alium ad solium evehendum curant; unus inter omnes Desiderius Histriae Dux, qui tunc in Etruria Langobardorum copiis praeerat, Rex salutatur. Rachis qui tunc monachus Casinates apud fuerat receptus, iterum Regnum abdicatum cupiebat, quod obtinuisset, nisi Romani Pontificis hortatu, et Desiderii ipsius auctoritate foret compulsus. Ita Desiderius Italiae dominationi praeficitur: at is pauco regnavit tempore. Invidia Romani Pontificis, et Beneventi, Spoletiique Ducum factum est, ut Francorum Regem Carolum Magnum ad Italiam invadendam invitarent. Ita Rex iste anno DCCLXXIII. magno copiarum agmine per montem quem appellant Cenisium, in Italiam descendit, ubi Desiderii Regis exercitus occurrerat. Praelium inde gestum: Langobardi fugati cum Rege ad Papiam urbem confugiunt. Postea Carolus Veronam occupat, et inde Italia cuncta in eiusdem potestatem pervenit: ita Langobardorum Regnum, quod per annos plus minusve centum, et sex extiterat, fuit deletum. Desiderius cum uxore captus in Galliam fuit missus, et monachus ex Rege factus: itaque Italia ab Langobardorum oppressione liberata.

XLIV. Ipsa in Caroli manus pervenerat, praeter Beneventi Ducatum, cui tunc praeerat Arechis Desiderii sanguine coniunctus. Vnus hic Carolo obstitit, qui Beneventanum Ducatum per ea adeo auxit tempora, ut vici-

nas etiam occuparit urbes. Hinc dominium extendit, urbes validissimas munivit, quo Carolo iret obviam. At Carolus ipse dominandi magis cupidus, bellum Arechi intulit; victus hic pacem ab Rege supplex petiit ea conditione, ut filios obsides, et ingentes argenti daret thesauros, et Beneventanus Ducatus sub Francorum foret protectionem.

XLV. Multum post tempus moritur Carolus Magnus, cuius gesta satis norunt, qui illius aevi legunt historiam. Eiusdem mors accidit anno DCCCXIV. cui successit eius filius Ludovicus cognomento Pius Imperator. Grimoaldus qui tum usque cum Pipino Italiae Rege bellum gesserat, cum Ludovico pacem componit, qua inita Grimoaldus Neapolitanis bellum infert, qui Dauferium exceperant Salernitanum civem. Hinc statim Beneventanus princeps cum exercitu Neapolim adpropinquavit: Neapolitani illi obviam fiunt: praelium horrendum utrinque ortum: at ex iisdem ad quinque millia eo die cecidere. Grimoaldus triumphans Beneventum rediit Neapolitanis pace reddita, Dauferioque in pristinum statum restituto.

XLVI. Grimoaldus deinde a Radelchisio crudeliter interemptus, et paulo post Sico principatum occupat Beneventanum. Sui principatus initio ab omnibus amatus; at hinc ab illis ipsis, a quibus ad solium fuerat evectus, se eximens, Benevantanis crudeliter imperavit. Tunc bellum maxime flagrabat cum Neapolitanis, et sexdecim per annos iugiter pugnatum: at Beneventani haud unquam urbem moenibus validam capiunt.

XLVII. Sicardus Siconis filius, qui parenti suo in Beneventano successerat principatu diu cum Neapolitanis pugnam pugnaverat. Sub eo principe plura evenisse narrat historia, et praesertim Saracenorum memoratur in Italiam adventus. Ea enim gens, quae iamdiu in Sicilia sedem conlocarat, in Italas oras magna cum classe anno DCCCXXXVIII. pervenit, et Brundusium occupat. Vrbs eo tempore ad Beneventanos pertinebat, qui statim cum exercitu ad opidum defendendum adcurrunt: at factum est, ut Saraceni cum ipsis armis fuerint congressi. Multi

primo praelio fugati, et paulo post iterum Sicardus cum illis praeliatur: inde interfecti ad unum omnes ex Beneventanis. Iam Saraceni in Italia ex eo tempore post debellatos Beneventanos sedem figere constituerant, cum et orientis Imperator Theophilus, aliique Italiae principes contra Barbaros permagnas apparabant copias, et classes, quo ipsos ex Italis averterent oris, cum Sicardus occiditur, cui successit Radelchisius. Siniculfus Salerni princeps ob huisce odium, diviso Beneventano principatu, Salernitanoque, bellum eidem infert, quod tunc maxime flagravit. Nam Radelchisius Saracenos ex Sicilia suppetias ei ferentes advocavit. Urbes capiae, atque incensae fuere, inter quas Capua fatum subiit. Et paulo post anno nempe DCCCXLII. eaedem efferae gentes iterum ex Sicilia, Africaque in Italas perveniunt oras: hinc Barium primum, Tarentum, deinde Beneventani principatus urbes fortissimas occupant Duce sub Calfo.

XLVIII. Radelchisius vero Beneventi Dux eas gentes accivit, quo contra Siniculfum Salernitanum Ducem bellum inferret. Varii tunc eventus accidere; Saraceni enim nunc Beneventanorum, nunc Salernitanorum partes suscipiebant. Hinc bellum magis effervebat; Saraceni interim Radelchisio opitulantur: copiis hinc cum eiusdem collectis contra Siniculfum pergunt. Iam castra parum ab Suessula aberant praelium gestum apud Furculas Caudinas. Beneventani, et Saraceni cum duce Apollofare a Siniculfo fugati, et ad extremum redacti: eorum urbs obsidione fuit cincta, at post praelium utrisque pax data.

XLIX. Ex eo tempore perpetuum bellum fuit inter Beneventanum, Salernitanumque Ducem; Saraceni Barium, Tarentum, vicinasque habebant urbes, qui nunc Beneventanorum, nunc Salernitanorum partes suscipiebant. Ii vero principatus tunc ob assidua praelia gesta iam morientes erant. Et Ludovicus Francorum Imperator, et Italiae Rex, qui Beneventanis tunc erat infensus, maxime studuit, quo horum res perderet, donec bellis

intestinis Saracenorum, et vicinorum principum invidia, et causa Beneventani ad extremum redacti fuerunt. Atenulfus tunc Campanus princeps cum vicinis populis usque fuit praeliatus, et praecipue cum Beneventanis, qui principatum Campano ex eo tempore coniunxit. Eius duo filii Atenulfus, et Landolfus patre mortuo Campanum, Beneventanumque principatum simul rexere, ab anno scilicet DCCCCXI.

L. Circa annum MXVII. vel MXVIII. ab Medii Ævi scriptoribus Normannorum in Italiam memoratur adventus: quidam illorum ex oriente in patriam redeuntes, ad Salernitanas oras adpropinquarunt. Salernitanorum tunc Dux erat Guaimarius III. qui Graecis, et Saracenis maxime erat infensus. In patriam redeunt Normanni; hinc eiusdem principis, et praecipue Salernitanorum hortatu adveniunt. Graiorum res in Italia, et Langobardorum tunc penitus extinctae fuere per Normannos, qui Salernitanorum auxilio contra Graios, Saracenosque saepe armis conseruere. Memoratur circa annum MXXIX. novae urbis aedificatio, Aversa nempe ab iisdem Normannis condita. Eorum Dux Robertus Guiscardus vir animo acerrimus, celeritate bellandi fortunatus, et virtute eximius anno MLIX. Apuliae Dux eligitur, qui temporis progressu totam Italiam meridionalem armis devicit.

LI. Rogerius interim Roberti frater cum in Siciliam traiecisset, quam Saraceni pluribus abhinc annis occupabant, parva militum manu effecit, ut iidem armis conlatis insula abierint, totamque in suam redegerit potestatem anno MLXII. et Siciliae Comes fuerit salutatus. Postea eius filius Rogerius eiusdem nominis, cum etiam Apuliae Ducatus ei datus esset, quippe quod Robertus Guiscardus cum nullum susceperat filium, tunc Regis titulo fuit insignitus anno MCXXX. atque Neapolitanum Regnum duarum Siciliarum nomine fuit decoratum. Ipse etiam urbem Neapolim sibi fecit vectigalem, quae antea Ducatum efficiebat. Post Rogerium regnarunt Gulielmus

I. Malus nomine, Gulielmus II. Bonus, Tangredius, et Gulielmus III. At Imperator Henricus IV. Suevus, qui Constantiam Rogerii Regis filiam in matrimonium sibi copularat, Neapolitano Regno MCXCIV. fuit potitus. Neapolitani tunc sub Suevorum dominium fuerunt redacti. Hinc post Henricum huiusce Regni habenas suscepere Federicus II. Imperator, deinde Conradus, posteaque Manfredius, cui ablatum fuit Regnum anno MCCLXVI. a Carolo I. Andegavensi S. Aloysii Galliarum Regis fratre. Tunc Sicilia fuit divisa anno MCCLXVI. et in Aragonensium pervenit manus. Apuliae Regnum, vel Neapolitanum Andegavensibus parebat. Eorum Reges fuere Carolus I. Carolus II. Robertus, et Ioanna II. Haec Regina (de qua historia plura narrat, cum nullus ei esset filius) Alphonsum Aragoniae Regem, Siciliae, Sardiniaeque adoptavit. At paulo post cum in summum eius odium incidisset, Aloysium Andegavensem Ducem adoptavit, qui fato functus, Regnum eius fratri Renato dono dedit. Post Ioannae Reginae obitum, qui accidit anno MCCCCXXXV. Alphonsus regno Neapolitano fuit potitus: inde longum, perpetuumque bellum, quod cum Renato gessit, per suos successores fuit extensum.

LII. Post Alphonsum Sicilia fratris Ioannis Aragoniae Regis in potestatem cecidit, et Neapolitano Regno fuit dominatus Ferdinandus I. inde Alphonsus II. postea Ferdinandus II. et tandem Federicus. Ferdinandus deinde Catholicus Aragoniae Rex cum Ludovico simul XII. Galliarum Rege Neapolitanum occupavit Regnum anno MDI. et paulo post Gallis eiectis MDIV. Siciliae fuit adiunctum.

LIII. Successit Carolus V. anno MDXVI. Germanorum Imperator, filius Ferdinandi Regis: post ipsum dominati fuere Hispaniae Reges successores Philippus II, Philippus III. Philippus IV. et Carolus II. qui cum nullum haberet filium circa annum MDCC regnum ad Austros transiit, et post XXXIV. annos in Borboniorum pervenit manus nunc feliciter regnantium.

ΔΙΑΤΡΙΒΗ VII.

DE CAMPANIAE FELICIS ANTIQUIS VIIS.

Romani quondam rerum domini celeberrima aedificia ubique terrarum erigenda curarunt: capta Graecia, artes in Latium inlatae fuere: immensos hinc thesauros ad publica opera extruenda adhibuerunt. Magnifica exinde templa, aliaque publica opera, quorum adhuc rudera adspectantur, condiderunt. Ea vero urbi Romae magno fuerunt utique decori, at non necessaria. Viae procul dubio silicibus constratae profecto Romanae reipublicae ad commercium augendum ultro citroque cum vicinis dissitisque gentibus commodo, et utilitati potius fuere.

Iidem ab suae urbis incunabulis haud itineribus peragendis operam insumpsere, dum vicinae gentes efferatae perpetuis fere bellis cum iisdem decertarunt. At nihil obstantibus bellis, et subactis vicinis, ac longinquis nationibus, Italiam pene cunctam sub suam fecerunt potestatem. Appius Claudius cognomento Coecus CLXXXVIII. annos post exactos Reges viam primum a suo factam nomine aperuit. Aliae vero temporis progressu lapidibus munitae fuere, uti Flaminia anno ab V. C. DXXXIII. Aurelia ab Caio Aurelio Cotta anno DXII. aliaeque praeclariores.

Nos postquam Campaniae Felicis inlustrandam originem suscepimus, de ipsius nunc singulis vetustis dicemus Viis. A quibus illae fuerint silicibus stratae, vel restauratae, quinam illarum cursus, quaenam praeclariores evenerint, a quibusnam eversae, quinam illarum tandem recens status, heic adiuvante Deo O. M. describemus.

De Appia primum viarum regina, quae Campaniae partem occupavit, sermo producendus. Anno ab V. C. DCCXIII. et XLI. ante natum Christum Marcus Antonius Cleopatram Ægypti Reginam deseruit, quo Octavia- Via Appia.

no Augusto triumphanti obviam iret, cui nihil in Italia obstabat. Domitianus Oenobarbus cum Antonio copias coniunxit, et statim ad Brundusium oppugnandum perrexit, dum Sextus Pompeius bellum alio gerebat. Moecenatis familiares Pollio, et Cocceius Brundusium iter instituerunt, quo Antonium inter, et Octavianum pacem componerent, quae statim reapse fuit peracta. Horatius qui istorum sibi amicitiam conciliarat, se itineris comitem adiunxit: ita ipse statim urbe fuit profectus cum Heliodoro Graio Rhetore, quo Moecenatem Terracinae expectaret. Id omne ediscimus ex eodem haec narrante lib. I. Satyra 5. Nos huiusce partem afferemus, quae ad Appiam inlustrandam viam satis erit.

Antequam de Appia via sermonem instituamus, de templo quodam eruderato super eadem III. ab Roma lapide multis abhinc annis dicemus. Hoc erectum fuit ab Herode Attico, qui Romae Consulatum gessit, quique villam heic possedit, templumque condidit marmoreis exornatum columnis, in quarum quibusdam insculpti erant Graeci characteres; a nonnullis interpretati fuere, et et praesertim a Cl. Viro Viscontio Romano; horum facit mentionem Ioannes Albertus Fabritius Biblioth. Graec. tom. XIII. Eaedem columnae ibidem repertae olim extabant Romae in aedibus Farnesianis, et nunc Neapoli in Regio Museo Borbonio.

Statim ac Horatius Roma discessit, Ariciam pervenit; ea parum ab urbe distabat, nempe CXX. stadia iuxta Strabonem lib. V. Geogr. quae circiter sunt milliaria XV. In eo loco celebratur Dianae templum erectum.

Egressum magna me excepit Aricia Roma
Hospitio modico: Rhetor comes Heliodorus
Graecorum longe doctissimus: inde Forum Appi
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.

Hoc Appii Forum ita dictum a quibusdam fuisse creditur illud ipsum, cui nunc nomen *le Case Nere*. Hoc

fuit in agro Setino iuxta paludes Pomptinas, et eo in loco, ubi dicitur *il Casarillo di S. Maria* inter lapidem XLIII. et XLIV. iuxta Antonini Odeporicum. Appii Forum fuit conditum circa annum ab V. C. CCCXIII. ob Claudii Appii memoriam super eandem viam. Eiusdem loci occurrit mentio in Actibus Apostolorum c. 28 cum Romam advenit D. Paulus gentium Doctor. Horatius interim (uti patet) parvis incedebat itineribus, et pedibus illum Roma profectum esse usque ad eum locum putatur. En ut ipse ait:

Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum: minus est gravis Appia tardis.

Idem stomacho bellum indixit propter aquam, quae eo loci Pomptinas ob paludes dubio procul erat pessima.

Hic ego propter aquam, quod erat teterrima, ventri
Indico bellum.

Paulo post nautarum convicia poeta cum servis describit, qui haud unquam contenti, multos in navem excipientes, et praetereuntium periculo id efficiebant. Eo loci Horatius Appiam viam deseruit parumper, et vicinos praeternavigare lacus (1) fuit coactus, qui sunt iuxta Appiam:

---

(1) Ex Strabone lib. V. Geogr. compertum habemus, ab Anxure haud procul, ex quo loco viator Romam pergebat, iuxta viam Appiam longam excavatam fuisse fossam, quae vicinarum paludium Pomptinarum aquas excipiebat; et per hanc viatores noctu navem conscendebant, Appiam relinquentes, quae fortasse ibi haud commoda erat. Haec Geographi enarratio recte concordat cum illa Horatii, qui heic viam reliquit, quo navem adscenderet. Haec vero fossa longum efficiebat fluvium iuxta Appiam, qui milliaria circiter XV. extendebatur. Huiusce fossae auctorem fuisse Augustum constat, eamque ab Nerone productam auctor est Suetonius in eius Vita c. 9. Hodiedum de hac nihil aliud existit, quum aquae paludium Pomptinarum stagnantes eandem perdiderint.

et vitare haud valuit nautarum iurgia, et eorumdem cantum, qui ebrii totam cantant noctem absentem amicam, nec malos culices, neque ranas palustres, quae somnum oculis avertunt.

Paludes Pomptinas postquam praetergressus est Horatius, Terracinam pervenit, cum ante sacro Feroniae fonti (1) se lavisset:

. . . . Quarta vix demum exponimur hora.
Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Millia tum pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.

Ex hac urbe Horatius Fundos pervenit, apud quam se correptum esse narrat Praetoris Aufidii Lusci fastu, et arrogantia, dum purpura induebatur, et magnis heic honoribus se functum studebat;

Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam, et latum clavum, prunaeque batillum.

Hinc Formias perveniunt Mamurrarum urbem a poeta

---

(1) Hoc Feroniae deae templum, et fons ab Anxure III. circiter distabat milliaria. Tacitus lib. III. c. 76 Histor. ita eiusdem divae apud Terracinam cultae meminit: *Vitellius positis apud Feroniam castris, excidio Terracinae imminebat.* Et Virgilius Æneid. V. v. 410 sic canit:

. . . . . Queis Iupiter Anxurus arvis
Praesidet, et viridi gaudens Feronia lucu.

Haec dea non solum heic, verum etiam alibi colebatur, ut apud Sabinos, ubi urbs eiusdem nominis erat sacrata. Ipsa nemorum, et frugum patrona erat, unde Feronia *a frugibus ferendis* fuit appellata. Tandem tutelare libertorum numen erat, in cuius templo capite abraso pileum ipsi capiebant.

sic appellatam a nobili familia, et non ab urbe Mamurra, quae nunquam extitit:

In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus.

A Formiis Horatius Minturnas pervenit, nunc *Scafa del Garigliano*, quae quidem urbs III. circiter milliaria a Formiis aberat. Liris Minturnas interfluebat: per hanc etiam Appia perveniebat. Super flumen pons fuit, cuius adhuc rudera supersunt. Cicero hunc nemorat ad Atticum lib. XVI. epist. 7 hoc modo: *O casum magnificum, cum ante lucem de Sinuessano surrexissem, venissemque diluculo ad pontem Tiretium, qui est Minturnis, in quo flexus est ad iter Arpinas, obviam mihi fuit tabellarius . . . . Appiam ad sinistram habentem.*

Pratillius Via Appia lib. II. c. 4 inter Formias, et Caietam parvam fuisse quondam viam arbitratur, idque arguit ex ruderibus pluribus, quae supersunt. Haec via Appiae ramus procul dubio fuit, quae a Formiis ad Caietam usque extendebatur per VI. circiter M. P. Eandem viam a Caietanis accolis apertam creditur, quamvis alii Vespasianum eiusdem auctorem fuisse opinantur, quoniam ipsa ab eodem fuit restaurata, ut ex columnis probatur milliariis.

Ad Horatium autem redeamus: hic iter instituens Sinuessam pervenit, ubi Virgilium, Plotium, et Varium sibi in amicitiam coniunctissimos reperit: et ipse quantum laetatus fuit, cum ipsos adspexit:

Postera lux oritur multo gratissima: namque
Plotius, et Varius Sinuessae, Virgiliusque
Occurrunt, animae quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter.
O qui complexus, et gaudia quanta fuerunt!

Inde Capuam adveniunt, ubi hominem reperiunt, qui

omnia, quae ad illorum iter erant necessaria, praebere debebat.

Proxima Campano ponti, quae villula tectum
Praebuit, et parochi, quae debent ligna, salemque
Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.

Hanc villulam a poeta memoratam creditur haud dissitam ab eo fuisse loco, qui dicitur *Ciambrisco*. Pons vero Campanus, qui nunc *Sua* dicitur, supra Savonem erat fluvium, sub quo Appia extendebatur: huiusce pontis hodiedum restant adhuc reliqui. A ponte Campano Casilinum usque XII. distabant milliaria, et ab eadem urbe ad Capuam II. circiter.

A Capua vero Appia via ad orientem ex Beneventi parte flectebat, et Caudium perveniebat, nunc *Arpaja*, opidum nobile prope Caudinas Furculas situm, et ob Romanorum dedecus memorandum anno V.C.CCCCXXXII. Patavinus auctor id omne euarrat lib. IX. cap. 2.

Hinc nos Cocceii recipit plenissima vilta,
Quae super est Caudi cauponas.

Apud Caudium accidisse narrat Venusinus vates celebrem rixam Messium inter, et Sarmentum scurras, quoad natalium originem: nos eandem silentio praeterimus, utpote longiusculam.

Ex hoc loco Horatius, et socii Beneventum recta tetenderunt, qua in urbe a quodam excepti fuere, qui eosdem turdis donavit: at parum adfuit, quin tota domus exarderet; hinc ita narrat:

Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes
Pene arsit, macros dum turdos versat in igne:
Namque vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano, summum properabat lambere tectum.

Haec Appia viarum regina ubi ad Beneventum perveniebat, in duos seiungebatur ramos, qui ambo Brundusium ducebant, longissimae viae metam. Unus ex hisce ramis per interiorem Apuliae partem perveniebat: alter semper mare versus. Ambae viae a Strabone describuntur lib. V. Geogr. et a quibusdam scriptoribus confusae fuere, cum easdem ambas Appiam simul existimarint. Via igitur maritma erat illa, quae Egnatia vocabatur, quippe quae ad urbem Egnatiam, nunc *Torre d' Agnazzo* veniebat XX. circiter M. P. a Brundusio. Haec via etiam Traiana dicta fuit, a Traiano nomen desumens, qui eandem restauravit. Altera interior, quae proprie Appia est dicenda, non quod ab eodem Appio Claudio heic loci fuerit extensa, sed quia eiusdem erat continuatio. Eandem via maritma antiquiorem fuisse existimatur. Haec viatorem per Irpinos ducebat ad Aufidum usque flumen: Hinc per latus dexterum Apuliae Venusium veniebat: Inde per Apenninorum montium dexteram per Messapios, et Tarentinos, et tandem Brundusium quod opidum extrema erat meta, Strabo (ut diximus) de hisce viis sermonem instituens, easdem recte distinguit, Appiam mediterraneam appellans, quippe quae per interiora Apuliae loca produceretur. Per Egnatiam vero viam idem maritimam intelligit, quae a Traiano silicibus fuit constrata, et milliariis columnis exornata. Per hanc Horatius cum amicis iter instituit, quippe quod Trivici, Æquotutici, Canusii, et Ruborum mentionem facit, quae opida super hac aderant via. Hinc socios ne desereret, per viam longiorem mare versus est progressus, ne per Appiam mediterraneam proprie dictam pergeret. Prout vero narrat idem Venusinus vates, exploratum habemus, hanc viam satis incommodam, coenosam, et longiorem esse; quandoquidem per Egnatiam, aut Traianam a Benevento si quis esset profectus, Brundusium usque CCXV. M. P. numerantur, et per Appiam, seu mediterraneam CLXX. circiter sunt. Tullius vero Atticq scribens lib. XVI. ep. II, ubi de hac

mediterranea via sermonem facit, Æclanum, vel Æculanum, et Venusium memorat, quae urbes super hac aderant via, quam Appiam compellat: en eiusdem verba: *Brundusium cogito . . . . . in Pompeianum V. Kal. cogitabam*; *inde Æculanum*; *nosti reliqua.* Paulo infra subiungit: *Tantum scito nos Venusia mane proficiscentes has dedisse . . . . Censeo via Appia iter facias, et celeriter Brundusium venias.*

Inde Benevento profectus est Horatius, et comites, qua ex urbe Apuliae montes apparere incipiunt, et ubi venti efflant illi, quos *Atabalos* appellat, quosque itineris difficultate superare haud potuisset, nisi paululum temporis Trivici immorati fuissent: haec urbs haud Benevento distabat:

Incipit ex illo montes Apulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabalus et quos
Numquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset.

Haec via igitur Trivicum recte ducebat orientem inter, et septentrionem, et per Apenninorum montium oppositum latus Æquotuticum ibat. A Trivico postea abeuntes Æquotuticum hinc parvam adveniunt urbem, quam poeta versu exprimere haud valuit:

Quattuor hinc rapimur viginti, et millia rhedis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non, est,
Signis perfacile est.

Eo loco aqua est pessima, quaeque pluris venit: at panis optimus, quem diligentes viatores super humeros portantes emunt, quibus longum adhuc iter faciendum restat, cum Canusii panis saxo durior venumdetur.

. . . . . *Venit vilissima rerum*

Hic aqua, sed panis longe pulcherrimus, ultro
Callidus ut soleat humeris portare viator;
Nam Canusi lapidosus.

Hinc Rubos perveniunt urbem a Bario paulo dissitam longissimo itinere, et imbre fessi. Postridie Barium veniunt, et inde Egnatiam:

Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter, et factum corruptius imbri.
Postera tempestas melior, via peior, ad usque
Bari moenia piscosi. Dehinc Gnatia, lymphis
Iratis exstructa.

Tandem Brundusium fuit longissimae viae meta, ubi Appiae finis erat;

Brundusium longae finis, chataeque, viaeque.

Hic omnis Appiae cursus erat CCCXL. circiter M. P. quoniam a Roma Terracinam usque milliaria sunt LX. ab eadem usque Beneventum XCVII. a Benevento Brundusium CLXXX.

Haec via igitur fuit omnium Romanorum operum nobilissimum, et antiquissimum, quoniam Appius Claudius eandem aperuit, et silicibus stravit anno V. C. CCCCXLI. Constat vero eandem a principio apertam a Capena porta, nunc *S. Sebastiano* ab eodem Appio Claudio Capuam usque productam, et non usque Brundusium, ut nonnulli scribunt. Ad hanc rem demonstrandam legenda sunt veterum scriptorum testimonia. Frontinus de Aquaeduct. sic de Appia via loquitur: *Appia aqua inducta est ab Appio Claudio Censore, qui et viam Appiam a porta Capena usque ad urbem Capuam curavit.* Cracchum vero fuisse putatur, qui eandem Brundusium usque extendit, iuxta Plutarchum in eius vita. Octavianus Augustus lapide stravit a Capua

fortasse usque Beneventum. Illustrissimus Lupolus Iter Venus. pag. 302. lapides plures legisse scribit; inter alios hunc affert:

IMP . CAESAR . DIVI . F .
AUGUSTUS . CAES XI .
TRIB . POTEST . VII .

S. C.

XIV.

Alii etiam Imperatores id etiam effecerunt. Notatu vero dignum est, eandem viam ab aliis extensam, et re-restauratam idem habuisse nomen. Iure merito *Statius* Silv. lib. II. c. 2 v. 12 eandem appellat viarum Reginam, quae inter omnes alias una celeberrima, et nobilissima fuit;

. . . . . *Qua limite noto*
Appia longarum teritur Regina viarum.

Procopius de Bello Goth. lib. 1. c. 14 hanc mirandum in modum describit, omniumque spectabilem fuisse ait, quae molares lapides adeo praeduros habebat, ut sua aetate post tot saecula adhuc integri viderentur, nihil obstantibus curribus, ac plaustris aeratis, quae frequentissime ibant, redibantque. Guicciardinius Mercur. Camp. pag. 268 postquam de Minturnarum ruinis satis belle fuit locutus, apud quam urbem Appia perveniebat, ita de eadem subiungit: *Longus post illas, ad VIII. M. P. procurrens Appiae sese offert trames. Romanorum potentiam, utut a magnitudine imperii, aut ab aedificiorum laxitate coniicere possis, ad aspectum, crede mihi, unius Appiae, non potentiae, sed fas sit dicere, omnipotentiae tibi argumentum obveniet. Quot montes eviscerati, quot omnium,*

et iumentorum myriades pro una sternenda Appia, defatigatae, consumptae? ut vero, nec a plaustrorum, nec a iumentorum, hominumque attritu, vicena post saecula, consumptos, aut loco motos silices observabis, nobile ad rabiem temporis retundendam coniicies excogitatum ab arte trophoeum; praecipue cum ea sit Appiae compago, et structura, ut absque calce in solum impacta sint saxa. Praegravans illorum pondus, et quod e parte inferiori in modum pyramidis tenuentur, talem contulit ei firmitatem.

Haec via tandem iuxta Pratillium pag. 271 lata est quibusdam in locis palmos Neapolitanos XXXIV. in aliis XXV. Atque haec de Appia degustasse satis sit. Si quis autem plura cupiat, laudatum adeat auctorem, qui librum eruditum elucubravit, et Illustriss. Lupolum in opere quod inscripsit. Iter Venusinum, ubi tot praeclarissima affert de Appia Via monumenta, et Gesualdium, Sulle note Critiche della Via Appia, qui etiam plura de eadem scripsit via. Nos interim ad alias describendas accedimus.

Appiae ramus, qui a Minturnis ad Suessam Auruncam perveniebat.

Unus Appiae ramus, qui in interiorem Campaniae partem perveniebat, fuit ille qui a Minturnis ad Suessam Auruncorum, et Teanum inde Sidicinum viatorem ducebat. Hoc iter ad XVI. circiter M. P. extendebatur, et a Minturnis incipiebat, quo in loco clivus aderat ad montes Auruncos, et hinc per dexterum montis Massici latus descendebat. Non longe a Foro Appii, et sub eodem monte ex orientali latere coniungebatur prope Urbanam urbem cum eadem Appia, quae recte a Sinuessa ad Casilinum, et inde Capuam viatorem perducebat. Ita etiam scribit Pratillius lib. II. c. 9: hinc mentionem facit vetustarum ruinarum, quae prope hanc viam adhuc supersunt. Imperatorem vero Hadrianum tertium Consulem eandem viam silice munivisse compertum habemus ex quodam marmore, quod prostat adhuc apud

Suessam. Ad VII. lapidem circiter a Minturnis adsurgebat Suessa Auruncorum opidum satis celebre in Romanis fastis. Hodiedum nihil aliud de eodem superest, quam vix Amphitheatri, Theatrique rudera.

A Suessa vero Aurunca iuxta ipsum Pratillium loco citato, duae prodibant viae, quarum prima per montes Auruncos, quae satis incommoda erat, et ad Teanum perveniebat. Altera vero latior, sed longior etiam ad ipsum Teanum ibat Sidicinum. Eadem paulo a Suessa distabat eo in loco, ubi adhuc vestigia visuntur prope locum vulgo dictum *Osteria della Posta.* Ubi radices vero septentrionales Massici montis quis transgrediebatur, vicus aderat, nunc dictus *Cascano.* A sinistra autem eiusdem pagi ipsa deflectens, per collium radices ad Teanum usque extendebatur.

Viae Latinae cursus, et descriptio.

Haud longe ab hoc loco via aderat Latina: ipsa ita fuit appellata, quippe quod per Latii, et Latinorum populorum agros introducebatur. A Roma etiam initium sumebat a porta, quae Latina dicebatur: hinc per Tusculum, hinc per Algidum, per Anagniam, et inde per Ferentinos. Per Latinos vero campos late excurrens, et hinc per Volscorum agros ad Fregellas, postea Aquinum, et hinc post VI. M. P. Casinum ibat, a qua urbe parum Marci Varronis distabat villa, vel Museum. Ad Teanum hinc perveniebat, apud quem locum viae pars integra adhuc restat: inde ad Suessam Auruncorum: hoc in loco Latina cum Appia coniungebatur. At iterum Teanum rediens viator, Cales reperiebat, ubi alius Latinae ramus aderat. Apud Cales eo in loco, quem incolae appellant *Pezza Secca* paucis abhinc annis fuisse repertam huiusce viae partem, cuius silices alio translati fuere, auctor est Zona, Storia di Calvi c. 9. A Calibus autem ad Casilinum ubi perveniebat, cum Appia iterum coniungebatur. A Teano alius Latinae viae ramus exibat, quae ad Alifas post XVIII. M. P. perveniebat. Ab eo loco, qui vulgo dicitur *Piano Liscio*, uti ex silicibus apparet, qui adhuc adsunt, ad antiquum opidum Telesiam, et postea ad Beneven-

tum post XVIII. milliaria perveniebat. Strabo lib. V. Geogr. eandem Latinam viam *nobilissimam* appellat; prostat adhuc antiquum marmor, in quo huiusce occurrit mentio. Cicero Orat. pro Cluent. c. 59 eandem etiam memorat, et Livius lib. IX. c. 39. Suetonius vero Domitianum Imperatorem, postquam fuit necatus, iuxta Latinam viam fuisse sepultum narrat in eius Vita c. 17.

Ex eo vero Latinae viae ramo, qui Teanum apud viatorem perducebat, eodem itinere, rectoque tramite post plura millia passuum ad Alifas adibatur. Praeter existentes passim ruinas extat etiam in Antonini Itinerario memoria:

TEANUM M . P . XVIII .
ALIFAS M . P . XVII .
TELESIAM M . P . XV .
BENEVENTUM M . P . XVIII

Latinam vero viam per Alifas transisse certissimum est. Praeter citatum Antonini Odeporicum, Cl. Trutta, Antich. d' Alife, Dissert. XVIII. pag. 245: sic eandem describit: *Seguitando intanto il camino per questo ramo della via Latina, le selci della stessa vedremo delle quali ne restano ancora dentro d' Alife, e precisamente all' uscita della porta Beneventana, ora detta del Ponte, e tirando dritto a scirocco per lo nominato luogo di S. Simeone, quasi a riva del Volturno, si passa a traverso della selva Alifana, ed all' uscire di essa, il diruto castello di Merione a destra lasciando, pel feudo di Piano Lisci, e per la Torre di Marafi, che è un antico bastione quadrato, e per lo villaggio di Puglianello si viene all' antica Telese.*

Constat vero, Appiam viam cum ad Sinuessam perveniebat, per Casilinum, et inde Capuam pergentem, aliae viae ramum reliquisse, qui Puteolos usque

deflectebat per XXXIII. circiter M. P. et hinc a Puteolis Nolam usque. Haec via supra tres fluvios transibat, Savonem scilicet, Vulturnum, et Clanium, supra quorum quemque pons (ut infra dicemus) adsurgebat. Hic ramus *Domitiana via* fuit compellatus a ponte, quem idem Imperator exstruxit supra Savonem, qui etiam viam eandem restauravit. Usque ad hoc tempus nullum eidem nomen erat, et creditur satis antiqua, et Domitiani aevo anterior, quoniam eiusdem occurrit mentio iam e secundi Punici belli tempore. Re sane vera Patavinus auctor lib. XXIII. c. 6. eam innuere videtur, cum Titus Sempronius Romanorum dux per hanc viam cum exercitu iter instituit: en eiusdem verba: *Sinuessae, quo ad conveniendum diem edixerat, exercitu lustrato, transgressus Vulturnum flumen, circa Liternum castra posuit.* Sempronius autem quo totum hoc faceret iter, et Liternum perveniret, hanc viam (de qua lo quimur) commodam reperire debuit, ut eam cum Romanis adveniret legionibus.

Statius Domitianam viam ab Imperatore lapide constratam perbelle describit anno ab V. C. DCCCXLII. et XCV. post natum Christum: hinc sic canit Silv. lib. IV. c. III.

Quis duri silicis, gravisque ferri
Immanis sonus? aequori propinquam
Saxosae latus Appiae replevit.

Haec via Appiae instar silices habebat adeo praegrandes, atque perduros, ut ferratis resisterent plaustris, sicuti post tantam saeculorum longaevitatem adhuc in huius ruinis saepe ipse ego oculis adspectavi;

Certe non Libycis sonant catervae,
Nec dux advena peierare bello,
Campanos quatit inquietus agros.
Nec frangit vada, montibusque caesis

Inducit Nero sordidas paludes.

et paulo post subiungit:

Hic scenis populi vias gravatas,
Et campis iter amne detinentes,
Longos eximit ambitus, novoque
Iniectu solidat graves arenas.

Haec via quam Domitianus restauraverat, adeo erat post tot annos perdita, ut vicinorum fluviorum Savonis, atque Vulturni aquae paludem quasi effecerint: hinc poeta canit:

Hic quondam piger axe vectus uno
Nutabat cruce pendula viator,
Rodebatque rotas maligna tellus:
Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala navigationis.

At emphatice poetam viam commodiorem redditam Domitiani industria describentem audiamus:

At nunc quae solidum diem terebat,
Horarum via facta vix duarum.
Non tensae volucrum per astra pennae,
Nec velocius ibitis carinae.

Idem poeta Marcello scribens Silv. lib. IV. in Praefat. *Tertio viam Domitianam miratus sum, quae gravissimam arenarum moram exemit: cuius beneficio tu quoque maturius epistolam meam accipies, quam tibi in hoc libro a Neapoli scribo.* Xiphilinus eandem etiam a Domitiano lapidibus stratam narrat lib. XXVII. Domit. c. 12: Ἐν τοῦτο τὸ χωρῶ ἡ ὁδος, ἀπο Σινοέσσης ης Πουτίολους ἀγουσα λιθοις ἐστιρεστη: *Iisdem temporibus ea via, quae inter Sinuessam, et Puteolos, silicibus strata fuit.* Ea vero a Sinuessa incipiebat prope mare: hinc supra Vulturnum, Savonem, et Clanium fluvios extendebatur; inde per Liternum, hinc per lacus Lucrinum, et Avernum viatorem prius Cumas, et inde Puteolos perducebat. Ad XIV. a Sinuessa lapidem aderat supra Vulturnum pons nobilis ab eodem Domitiano erectus,

vel ab ipso restauratus, cuius adhucdum existunt rudera, cuiusque mentionem facit idem Statius ibidem:

Vulturnus levat ora, maximoque
Pontis Caesarei reclinis arcu,
Pandis talia faucibus redundat.

Ibidem fuit Vulturnum opidum, de quo plures memorant: nunc temporis locus hic innuitur *alla Civita, et Castell' a Mare di Volturno.* Cicero etiam facit mentionem lib. XV. epist. 23., et Antonini Odeporicum hoc modo:

SINUESSAM M . P . XLIII.
LITERNUM M. P . XXIV.
PUTEOLOS M . P . III .
NEAPOLIM M . P . X .

Ad II. lapidem huiusce viae Pratillius lib. II. c. 7 villam ponit nomine Petrinum, cuius meminit Horatius lib. I· ep. 5. Ex vetusto marmore prostante apud Vicum Pantanum accipimus, Antoninum Pium Imperatorem eandem restaurasse viam. Pratillius loco citato idem arbitratur ad Campanam pertinuisse viam, quam etiam Imperator ille silice munivit;

XVII.

IMP . CAES . ANTONINUS
PIUS . AUG . COS . III . P . P .
REFIC . CUR .

Haec via per XXXIII. M. P. ab Appia se dividens, ut diximus, extendebatur, parum distans a Massico monte, ubi nunc dictitatur *la Rocca di Montragone*: hinc Appia parum deflectens ad laevam per Casilinum, et postea Capuam ibat. A Massico monte via isthaec Domitiana initium sumebat: hinc merito Statius canit loco citato:

Illic Appia se dolet relinqui.

et idem saepe citatus poeta Marcello scribens Carm. 4 eiusd. libri ita liquido Appiae divisionem pingit cum Domitiana :

Curre per Euboicos, non segnis epistola, campos:
Hac ingressa vias, qua nobilis Appia crescit.
In latus, et molles solidus premit agger arenas.

Pratillius lib. II. c. 7 duo recitat marmora, quorum primum ad XVII. alterum ad XIX. pertinuit milliarium, et aliud affert, ex quo colligitur, M. Arrium, et M. Sextium Duumviros (quorum alter fuit Ædilis anno post Urbem conditam DLI.) hanc viam restaurasse.

Haud procul a Cumis, et ab eo loco, quem accolae vocitant *Arco Felice*, supersunt adhuc huiusce viae plura vestigia, nec eo loci solum, verum etiam in omni eiusdem cursu : alia viae pars semisepulta iacet sub vicinis lacubus. Ea extendebatur per Gauri montis radices, ut Statius testatur ibid.

. . . . . *Et inde fractam*
Gauro Massicus uvifer remittit.

Parum vero a Vulturno distabat triumphalis arcus in Domitiani honorem erectus, de quo loquitur Statius idem, at quo in loco, incertum adhuc est: crederem tamen haud dissitum ab hac fuisse via. Ita ipsum describit Papinius ibid.

Huius ianua, prosperumque limen
Arcus belligeri ducis trophoeis,
Et totis Ligurum nitens metallis,
Quantus nubila, qui coronat imbri.

Hunc memorat quoque Martialis lib. VIII. epigr. 65. Nos interim lectorem eruditum ad eundem remittimus

poetam, qui viam hanc amoenam, atque magnificam describit, quae posquam huc perveniebat, cum Neapolitana, et Nolana coniungebatur, de qua infra prodibit sermo.

Non longe a Domitiana via duo existunt lacus Lucrinus scilicet, et Avernus satis Romanorum aevo celebrati, et a scriptoribus saepissime memorati, sive pisces exquisitos, sive loci amoenitatem respicies.

Herculaneum iter fuit illud ipsum, quod quondam super Baiano extendebatur mari, quodque ab Hercule fuit apertum, et nomen ab ipso desumpsit, cum victor ab Hispania ad isthaec pervenit loca, Geryonis tyranni boves abducens. Symmachus huius facinoris mentionem facit lib. 1. epist. 1.

Via Herculanea.

Herculanea igitur via erat prope Baias, et Baulos haud procul a Lucrino, et mari (1), et extendebatur

---

(1) Supra diximus Herculaneam viam fuisse prope mare: hodiedum eiusdem vestigia adhuc sub undis iacent. Re sane vera cum mare tranquillum est, ad litoris Baiani latus via silicibus munita sub aquis adspicitur. Quonam modo hoc acciderit, inquirendum paulo nobis est. Fuisse quoddam tempus constat, in quo mare fuit depressum. Hoc phoenomenum dubio procul in tota Mediterranei maris superficie evenit, et praesertim super Neapolitano Cratere, Brianoque; quae res evidenter comprobatur. Et primum via isthaec Herculanea, quae sub undis restat, quonam modo silice sternenda erat, nisi tempus extitisse credamus, in quo veteres locum hunc nondum marinis aquis coopertum reperientes, viam hanc condendam Misenum usque cogitarint? Totum vero Baianum, Puteolanumque litus omnino mutatum, et mare fuit elevatum, et vicinas intra terras viam aperuit. Phoenomenum istud post Romani Imperii lapsum evenit, quandoquidem veterum fabricarum sub undis rudera quaquaversus visuntur. Re sane vera in mari, quod ad Novi Montis radices est, sub fluctibus quaedam columnae ex marmore supersunt, quas quondam ad Nympharum templum pertinuisse certum est. Apud portum vero Iulium Romanorum aedificiorum reliquiae perplures sunt; Apud Capreas insuper prope litus Tiberii Caesaris villarum adhuc visuntur ruinae, quae sub undis

usque. Ea vero utpote satis vetustate senescens erat adeo excisa temporum iniuria, et vicini maris casibus, ut Romanorum vigente fortuna vix exstiterit. Tullius contra Rullum num. 14 de ea sermonem sic instituit: *Accedet eo mons Gaurus, accedent salicta ad Minturnas: adiungetur etiam illa via vendibilis Herculanea multarum deliciarum, et multae pecuniae.* Ea verba *vendibilis, et magnae pecuniae* a Cicerone memorata de locatione sunt intelligenda, et piscatione, quae in hoc toto maris tractu fiebant, ubi pisces exquisiti semper piscabantur, et praesertim Baiani maris, et Lucrini lacus ostrea. Haec vero via satis amoena esse debebat, ut ex citato colligitur textu. Sunt qui scribunt ad Herculaneum

---

prostant. Rursus vero credendum est, olim tempus extitisse, in quo mare ipsum fuit satis elevatum, quam nunc est. Reipsa Serapidis templum, quod Puteolis anno MDCCL. fuit eruderatum, olim sub undis fuit. Columnae tres, quae adhuc extant, marinis pisciculis perforatae nunc videntur, quos olim in hisce marmoribus nidificasse certum est. Adhaec ad Novi Montis radices etiam vetustae adsunt Romanorum fabricae, quae fortasse ad Iulium portum pertinuerunt, sub quarum superficie ad altitudinem usque quinque, vel sex pedum supra praesentis maris altitudinem ipsam adspectantur conchylia, et marinorum corporum spolia. Horum vero testaceorum plura suas sedes effecerunt in tofis, et murorum calce. Doctissimus Winckelmannus, Lettre sur la decouverte d'Herculanum, pag. 112 hoc phoenomenum non solum in toto Mediterraneo mari evenisse probat, verum etiam aliis in locis, ut mari Hollandiae, ubi quondam etiam fuit valde elevatum.

Totum vero litus, quod a Mivervae incipit promontorio usque ad Misenum, magnis vicibus subiectum fuit. Campanum maxime solum subterraneis ignibus fuit eversum. Ex Strabone lib. V. Geogr. compertum habemus, Herculaneum supra promontorium fuisse aedificatum, quae urbs portum a ventis tutum habebat. Quin imo Pompeios portum etiam habuisse scimus, qui commune erat navale Nolae, et Nuceriae Sarno amne interfluente: et Neapolim tandem portum quoque habuisse interiorem, quam nunc est, tradunt historici. En igitur quot rerum vicibus loca isthaec usque modo memorata subiecta fuerint.

usque fuisse porrectam; at hoc falsum, cum via isthaec, de qua loquimur, a Baiis ad Misenum perveniebat. Alia exstitit Herculanea via, quae a Neapoli ad Herculaneum viatorem ducebat, quae a Nolana fortasse porta incipiebat; de hac inferius dicemus.

Fama vero est, Herculem hanc viam aperuisse VIII· stadiorum longitudine, ut scribit Strabo lib. V. Geogr. et tanta latitudine, quantum currus orbita occupare posset. Hoc opus Hercule dignum laudibus commendat Propertius lib. III. Eleg. 17. Strabo loco citato eandem a M. Agrippa Augusti genero lapidibus munitam fuisse scribit, cum portum Iulium construxit.

Gesualdius, Osserv. sulla Via Appia, pag. 457, et seqq. praeter descriptam Herculaneam prope Baias, aliam eodem nomine extitisse prope Caietam prodit. Hinc probat citatum ante Tullii textum de Herculanea via aliter intelligendum; cum ipse Minturnarum mentionem facit, ostendit eandem Herculaneam esse debere omnino ab illa differentem. Haec igitur iuxta Gesualdium, etiam Herculanea dicta incipiebat a laeva Appiae parte, non longe a loco qui dicitur *Ponte di S. Croce*, viatorem ad urbem Ausoniam ducebat, et nunc in eum locum, qui adpellatur *Terra delle Fratte*, et hinc ad S. Germanum, ubi cum Latina coniungebatur via· Iuxta ipsum Gesualdium dicta fuit Herculanea ab Herculis templo, quod scilicet exsurgebat in urbe Ausonia: huiusce templi extant duae ex marmore bases, quae nunc videntur in Ecclesia Capitulari Terrae *delle Fratte*, in quarum una basi legitur adhuc inscriptio ab eodem auctore citata. Extat vetustus lapis apud Cl. Venutum, Scoperta d' Ercolano, Roma 1748 pag. 16 in quo eiusdem Fabii Maximi occurrit mentio, qui Herculaneam viam motibus terrae conlapsam restituit. Quo tempore id acciderit, nulla extat memoria: at utrum haec, an alia fuerit Herculanea via ab eodem Fabio Maximo restaurata, incertum procul dubio est.

Nunc de alia via parum cognita verba faciemus, eaque Vicana fuit vocata, quae a Domitiana procul distabat. Haec igitur Vicana dicebatur, quippe quae a Vico, vulgo *Pantano*, et a Literno aberat. Constat eandem a Capua initium sumpsisse, et per Vulturnum transisse. Nullus alius praeter Pellegrinium, Discorso 11. pag. 192 eandem belle descripsit: ea iuxta ipsum a Cumis, ubi alius erat ramus, describitur; en eius verba: *Parla di questa via Vicana una comun fama, che n' è fra le genti del paese, e ne fan molto più certo argomento alcuni suoi vestigi, che se ne veggono per quei luoghi, per i quali apparisce, ch' ella uscita da Cuma, e sempre più, e più verso settentrione allontanandosi dal mare, lasciava a sinistra il suddetto lago, conducendo a quella parte della riva del fiume Volturno, in cui ora giace il nostro casale chiamato Arnone, dal qual luogo, poi di là del medesimo fiume, dove è un altro nostro casale, che si chiama Cancello, s' incontrava nell' Appia, che veniva da Sinuessa in Capua: nè saprei giudicar, se nel luogo notato nell' Itinerario del Peutingero con questo nome ad Octavum, o vero in quell' altro detto ad Nonum, de' quali ragionerò, dove sarà più opportuno.* De hac via clarum extat monumentum in Chronico Monasterii S. Vincentii ad Vulturnum elucubrato ab anonymo Cassinensi, et apud Ioannem Diaconum, qui vixit aevo Paschalis II. Pontificis Maximi. Hic affert lib. II. donationem ipsi Monasterio a Gisulfo Beneventano Duce factam, in qua inter alia, haec extant verba de Vicana via: *Via publica, quae dicitur Vicana, et pergit ad Cumas.* Haec ad Capuam veniebat. Pratillius lib. III. c. 3 scribit prope vicos Savignanum, et S. Tammarum videri adhuc eiusdem plura vestigia, quo loco ait, adservari etiam nonnulla sepulchreta, aeque ruinosa, et plura columnarum, et statuarum, lapidumque frusta per agros reperta. Einsdem longitudo a Ca-

Via Vicana.

pua ad Cumas erat XXVI. circiter M. P. in duos se dividens ramos.

Ab ista haud procul aberat Campana via. Iam supra diximus, Domitianam Puteolos pervenire iuxta Tyrrheni maris litus. Eo loci Domitiana in Campanam pergebat viam non amplius, quam paucos passus usque ad eum locum, ubi adsurgit SS. Virginis Mariae ab Angelo salutatae aedes a Petro Toletano condita post Novi Montis eruptionem. Hinc Domitiana recte per Gaurum ibat montem, et Campana per locum, quem incolae appellant *S. Vito* qui distat III. a Puteolis milliaria. Campana vero via initium sumebat a porta Campana, quae parum distat ab Amphitheatro, quod nunc restat prope S. Iacobi Apostoli Ecclesiam. Dicta fuit Campana (1), quod a Puteolis Capuam viatorem perduceret, eaque dictitata fuit etiam Consularis, quippe quae Reipublicae aevo fuit aperta, at quando, incertum est. Eiusdem longitudo a Puteolis Capuam usque XX. circiter M. P. et a Capua ad Cumas XX. quoque: quandoquidem ea cum ad campos perveniebat Leborios, in duos dividebatur ramos, quorum alter Cumas, alter Puteolos ibat.

Ex vetusta milliaria columna XIII. indicata nume-

---

(1) Haec non aliam ob causam Campana fuit appellata, nisi quod Capuam pergeret, nomine ab eo desumpto. Haud quemvis fallit, apud antiquos usuvenisse magna itinera a Romanis aperta vel Reipublicae, vel Caesarum aevo, nomen desumpsisse ab urbibus, ad quas pergebant, vel ab auctoribus, a quibus vel apertae, vel silice constratae fuerunt. Hinc primum certissimum est, Campanam a Capua nomen sumpsisse, Egnatiam ab urbe ad quam eundum erat, Tiburtinam a Tibure, Atellanam ab Atellis. Constat autem fuisse alias vias quae ab auctoribus nomen acceperunt, qui eas vel suis aperuerunt impensis, vel silicibus muniverunt, quo tempore Reipublicae praeerant, ut Appia, Flaminia, Aurelia, aliaeque quae ab earum auctoribus nomen mutuatae sunt.

ro, et apud Aversam adhuc extante, Campanam viam Senatus impensis silicibus stratam fuisse liquet:

XIII.

SENATUS . POPULUSQUE . ROMANUS .

Haec vero via in duos, ut diximus, seiungebatur ramos, qui postea unum efficiebant. Primus a Puteolis incipiebat Capuam pergens: alter a Cumis parum distans a Domitiana. Ramus hic a Cumis postquam plura perrexerat milliaria, cum alio coniungebatur unum efficiens Capuam usque.

Via vero isthaec satis celebrata erat Romana vigente fortuna. Plinius Hist. Natur. lib. XVIII. c. 2 de campis Leboriis sermonem instituens, de Campana sic scribit: *Finiuntur ab utroque latere Consulari, quae a Puteolis, et quae a Cumis, Capuam ducit.* Suetonius narrat, Augusto in eius c. 94, dum ad IV. Campanae viae lapidem esset, aquilam panem ex eius manibus eripuisse; *Ad IV. lapidem Campanae viae in nemore prandenti, ex improviso aquila panem ei e manu rapuit, et cum altissime volasset, rursus ex improviso leniter delapsa reddidit.* Ad hanc rem Patavinus auctor Tarquinio Prisco idem accidisse prodit, cum primum Romam venit: aquila ex eius capite pileum abstulit, quasi futurae ipsius regiae dignitatis omen nuntians, lib. I. c. 7.

Campanae viae cursus hic erat: a Puteolis incipiebat a porta Campana prope Amphitheatrum, ut innuimus: hinc per campos Leborios pergebat, ubi hodiedum adsurgunt pagi *Maranus*, et *Quartus* parum ab Aversa urbe distantes. Inde per occidentale latus *Iuliani* vici recta ibat, et haud procul ab alio *Melito* dicto. Prostat adhuc mutilum marmor a Pratillio allatum lib. II. c. 8, ex quo Imperatorem Antoninum Pium hanc suo tempore Campanam viam restaurasse colligitur.

Ubi nunc adsurgit S. Laurentii aedes extra Aversam VII. aderat milliarium Campanae viae, a quo loco ad Capuam usque VII. M. P. supererant. Ad hanc rem probandam huiusce Ecclesiae extat privilegium, in quo sic legitur: *Ecclesia S. Laurentii ad Septimum.* Haud longe ab ipsa Aversa per eandem viam, qua Capuam eundum est, pons supra Clanium adhuc est, quem *Pontem a Silice* appellant accolae, cum per eam partem via pergeret Campana, quae silicibus strata erat instar Appiae, quo loci nunc etiam supersunt lapides.

Probabile est, D. Paulum per hanc viam, vel saltem per Domitianam iter instituisse, cum e Iudaea Romam advenit. Is e navi egrediens Puteolos venit, ubi septem mansit dies a fratribus benigne exceptus. Per hanc inde Romam fuit profectus. In Actibus Apostolorum c. 28 v. 13 Fori Appii, et Trium Tabernarum occurrit mentio. Tullius saepe easdem memorat Attico scribens lib. II. epist. 10, et lib. I. ep. 12.

Antequam ad Puteolanam veniamus viam, sepulchra breviter, quae iuxta eandem erant viam, describemus. Romani mortuos extra urbem sepeliebant, lege a Graecis accepta. Hinc in XII. Tabularum fragmentis occurrit apud Ciceronem De legibus lib. II. c. 23:

HOMINEM . MORTUUM . INTRA . URBEM . NEVE . SEPELLITO . NEVE . URITO .

Lex isthaec apud Romanos adeo erat vetusta, ut paulo post urbis exordia fuerit peracta. Re sane vera Numa Pompilius iuxta Plinii auctoritatem Hist. Natur. lib. XIII· c. 13 in monte Ianiculo fuit tumulatus, qui eo tempore erat extra pomoerium. Lex eadem ab iisdem sanctissime fuit servata toto tempore, quo Romanorum viguit Imperium, eaque ad ultimum ipsius lapsum extitit. At quamvis eadem recte servata, tamen Hadriani imperatoris aevo paululum erat mutata. Hinc ipse illos, qui intra urbem mortuos humabant, pecunia multavit:

eaqua fiscum donavit, ut scribit Capitolinus in eius Vita. Imperator Antoninus mortuos intra urbem sepeliri vetuit lex lata etiam ab Imperatoribus Diocletiano, et Maximiano, ne quisquam in urbe sepeliretur: hinc legitur: *Mortuorum reliquias, ne sanctum mancipiorum ius polluatur, intra civitatem condi, iampridem vetitum est.* Kirckmannus De Funer. Rom. lib. XIII. c. 13 haud obstante antiquissima lege, nihilominus aliquando Romanos suos mortuos intra urbem tumulasse scribit; hoc nonnisi viris nobilissimis, vel de patria optime meritis concessum fuit.

Romani igitur nullum intra urbem (1) condebant, sed extra: ea sepuchra nonnisi supra vias publicas aedificanda apud ipsos in more fuit positum. Hinc scimus

---

(1) Supra diximus Romanos apud usuvenisse, neminem intra urbem sepeliri, sed extra. Hinc mortuorum cadavera humabant aut iuxta publicas vias, aut in agris apertis extra opida. Praeter tot sepulchra, quae ubique terrarum restant, Neapoli, ut Graeca urbe hic etiam mos fuit servatus. Extant adhuc in Virginum suburbio, apud S. Mariam ad Vitam, S. Mariam ad Sanitatem, et apud vicina loca sepulchreta identidem reperta. Celebre est Aristonis monumentum Graeci pueruli repertum anno MDCCXC. sub aedibus Congregationis PP. Missionis S. Vincentii a Paulo. Haud parum vero est, nempe anno MDCCCX. mense Sexstili cum Graecum, et Romanum simul sepulchretum fuit eruderatum eo loco, quo extant PP. Theresianorum horti prope Regium Museum Borbonium. Hoc sepulchretum antiquissimum existimatur, et nunc temporis illud sub terra restat, dum olim ad viae planum esse debebat: eructatae vulcanicae materiae a Vesuvio fortasse loci faciem heic verterunt, illamque partem penitus oppleverunt. Hoc sepulchretum prout patet, ad Graecos, et ad Romanos pertinuit, ut ex lapidibus, et nummis in ore mortuorum repertis colligitur. Cl. Iustinianus in libro quem elucubravit Italico sermone, Memorie sopra i Sepolcri trovati nell' anno 1810 eruditissime hanc materiam tractavit. Ex his ergo clare intelligitur, apud antiquos usuvenisse, mortuos extra urbes sepelire, eosque iuxta vias tumulasse. Hoc sepulchretum iuxta viam Puteolanam extitisse probat idem Iustinianus.

Appiam, Flaminiam, et Campanam ipsam, de qua heic sermo, fuisse olim horum fepulchrorum plenam. Huiusce rei tot adhuc monumenta praesertim supra Campanam extantia fidem testantur. Duae urbes nobiles Capua, et Puteoli hanc adeo locupletarunt viam, ut plura etiam integra advenientium admiratione extantia in eo praesertim loco, qui dicitur S. *Vitus*, qui locus a Puteolis tria circiter distat milliaria. Ea sepulchra hodiedum ab incolis *Columbaria* dicuntur. Inter alia duo primum occupant locum, quae describuntur a P. Paulo in Descriptione Puteol. et a Cl. Ancora, Guida di Pozzuoli c. 3. Horum unum duos habet ordines, cuius interior pars adeo recte servatur, ut adhuc plura anaglyptica supersint opera. Restant quoque loculi ad ollas cinerarias excipiendas. Identidem inscriptiones eruderatae fuerunt, praesertim apud pagos Maranum, et Quartum, quas recitat Cl. Iustinianus, Dizion. del Regno, artic. *Marano, e Quarto.* In loco vero, quem accolae dictitant *a Campana* in hortis PP. Chartusianorum olim inscriptio fuit reperta, quam affert Antoninius Lucan. Illustr. part. II. disc. XI. Non solum vero via isthaec, sed plures aliae etiam sepulchretis abundabant: tot vetera monumenta adhuc extantia id testantur. Via Salaria, Flaminia, et Latina sepulchris passim exornabantur. In Appia etiam innumera occurrebant sepulchra, de quibus Pratillium videsis, qui in toto opere tot eiusmodi affert monumenta. In hac ipsa via Viri clarissimi praesertim sepelicbantur. Cornelius Nepos Pomponium Atticum V. ab urbe lapide iuxta viam Appiam in monumento (1) Q. Caecilii avunculi sui fuisse sepultum narrat in eius Vita c. 22. In

---

(1) Quid sibi velit *monumentum*, explicat Varro lib. V. de L. L. c. 6. sic scribens: *Monumenta eo quod praetercuntes admonerent, se fuisse, et illos esse mortales.* Et S. Isidorus sic etiam prodit. lib. XIV. c. II. *Eo quod mentem moneant ad defuncti memoriam.*

eadem via fuisse etiam humatum Imperatorem Severum prodit Lampridius in eius Vita, ibique Gallienum scribit Aurelius Victor in eius Vita

Apud Christianos etiam suos mortuos iuxta publicas vias condendos in more fuit positum. Apud viam Nomentanam supersunt adhuc Martyrum supulchra, quae *Coemeteria* ab iisdem salutata fuere. At quo tempore Christiani SS. MM. corpora publicas iuxta vias tumularint, utrum persecutionum tempore, an postea, incertum quidem est. Vide Kirckmannum de Funer. Rom. qui statis belle hanc elucubravit materiam. Hactenus de Campana via; nunc ad Puteolanam veniamus

Via Puteolana, vel Neapolitana.

Puteolana via ad Neapolim usque post tot saecula advenientium admiratione integra quasi manet. Prope Puteolos, quae urbs paululum ab vetusta distat, quae montis in supercilio quondam erat aedificata, adspiciuntur adhuc praegrandes silices Appiae instar, qui viam sternebant. Hinc per Vulcani Forum, sive Sulphurariam viator adscendebat, quo in loco pars integra restat. Haud procul ab S. Iacobi Ecclesia piscina maxima adhuc visitur, quae ad quemnam pertinuerit, incertum: extat etiam eo loco aquaeductus pars, qui aquam huc fortasse inferebat. Puteolana vero, vel Neapolitana via per S Ianuarii aedem perveniebat, ubi pars alia superest: iuxta quam Ecclesiam visuntur adhuc plura sepulchreta, quae ad eandem pertinuerunt viam: horum pars integra manet picturis exornata cum loculis ad cineres reponendos. Certum vero est, alia nunc infossa manere, quae terrae aggestionibus, cineribus, et lapidibus Vulcani Fori replentur. Ita postquam via isthaec ad hunc pervenerat locum, per Leucogaeos colles descendere incipiebat: ibi videtur integra, et satis adscensu difficilis propter montem. Quo impendentis montis altitudini obviam iretur, pontes passim erigendos curatum est. Extant adhuc illorum ruinae: unus vetustate satis collabens superest, ubi adsurgunt horti Spinelliani: hunc pontem accolae appellant *Chirchiello*, seu *Aniani*. Alius magnificientior est ille, qui

nunc ad Aniani lacus adsurgit latus, cuius supersunt tres arcus opere lateritio; superior, et inferior pars vulcanicis lapidibus est aedificata. Supra hunc pontem via pergebat Puteolana. Ita ex Leucogaeis descendens collibus per dexterum latus Olibani montis, *Monte Spina* in Aniani lacus vallem perveniebat, eiusdem partem abradens.

Haec via insuper Aniani lacus dexterum latus (1) traiiciebat, recta Neapolim pergens per vicinorum montium, atque vallium radices. Eo loco extat integra Puteolana via, quamvis aggestionibus oppleta ob magnas temporum, inundationum, motuum terrarum, et Barbarorum vices. Ita per hortos ibat, qui nunc vulgo audiuntur *de' Signori Dentice-Accadia*, quique parum distant a crypta Neapolitana (2). Heic Puteolanae viae

---

(1) Pratillius Via Appia lib. II. c. 7 hanc viam asserit (statim ac a Puteolis pergebat) per laevum Aniani lacus latus, per montes Astrunos, vicinosque colles iter arripuisse. Quod quidem falsum omnino est, quoniam satis apparet, eandem per eam ipsam partem (ut diximus) advenisse. Sic iter longum satis fuisset, et grave, et viatores nunc adscendere, et nunc descendere vicinos per montes saepe debuissent. Carlettus, Regione Brugiata, pag. 18 aliique patrii scriptores in eandem Pratillii iverunt sententiam.

(2) Seneca Epist. LVII. viam describens a Baiis Neapolim, se terrestre potius iter instituisse narrat, ne mare navigaret procellosum: hinc ipse ne viam hanc faceret, per Neapolitanam cryptam voluit potius ire; at eandem coenosam, et molestam reperit. Is haud scribit Puteolanam viam fuisse coenosam, sed cryptam, per quam perrexit, quae utpote suo aevo paucis abhinc annis erat aperta, hinc viatoribus satis erat gravis, quippe quae satis erat gravis et tenebricosa. At mihi persuadere haud possum, qua ratione Seneca potius viam incommodam voluit facere, quam alteram Puteolanam amoenam, eamque satis commodam reliquit, urbi viciniorem. Crediderim fortasse, ipsum hac parte iter instituisse fortasse ob curiositatis causam, vel ob aliam nobis incognitam.

nihil alind superest, quam vix vestigia, et praegrandes silices hac illac disiecti per agros. Iidem fortasse ad hanc sternendam ex Vesuvianis (1) eruptionibus eruti fuere, quibus Romani saepissime utebantur, ut videri potest ex vetustarum viarum vestigiis, quae adhuc extant in Campania. Eo loco, de quo heic quaestio, via vetusta (1) integra manet, ut ante diximus.

---

(1) Quaestio magna inter eruditos viros est, ut decernatur quonam ex loco Romani eiusmodi lapides eruerint ad vias publicas muniendas. Procopius lib. I. c. 14 de bello Goth. de Appia sermonem instituens, quibus terris eosdem repertos haud dicit, cum vicini agri nullos huiusmodi silices ferant. Idem auctor Appium credit eo tempore, quo Appiam lapide stravit, eosdem longinquis e terris convectasse. Panvinius vero de Republ. Roman. lib. I. illos duobus montibus desumptos esse ait: horum alterum extitisse existimat prope Sinuessam, qui Massicus est, alterum Neapolim inter, et Puteolos. At mons Massicus fert potius lapides in calcem redactos, qui haud tam duri sunt instar Appiae. Quoad vero Vulcani Forum apud Puteolos dicendum, idem verum Vulcanum esse Vesuvii instar. Hanc igitur ob rationem existimandum, antiquos hisce silicibus usos fuisse ad vias sternendas. Pratillius putat hos desumptos a Vesuvio, et Latii montibus. Breisilakius vero, Topogr, pag. 74 eosdem ex Suessanis montibus collectos arbitratur, idque probat evidenter, atque physicis experimentis. Hinc concludendum potius cum eodem, Appium Claudium, cum viam hanc constravit, ex hisce Suessanis montibus lapides sumpsisse. Aliae vero viae, uti Consularis, et Puteolana stratae fortasse fuerunt vicinae Sulphurariae silicibus.

(1) Via isthaec vetusta extabat adhuc circa annum MDLXVIII. sed tot saeculis vetustate labefactata, et inospita praesertim ob latrones, qui viatores saepe vexabant. Hanc Neapolim cum advenisset Parafanus Ribera Regnum Neapolitanum administrans pro Philippo II. hanc viam interclusit, quo aliam novam aperiret maritimam, quae ad Balneolanam regionem perducit. Haec tum fuit appellata via *Nova*, aut *Rivera*. Hinc monumentum erexit ad huiusce viae latus, ut adhuc legere est in eo loco, qui appellatur *l' Epitaffio* iuxta SS. Martyrum Agricolae, et Vitalis aedem extra cryptam Neapolitanam:

Quantum vero istahec fuerit lata, haud observatum usque modo fuit, cum terrae aggestionibus est oppleta, quamvis per agros identidem adspicitur. Probabile est, eandem satis commodam fuisse, non ut Appiam viarum reginam, sed latam eo modo, ut duobus plaustris adverse venientibus iter praebuerit. Ex eiusdem ruinis, quae supersunt in loco, qui dicitur *Terracinae* fundus super Aniani viam, et in alio, cui nomen *il fosso di S. Stefano* super Pausilypanum collem, aliquo modo arguendum videtur, eandem fuisse satis commodam, et latam XXV, XXVI. palmos Neapolitanos.

In iisdem hortis, qui dicuntur *Dentice Accadia*, extat antiqua columna milliaria in eiusdem viae ruinis multis abhinc annis reperta V. milliario signata, septem palmis Neapolitanis altâ supra stylobatem sita. Inscriptio isthaec legitur:

PHILIPPO II. REGNANTE
PARAFANUS RIBERA ALCALAE DUX PROREX
QUI VIAS FECIT A NEAPOLI AD BRUTIOS AMPLISSIMAS
HANC QUOQUE VIAM CLIVIS ANTEA DIFFICILEM
ARCTAM INTERRUPTAM CUM
ITER EIUS AD MARE DIREXISSET VASTAQUE
SCOPULORUM
IMMANITATE CONSTRATA NOVAM APERUISSET
PUTEOLOS
MULTO BREVIOREM PERPETUAM ILLUSTRAVIT ATQUE
LATAM PERDUXIT ANNO MDLXVIII.

Verba illa *clivis antea difficilem* satis indicant, hanc viam quibusdam in locis fuisse satis asperam: re sane vera putamus, cum iter a Puteolis Neapolim esset instituendum, adscendendum esse Vulcani Forum, quamvis commodos haberet pontes. Alius difficilis clivus erat Pausilypanus: hinc Neapolim per locum, quem dicimus *Infrascata* descensus magnus erat. Ea vero nova via *Ribera* brevior est aperta, cum vetusta hac recenti longior quidem esset. Hinc mirum non est, si in Antonini Itinerario a Neapoli ad Puteolos X. M. P. adnumerantur, cum hodie recens via multo brevior sit.

V.

IMP . CAESAR . DIVI
NERVA . F . NERVAE
TRAIANUS . AUG . . . . .
GERMANICUS . TRI . . . . .
POTESTATE . VI . IMP . II .
COS . IIII . PATER . PATRIAE
INCHOATAM . A . DIVO . NERVA
PATRE . SUO . PERAGENDAM . CURAVIT .

Ad rem aliam a Capacio lib. II. 2. c. 5 Hist. Neap. recitatam afferemus huic similem, quam olim in Antiniana villa, et prope Ecclesiam S. Mariae ad Liberam eruderatam VIII. milliario signatam fuisse scribit: eadem etiam legitur apud Pratillium lib. II. c. 5 hoc modo:

VIII.

IMP . CAES .
DIVI . NERVAE . FIL .
NERVA . TRAIANUS
AUG . GERM . PONT . MAX .
TRIB . POT . VI . IMP . II . COS . III .
PATER . PATRIAE
INCHOATAM . A . DIVO . NERVA
PATRE . SUO . PERFICIENDAM . CURAVIT .

Iidem auctores loco citato mutilum afferunt marmor repertum anno MDCVI. iuxta viam Puteolanam, et ad Campanam pertinens. Ex alio lapide apud Gruterum pag. 157, et apud Pratillium lib. II. c. 2 non modo Traianum, verum etiam alios Imperatores, ut Lucium Septimium Severum, M. Aurelium, Antoninum, et Caracallam hanc, aliasque vicinas vias restaurasse accipimus.

Idem vero Pratillius lib. cit. c. 7 aliam columnam

vidisse testatur super Antinianum collem, et ad eandem viam pertinentem milliario signatam VII. Miror tamen Capacium ibid. patriarum rerum diligentem investigatorem scripsisse, viam, de qua heic sermo, Appiam appellatam fuisse, quod quidem omnino falsum est, cum numquam ea per Antinianum transierit collem, cum tantum eiusdem ramus esset. Ex allatis lapidibus huic viae (a Puteolis Neapolim usque) *Traianae* nomen donandum arguitur. Nos interim ipsam a Sinuessa ad Puteolos *Domitianam* appellavimus, ut ex plurium auctorum testimoniis, et praesertim Statio (ut ante diximus) probatur. A Puteolis vero Neapolim usque non aliud nomen tribuendum videtur, quam *Traianam viam*. Quamvis enim nullum ad hoc probandum extet monumentum, tamen ex recitatis inscriptionibus recte colligere id possumus. Ex verbis *peragendam curavit*, arguitur, Nervam, et Traianum eandem lapide munivisse, quam fortasse post tot saecula collabefactatam restituerunt. Pellegrinius Disc. II. num. II. et Falconius Neapolitanus Vita S. Ianuarii, ut alios praeteream, evidenter hanc viam *Traianam* appellant. Compertum vero est, ut narrat Dio Cassius lib. XXV. Imperatorem Traianum publica restaurasse opera, praesertim quosdam portus atque vias: hinc putandum, ipsam vetustate senescentem ab eodem restauratam. Praeter Dionem adest Galeni auctoritas, qui floruit ipso Traiano imperitante. Hic narrat de Meth. Med. lib. IX. c. 8 ipsum plures silice stravisse vias, quae pluribus abhinc annis pessum ibant. Quis ergo post tot scriptorum testimonia negare ausit, Traianum Puteolanam lapidibus munivisse viam, quae eo tempore fortasse *Traiana* fuit salutata?

Haec postea collem Antinianum pergebat per S. Stephani aediculam, ubi supersunt plura vestigia. Hinc ad collis planum perveniebat, et inde per Antinianam villam, ut videre est ex millenis silicibus passim per agros dispersis; inde per Ecclesiam S. Mariae ad Liberam, et hinc per S. Ianuarii *ad Vomerem*, ut dictitant. Eo lo-

co identidem plura vetusta monumenta eruderata fuere, praecipue magnificorum aedificiorum ruinae, quae olim Romani rusticationis causa excitarunt. Probabile enim est, eosdem super hoc amoenissimo colle, qui Neapolitanum prospectat Craterem, Capreas insulam, et Apenninorum catenam cum Vesuvio, domos villasque possedisse. Paucis vero abhinc annis repertae fuere statuae inter aedificiorum rudera: praeter alia Graecus dux, qui nunc prostat in amoenissimis hortis Principis Carafae. Restat etiam iuxta eandem viam antiquae fabricae pars opere tessellato.

Celebris est S. Ianuarii *ad Vomerem* Ecclesia ob eiusdem B. Martiris memoriam, cui erecta fuit ob aliquod speciale beneficium, quod Neapolitani olim a Deo O. M. ob ipsius S. Martyris intercessionem recepere, vel ut alii narrant, ob eiusdem longum iter, quod a Nola Puteolos ante Praesidis currum instituit. Re sane vera Acta Vaticana a Cl. Mazochio allata Vindic. Repet. S. Ianuar. ipsum per hanc viam transisse produnt: *Tunc Timotheus Praeses ira repletus S. Ianuarium Episcopum una cum Festo Diacono, et Desiderio Lectore ferro vinctos iussit ante currum suum protrahi* (a Nola nempe urbe) *in civitatem Puteolanam.* Acta vero Bononiensia, et auctores omnes, qui de S. Ianuario egerunt, eundem S. Martyrem per hanc viam ante Praesidis currum catenis tractum transisse historiae prodidere. Inter alios Ioannes Diaconus id etiam hoc modo confirmat: *Tunc Consul nimio succensus furore, praecepit illos ante currum suum catenis innexos usque Puteolanam potrahi urbem.* Ex laudatorum Actorum, et Ioannis Diaconi verbis recte intelligitur, Proconsulem Timotheum, quo Nola Puteolos adveniret, per hanc viam transire necessario debuisse, quoniam nulla alia praeter illam aderat commodior, et notabilis, ut ex ipsius adhuc ruinis, quae restant, videri cuique licet. Ea vero via satis celebris fuit ob assiduum curruum transitum, et illorum qui pedestri ibant itinere, redibantque in vicinas urbes.

Acta Graeca S. Ianuarii ab Emmanuele exarata, quae leguntur apud Carminium Falconium in Vita S. Ianuar. produnt, cum Timotheus Campaniae Consularis a Nola Puteolos advenit, ipsum S. Martyrem catenis vinctum, et Socios ante currum suum duxisse, et eundem Proconsulem haud eandem fecisse viam, sed Acerrarum, et Atellae alteram, ita ut per hanc transiens, per illam venerit, quae Campana, vel Consularis vocabatur, quo Puteolos perveniret. Ita hoc iter instituens, satis a recta deflectere debuit via, quod haud existimandum. At potius Latinis Actis, atque illis, quae recitat Mazochius, a nobis credendum, quae quamvis haud huius faciant mentionem, videtur tamen Proconsulem hac perrexisse, quam potius per alteram ab Emmanuele descriptam. Idem autem auctor haud verum esse ait, Psoconsulem Timotheum Neapolim transisse, cum haec urbs libera, et Romanis foederata esset, at nos putamus potius eo tempore eandem Romae subiectam esse, ut aliae Graiorum urbes erant.

Antequam alio progrediamur, lectorem advertere licet, huius viae mentionem facere Donatum in vita Virgilii; describens enim locum, ubi Maro fuit tumulatus, sic ait: *Translata igitur iussu Augusti eius ossa, prout statuerat, Neapolim fuere: sepultaque via Puteolana intra secundum lapidem.*

Clarissimus Mazochius De Eccles. Neap. pag. 215 hanc viam ita describit: *Iuxta viam veterem occurrerit, quae Puteolos ducebat in collem Antinianum, et inde Neapolim: quam viam Camillus Pellegrinius non uno loco describit, ut inter Leucogaeos colles, interque thermas S. Germani, et vicinum lacum Agnanum decurrerit; quae vetus via hodiedum a nonnullis cryptae vitandae, compendiique faciundi stadio teritur.* Pellegrinius a Mazochio nunc citatus Disc. II. paragr. XI. eandem autumat Appiam fuisse appellatam, eamque ita describit: *La via che da Pozzuoli portava in Napoli, fu ristorata da Nerva, e da Trajano, i cui*

vestigi dimostrano, ch' essa conduceva pel fianco del Foro Volcano, oggi appellato Solfataja, e pel fianco similmente del lago Agnano, e per quel colle, il quale perciocchè giace incontro al medesimo lago, chiamasi Antignano. Fu questa creduta esser l' Appia, il qual nome a quella via non può convenire. Se pure un tal nome non vorremo concederle nella guisa, che fu poi chiamata Appia ogni antica via lastricata di selci, come altrove ho dimostrato. Ben deve quel colle per più vera, e nobil cagione molto avventuroso, avendovi fatta dimora S. Gennaro Vescovo, e Martire Beneventano, allora che di Nola in Pozzuoli fu portato a mòrire, e poi dopo alcun tempo fu il suo corpo riportato in Napoli.

Paulo ante diximus, hanc viam ex S. Maria ad Liberam per Antinianum, et S. Ianuarium *ad Vomerem* perrexisse. Ex eo loco Neapolim descendebat per viam hodiernam, cui nomen *Infrascata* pone Ecclesiam *S. Mariae alla Cesarea* usque ad *S. Petrum ad Majellam.* Verum dicendum eandem viam haud iuxta S. Ianuarium *ad Vomerem* transisse, sed haud procul. Hoc probari nullo alio modo potest, nisi quod eo loco nulli supersint silices prope ipsum S. Ianuarium: iidem supersunt prope aediculam, quam vocamus *del Romito al Vomero*: eandem hoc loco describit his verbis Falconius, Vita di S. Gennaro lib. V. c. 2: *Usciti d' Antignano, e tirando dritto per la via vecchia, si giunge al luogo detto il Vomero, onde passando anche dritto alcune case, s' incontra un portone di case, le quali non essendovi allora, per quindi dritto scorreva, e cominciava a calare per la collina verso Napoli: sempre un tiro di schioppo da quella, che oggi si pratica, detta dall' Infrascata. Per mezzo di queste masserie sempre s' incontrano lastre. Finalmente dietro la Chiesa della Cesarea, di quà del giardino de' Signori di Castrioti di Montemiletto, se ne veggono per terra ancora, e per le mura dietro il*

monistero di Gesù, e Maria. Qui v' era un ponte detto Ponte Curvo (1), *oggi il volgo vi chiama Ponte-Cuorvo, come quello ancora per la via vecchia di Roma per Ferentino. Calando di qui dritto fino a S. Antonio di Padova detto S. Antoniello* (2) *sempre con questi vestigii, avanti della Chiesa, se ne veggono due file ficcate in terra per traverso. Qui era il piano degli orti della città; laonde andava a dar là, ove quindi si disse Seggio di Nido avanti dove era la porta detta Puteolana.*

Iustianianus, Sepolcreto Napol. c. 3 paulum recedit ab eeiusdem Falconii sententia, aitque eandem viam ab hac descripta paululum abesse: hinc non per pontem, qui dicitur *Curvus*, Neapolim pervenisse, sed ab Ecclesia S. *Mariae alla Cesarea* recta descendere per hodiernam viam iuxta Regii Musei Borbonii aedes, pone quem locum paucis abhinc annis, nempe MDCCCX. eruderata fuere publica sepulchreta, a quibus haud procul a-

---

(1) Huiusce pontis *Curvi* eo loco nulla restat memoria. Probabile est, eundem quondam extitisse, quo viam redderet faciliorem, quae heic adscensu difficilis erat. Patrii scriptores huiusce pontis mentionem faciunt, qui fortasse extabat eorum tempore. Lecterius qui Petri Toletani iussu aquaeductus vetusti cursum invisit CCC. abhinc annis hunc memorat pontem, ut legere est apud Iustiuianum, Dizion. del Regno, artic. Napoli Creditur recentia aedificia huiusce ruinas penitus perdidisse; ali etiam auctores eiusdem mentionem faciunt: at quo loco idem exiterit, eosdem omnino latet.

(2) Ante D. Antonii Ecclesiam nullus nunc superest silex, ut scribit Falconius supra citatus: suo fortasse tempore adhuc iidem prostabant. Notatu vero dignum est supra eandem S. Antonii aedem, et haud procul a loco, vulgo *i Cacciotti*, ubi clivus difficilis est, videri nonnullos vetustos silices Appiae instar. Haud equidem crederem hac parte viam Peteolanam Neapolim perrexisse, cum heic iter satis difficile sit. Ex Falconii verbis supra citatis satis colligitur, viam hanc per *Curvum* potius Neapolim descendisse. Iidem silices heic vel adducti fuere, vel fortasse aliqua antiqua via hoc loco quondam extitit.

berat via Atellana, cum qua Puteolana isthaec coniungebatur. At Falconio potius credendum, qui centum, et amplius abhinc annis suum elucubravit opus, quique diligens scriptor viam hanc rectissime investigavit. Hac parte fortasse Atellana via aderat, quae etiam Neapolim perveniebat. Hanc viam ita etiam describit Bartolus Thermol. Aragon. part. II. pag. 104: *A Puteolis deinde iter praestabat haec via per Olibani montis iugum, descendebatque in radices collium lacus Agnani, sive S. Dominici, quos circuibat, et versus Antignani clivum pergebat per sinistrum latus Ecclesiae Parochialis di Fuori Grotta, quam supra notavimus, diciturque hodie la via vecchia di Pozzuoli, cuius passim hactenus cernuntur ad modum Appiae strati silices. Instauratores olim habuit haec via a Puteolis Neapolim Imperatores Nervam, et Traianum, ut ex quibusdam inscriptionibus a Capacio in sua historia Neapolitana relatis constat.*

Porta Puteolana ante memorata aderat, ubi nunc adsurgit S. Dominici obeliscus, vulgo *la Guglia di S. Domenico*. Eandem describit Celanus, Giorn. VI. aitque suo tempore ruinas extare. Credibile vero est, eandem viam per Summam Plateam, *la Somma Piazza* perrexisse, aut potius per Regionem Furcillensem ad portam usque Nolanam hodiernam, quae ab antiqua parum distabat. Hinc Neapolitanum vergens pomoerium, ad locum perveniebat, qui dicitur *Poggio-Reale*. Postquam vero Reginae Ioannae Praetorium falso dictum viator transierat recta pergens per novam, per vicos Marilianum, et Cisternam per eundem fortasse locum Nolam pervenisse putatur. Hisce in locis ipsius hodiedum nullum extat vestigium, cum omnino memoria fuerit deperdita. Via Nolana.

At animo haud despondendum in tanta rerum obscuritate. Pratillius lib. II. c. 8 narrat milliariam columnam Neapoli repertam anno MDCCXLIV. prope Ecclesiam SS. Cosmae, et Damiani in eiusdem restaura-

tione. Eandem columnam ad Nolanam viam pertinuisse autumat, quae ab Hadriano Imperatore silice strata fuit:

IMP . CAESAR . D . TRAIANI
PARTHICI . F . DIVI . NERVAE . N . TRAIANUS
HADRIANUS . AUGUSTUS . PONTIFEX . MAX .
TRIB . POT . V . COS . III . FECIT .

Idem auctor viam Nolanam credit eandem esse hodiernam, quae Nolam ducit, quoniam quibusdam in locis nonnulli Appiae instar silices reperti fuere, praesertim in loco dicto *Poggio-Reale*, ubi etiam per agros vetustorum aedificiorum rudera identidem sunt eruderata.

Haec via tamen satis nobilis Romanorum aevo esse debuit: ea enim S. Paulini Nolani Praesulis tempore extabat, qui IV. floruit saeculo, quoniam Severo scribens Melaniae a Neapoli Nolam adventum, ita eandem describit Epist. X. *Vidimus gloriam Domini in illo matris, et filiorum itinere quidem uno, sed longe dispari cultu: macro illo, et viliore asellis burico* (1) *sedentem tota huius saeculi pompa, qua honorati, et opulenti poterant, circumflui senatores prosequebantur carrucis nutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis, et carpentis pluribus gemente Appia, et fulgente.* Ex hac S. Paulini descriptione clare eruitur Romanorum fastus, qui adhuc eiusdem vigebat aevo apud Romanos senatores, cum iter faciebant per hanc viam, quam ipse *Appiam* vocat, ut eiusdem ramum. Ex ver-

(1) Buricus apud Medii Ævi scriptores nihil aliud sibi vult, quam parvorum equorum, vel asinorum genus. Huiusmodi equi a Gallis adhuc *Bourriques*, et *Bourquets* a Latino appellantur. D. Hieronymus in Eccles. c. 10 illorum facit mentionem. Videsis etiam Du-Cangium Diction. Mediae Latin. arc. *Buricus*.

bo tandem *gemente* etiam liquido colligitur assiduus aeratorum curruum super hanc viam transitus.

Quoniam de S. Paulino verba fecimus, iuvat heic advertere, eundem, cum Campaniae fuit Proconsul, Nola ad vicum usque Cimitinum viam aperuisse, qui locus satis nobilis eo tempore ob S. Felicis supulchrum evaserat; ea enim via cum illa, quam Hadrianus silice straverat, coniungebatur: eadem D. Paulini sumptibus fuit aperta, quo illi qui S. Martyrem inviserent, viam facerent breviorem. Cl. Muratorius Dissert. XIII. de hac S. Paulini via sic scribit: *Illuc praeterea ducentem viam munivit Paulinus, ut affluentium populorum commodo consuleret: sic enim ipse Felicem adloquitur:* Via a S. Paulino aperta.

Cum tacita inspirans curam mihi mente iubereś
Muniri, sternique viam ad tua tecta ferentem.

Antequam alio gradum faciamus, opinionem nostram iuvat heic referre circa Hannibalis iter, cum Neapolim oppugnandam perrexit. Patavinus auctor lib. XXIII. c. 1 huius Poeni ducis adventum describens, hunc narrat post memorandum Cannense praelium, Irpinorum iter instituisse, ab quodam Statio Trebio ditissimo Compsano cive accitum, qui in eiusdem manus urbem dedit, in quam ingentes thesauros reliquit, quos apud Cannas acquisierat. Mago heic loci cum copiarum parte constitit: Hannibal in Campaniam perrexit, quo Neapolim occuparet opidum maritimum. Quo ad eam veniret urbem, fortasse per viam venit Nolanam, et ita ad eius portas adpropinquavit. Neapolis tunc erat urbs moeniis, turribusque munitissima: ipsa Romanis interea fuit adeo fidissima, ut Carthaginiensis dux eam exspugnare haud valuerit; validissimum enim militum praesidium opidum defendebat. Livius praelium prope portas obortum memoriae prodit: nam Neapolitanorum equitatus e moeniis repente erupit, quo cum Numidis manus consereret: in eo praelio quidam nobiles adolescentes necati, aliique capti fuere.

Inter alios equitum magister Ægeas nomine occisus. Interim Hannibal urbem occupare haud potuit, a qua profectus, Capuam flectit iter: en ut Romanus prodit historicus: *Ab urbe oppugnanda Poenum absterraere conspecta moenia, haudquaquam prompta oppngnanti: inde Capuam flectit iter.* Poenus interim dux quo Neapoli Capuam adveniret, nullum aliud iter suscipere debuit, quam hoc ante descriptum, aut alio deflectens per Acerras, et Atellam, et inde Capuam fortasse fuit profectus. Hinc mihi persuadeo ad hoc credendum, curnam Hannibal per hanc viam haud transierit, dum Puteolos adpropinquans, aliam urbem hostilem habuisset: hinc inter duo opida infesta cum esset, eaque fortissima, et a potentissimis hostibus occupata, Hannibali alio flectendum iter fuisset, ne in hostium manus perveniret, qui in Romanorum amicitia essent foederati. At ipse Puteolos occupandos sperabat, ut ex eiusdem historici patet enarratione lib. XXIV. c. 12: id omne efficere haud valuit, quoniam ipse a Capua profectus per viam Campanam perrexit, quo Puteolos obsideret, ad quam urbem occupandam, hanc calliditatem excogitavit. Celebris erat eo tempore Avernus lacus ob Sibyllae Cumanae oracula; hinc sacri faciendi specie, ut in vicinam Apollinis aedem, aut in silvam Amym veniret, eo perrexit a Capua profectus per viam Consularem. Puteolos expugnare haud potuit: hinc ulciscendi causa Cumanum, atque Misenensem agrum fuit populatus: post tres dies Neapolim perrexit; Hannibal vero quo Neapolitanum vastaret agrum, iter per Pausilypanum instituit clivum per viam Puteolanam, seu Traianam (uti creditur) et per eandem Capuam deflectit.

Via Herculanea a Neapoli ad eam urbem, et inde Pompeios.

Quoniam de singulis Campaniae viis heic peragendum instituimus, haud abs re erit, pauca de alia dicere, quae a Neapoli ad Herculaneum, et inde Pompeios perveniebat. Nullus nec veterum scriptorum, nec recentium praesertim huius fecit mentionem. Hanc viam Herculaneam dictam autumo non alia de causa, quam

quod ad urbem Vesuvianis flammis eversam Titiano aevo viatorem duceret. Haec a Neapoli initium sumebat: a qua vero eiusdem porta exierit, incertum est. A Nolana porta ipsam exisse arbitror, a qua Nolam, et Herculaneum simul adibatur. Herculanea via erat maritima, et eadem ac hodierna fortasse, quae ad Porticensem ducit villam. Ad hanc rem probandam vetusti silices Appiae instar supersunt adhuc prope locum, quem incolae vocant *Pazzigno*, qui parum distat a S. Ioannis Teducii paludibus mille circiter passus ultra pontem S. *Magdalenae*. Hi silices passim eo loco adspectantur, iique plurimi fortasse prostarent, si in vicinis agris tellus effodienda curaretur: assiduae enim aquarum inundationes, et Vesuviani cineres loci faciem verterunt. Pluribus vero abhinc annis milliaria columna fuit eruderata apud S. Ioannem ad Teducium, quae procul dubio ad eandem pertinuit viam. Imperatores Valentinanum, et Arcadium huius fortasse rastauratores fuisse puto, quae temporum longaevitate prope iam deperdita, et ab iisidem Imperatoribus lapide fuit constrata. Inscriptio inde cum columna hisce characteribus prostat in Ecclesia Paroeciali S. Ioannis a Teducio:

DDDNNNSSS
BALENTINIANO
THIODUSIO ET
ARCADIO
BONOREIPUBCE
NATE . . .

In eodem loco qui dicitur *Pazzigno* iuxta vetustam fortasse viam magnum aedificium ruinosum opere tessellato, et lateritio adspicitur. Ad quemnam pertinuerit, ad Graecum utrum, an ad Romanum divitem virum, incertum est. In pago vero eodem S. Ioannis a Teducio nullum antiquae viae vestigium, nec etiam vetustorum aedificiorum supersunt rudera, cum heic loci facies om-

nino fuerit mutata. Eadem via Herculaneum perveniebat; inde per eandem hodiernam (uti credibile est) Pompeios usque veniebat : extra cuius urbis portam, ubi via Sepulchralis paucis abhinc annis eruderata, eaque lata XXVI. palmos circiter Neapolitanos, et silicibus strata Appiae ad modum adspicitur, qua Herculaneum iter erat.

Ex his usque modo allatis auctoritatibus, et coniecturis Peutingeri Odeporicum contrarium nobis innuere videtur, cum hanc descriptam viam haud designet, sed viatorem a Neapoli ad Nolam primum, inde Herculaneum, et Pompeios ducit. Sed haud etiam inficiandum est, quin alia fuerit via brevior a Neapoli Herculaneum, et Pompeios. At non negamus hodiernam Herculaneam viam nonnisi plura post saecula, nempe Philippi II. Austriaci aevo vel silice constratam, vel commodiorem redditam fuisse.

Ab Herculanea via gradum faciamus ad Suessulanam, quae ad Campaniam etiam pertinuit. Capua olim duas inter alias habebat vias, ex quibus in vicinas urbes adibant viatores. A porta Albana initium scilicet sumebat via, qua Nolam adibatur : haec cum Appia simul per plura millia passuum coniungebatur. Eo loco Appia se dividens Calatiam, et inde Beneventum pergebat : hinc idem sequens iter alia via Suessulam flectebat apud Argentium per agrum Acerranum. Pons supra Clanium adsurgebat; ex hoc loco Nolam adeundum erat, qua parte dicitur *la Selciata*, sic dicta ab vetusta via silice strata, quae heic adhuc superest. Peutingeri Itinerarium huiusce viae Suessulanae meminit :

Via Suessulana.

CAPUÆ VI . SUESSULÆ VIII . NOLÆ VI .

Pellegrinius Disc. II. paragr. 26 hanc ita describit : *Di questa via Suessolana vi sono rimasti assai certi vestigi nel bosco detto comunemente l' Olmo Cupo, e nel tenimento del nostro casale chiamato le Masse.*

rie, dal quale pervenendosi assai appresso al luogo dal nome dell' antica Chiesa di S. Anastagio, appellato con popolar vocabolo S. Nastaso, che è fra due nostri casali, l' uno detto di S. Nicola della Strada, e l'altro Casapulla, si scorge, che ivi quasi per un miglio, e mezzo fuori della medesima città antica, ella si congiungeva con un' altra antica via, la quale di Capua uscendo menava per lo suddetto Casale di S. *Nicola, il quale per questa cagione vien cognominato a quel modo, e per quell' altro di* S. *Maria a Vico, e per Arpaja in Benevento. Tal che senza verun fallo quest' altra via, in cui la* Suessolana, *che comincia da Reggio, s' abbatteva, fu l' Appia, come ci dichiarò* Strabone.

A Nola alia incipiebat, quae in Abellinum, et inde in Apuliam flectebat. Bithynicum Duumvirum Nolanum silicibus eandem munivisse Imperatoris Hadriani iussu constat, ut ex lapide ab Reinesio recitato Class. II. num. XVIII. liquido eruitur.

Remondinius, Storia di Nola, lib. I. c. 14. duas scribit extitisse vias, quae a Nola procedebant, quaeque in alias Campaniae Felicis urbes, vicosque viatores ducebant. Hinc narrat suo tempore in hac urbe antiquae viae partem repertam fuisse subter PP. Iesuitarum aedes XV. vel XVI. palmos Neapolitanos latam, et silicibus munitam, in qua rotarum curruum vestigia adhuc perspicienbatur. Quis scit an via istahec a Remondinio observata sit eadem, cuius meminit Livius lib. XXIII. c. 9. 3 Eandem a Suessula ad Nolam venisse creditur. In medio duorum collium S. Angeli, et Castelli haud dissitorum a veteri Argentio via aderat antiqua, quae initium sumens a duobus pagis *Cave*, et *Telanici* pergebat per locum illum, quem nunc accolae compellant *S. Marzano*, ubi descensus est ex alia collium parte, et ubi dicitur *Rocca Rainola*, qui vicus hodiedum ad Nolanam pertinet dioecesim, ad radices montis S. An-

geli, qui a Neapoli distat XVI. M. P. et à Nola IV. Eo loco vetustorum aedificiorum rudera sunt reperta. Ex hac parte incipit Nolanus ager, in cuius medio adsurgunt vici Ciccianus, et Campasanus, aliique post quos Nolam pervenitur. Lecterius, Storia di Suessola, part. 1. c. 9 narrat anno MDCCXXI. eandem viam adhuc extare, et rotabilem quasi esse, sed postea accolarum incuria, et temporum praesertim longaevitate deperditam: hodiedum viae huius adhuc etiam nonnulla supersunt rudera. Idem auctor recte opinatur, Claudium Marcellum hac parte perrexisse, per Suessulanos nempe montes cum Nolam defendendam cum Romanis legionibus adpropinquavit. Hannibalem vero, Romanis apud Cannas ad internecionem redactis, Nolanam per viam venisse prodit Patavinus auctor, cum Romam occupandam perrexit. At ipse fortuna haud usus, ut norunt omnes. Marcellus tum ab Canusio cum exercitu aberat: ubi certior factus ab senatu Nolano per nuntios, eorum urbem ab hostibus obsessam, statim defendendam occurrit. En ut prodit Romanus historiographus Marcelli iter per Suessulanos montes: *Ipse Marcellus a Canusio Calatiam petit, atque inde Vulturno amne traiecto, perque agrum Saticulanum, Trebulanumque super Suessulam per montes Nolam pervenit. Sub adventum praetoris Romani Poenus agro Nolano excessit, et ad mare proxime Neapolim descendit.* Livius hanc viam liquido a Marcello factam describit, quo Suessula Nolam veniret; *Per montes Nolam pervenit.* Romanus hinc dux cum exercitu Vulturno traiecto, hinc per Saticulam, et Trebulam iter instituit haud longe ab Calatia; inde per Suessulam super vicinos montes Nolam venit.

Pellegrinius Hisc. II. paragr. 32 etiam ostendit, Marcellum per eandem viam perrexisse usque modo descriptam; hinc sic ait: *Egli passò per Cales, e piegando a sinistra per la via alle falde del monte Callicola, della quale rimangono chiari segni per i*

nostri casali Pignataro, Pantoliano, Vellona, e per gli altri di quel tratto, che giungeva al fiume Volturno nel luogo, dove fu il suo terzo ponte nella contrada chiamata Triflisco.

Celeber est mons Cancellus hisce in locis ob Claudiana castra. Mons hic exsurgit haud parum ab Argentio; heic fuere olim Marcelli castra, vel Claudiana castra, quae nomen ab ipso mutuata sunt. Anno ab V. DXXXVI. Claudium Marcellum (postquam Nolam est ingressus, et Poenos ex eo opido eiecit) super hoc monte, quem Cancellum vocant incolae, castra posuisse narrat Livius lib. citato c. 12. En eiusdem verba: *Cum omni exercitu profectus supra Suessulam castris positis consedit.*

Via Atellana.

De alia nobis tandem via superest agendum, eaque Atellana fuit dicta, quippe quae Atellas viatorem ducebat; ea a Capua incipiebat, a qua (ut indicavimus) aliae simul viae diversis ex portis exibant. Extendebatur igitur illa ab ea urbe per Atellam, a qua nomen desumebat, ad Neapolim usque per XV. prope M. P. Haec extat nunc vix quibusdam in locis, quoniam una praeter alias temporum iniuria fuit deperdita. In tanta rerum obscuritate cum nihil quasi de eadem extet, Pratillium ducem habemus cuius heic verba exscribimus lib. III. c. 3; *La via Atellana all' uscir di Capua dalla porta Atellana così detta, cominciava da una cappella della B. Vergine delle Grazie, che si dice a Macerata, conducendo a destra del detto villaggio, nel quale si scorgono molte selci appartenenti a questa via. Da quel luogo passava a traverso di due villaggi, cioè di Casalba, e Portico, nel qual luogo avvi un campo denominato oggi della Selice.* In hoc vico asserit idem auctor, repertam fuisse anno MDCCXXXIII. in quodam suo praedio huius antiquae viae partem. Hinc subiungit: *Passava poi la medesima per un castello oggi disabitato, e già detto Airola tirando a sinistra verso il fiume Clanio, so-*

pra del quale eravi un ponte, nel quale passava la suddetta via: le rovine di questo oggi anche si veggono tra i cespugli. Tirando a dritto pel castello di Casapuzzano, dove si veggono altre molte selci disperse, entrava in Atella. Hinc paulo post milliariam affert columnam VII. numero indicatam, quae in cuiusdam domus parietinis servatur:

VII . SENATUS . POPULUSQUE . ROMANUS .

Ex hoc lapide satis colligitur, Atellanam viam apertam, et silicibus munitam Romanae reipublicae aevo, eandemque satis antiquam, quandoquidem Atella inter duas urbes Capuam, et Neapolim fuit posita.

Acta S. Ianuarii, et SS. Sociorum Martyrum ab Emmanuele exarata, et a Carminio Falconio, Vita di S. Gennaro, allata, hanc viam satis indicant: narrat Graecus auctor, Timotheum Campaniae Proconsulem (Nolae cum esset) Puteolos quasdam ob causas perrexisse, Ianuarium, et Socios ante suum currum catenis vinctos ducentem. Proconsulem alio iter instituisse scribit idem Graecus auctor, et viam longiorem fecisse per Acerras, et Atellam, haud vero per Puteolanam ad hanc urbem venisse, supra quam erat Neapolis, ut ante diximus. Huius scriptoris verba haud cum Bononiensibus, et Vaticanis concordant Actis, quae S. Martyrem, et Socios per Puteolanam, non vero per Atellanam adiisse testantur.

Praeter Graeci scriptoris auctoritatem, monumentum aliud extat huius viae desumptum ex Actis Translationis S. Athanasii Neapolitani Episcopi, qui mortuus est anno DCCCLXXII. cuius corpus a Montis Casinatium monasterio Neapolim fuit translatum septem post annos. Ex his igitur Actis colligitur, eiusdem corpus solemniter translatum a Liburiae sacerdotibus Neapolim per viam Atellanam. Hic enim (ut in eius legitur vita) exilio fuit multatus Verulis, ubi extremam obiit diem. En Actorum verba ab auctore contemporaneo exarata, quae

leguntur apud Mutatorium Thes. Script. Rer. Italic. tom. II. part. 2 Col. 1068 lit. B. *Tanta enim velocitate iter peregerunt, ut intra unius diei spatium a monasterio S. Benedicti in Atellas devenirent, quae sexaginta millibus distat, et apud Ecclesiam S. Elpidii manserunt.* Paulo post fit mentio Congregationis Sacerdotum quae ibidem erat: *Tunc collecta omnis simul Congregatio Sacerdotum Ecclesiae S. Elpidii, tota nocte pervigiles extiterunt, psalmodiis vacantes, et miserunt Neapolim nuntium dicentes; venimus cum corpore viri Dei Atellas.* Et hinc subiungitur: *Sacerdotes vero universarum Ecclesiarum Liburiae una cum Congregatione S. Elpidii accensis luminibus ante Sancti locellum toto itinere psallentes etc.* Ex auctoris verbis percipimus, Neapolitanos adeo breviter D. Episcopi corpus transtulisse, ut LX· M. P. a PP. Casinatium Monasterio Atellam usque confecerint. Capuam primum, inde Atellam, et ab hac urbe Neapolim pervenerunt. Hinc nullam per aliam viam pergere debuerunt, quam per Atellanam, cuius nulla in praesentiarum extat pars, eaque dubio procul aderat Translationis tempore. Neapolitani haud per *Caput Clivi*, quae via haud tunc temporis aperta erat, sed per locum, quem dicimus *Capo di Monte* venerunt. Huiusce loci existit mentio in veteri Instrumento a Clarito allato Comment. in Constit. Feder. c. 6: *Ab oriente est via publica, et versus Neapolim prope ipsam viam, et iuxta Arcum, qui Arcus Capitis Montis vulgariter nuncupatur.*

Haec via tandem Neapolim ex Atella flectebat; inde per vicinum vicum vulgo *Melito*, et alium dictum *Miano*, *et Mianella* pergebat, ubi restant nonnulli silices ad modum antiquarum viarum. Et si in vicinis agris terra vomere exerceretur, permultos alios similes, et fortasse viae partem reperiundam crediderim. Ex hoc loco probabile est, Atellanam viam Neapolim pervenisse

ex parte, quam dicimus *Capo di Monte* iuxta commune sepulchretum eruderatum anno MDCCCX.

De Publici cursus usu apud aut quos.

Hactenus de omnibus Campaniae Felicis viis, earumque cursu locuti sumus: nunc rei ratio postulat, ut de quibusdam rebus ad ipsas, et ad cetera antiqua itinera pertinentibus verba faciamus. Heic primum de Cursu Publico, deque re vehiculari nonnulla degustabimus. Apud Romanos Cursus Publicus idem fuit, ac *Vehicularius*, vel *Veredarius*. Publici Cursus auctorem fuisse quendam Caium Postumium Consulem scribit Livius lib. XLII. c. 1. qui anno ab V. C. DLXXVII. hunc introduxit; hinc ait citatus auctor: *Legati qui repente aliquo mitterentur, singula iumenta per opida, iter qua faciendum erat, imperarent.* Idem prodit hunc Romanum Consulem, cum iter in Campaniam esset instituturus, Praenestinos cives coegisse, quo eidem iumenta commodarent. Ea Publici Cursus origo. Hinc subsequentes Consules, atque magistratus C. Postumii exemplo adducti idem effecerunt. Augustus autem quo quam citissime sciret omne, quod in toto Romano Imperio peragebatur, Publicum hunc introduxit Cursum, atque vecturas, quae per publicas vias militares currere deberent. Id omne ex Tranquillo in eius Vita c. 49 sic narrante compertum est: *Quo celerius, ac sub manum annunciari, cognoscique posset, quid in quaque provincia gereretur, iuvenes primo modicis intervallis, per militares vias, dehinc vehicula disposuit* Hi iuvenes calceati pedestri incedebant itinere, iique *Tabellarii* audiebant. Vespasiani Imperatoris aevo mercedem percipiebant, quae *Calcearium* a calceis dicebatur. At ipse postea eosdem tabellarios nudis incedere pedibus, ipsisque mercedem donari iussit, ut prodit idem Tranquillus in eius Vita c. 8.

Romani autem *Cursus publici Vehiculares*, vel *Veredarios* illos appellabant tabellarios, qui equis utebantur, vel curribus. Italicis urbibus magnae is utilitati fuit usus ab Augusto introductus, at argenti summam

contribuere fuére coactae, quandoquidem suis impensis idem Publicus Cursus fuit servatus. Temporibus vero insequentibus quidam alii Imperatores magnas impensas animadvertentes, quas unaquaeque urbs erat solutura, urbes ab hisce minuerunt oneribus. Nerva inter Imperatores optimus usum hunc abstulit. Id omne nos edocet vetus marmor. At lex isthaec a Nerva lata apud sequiores Imperatores haud servata fuit. Hinc Honorii, Arcadii, ac Theodosii Imperatorum aevo urbes omnes publicum Cursum uniuscuiusque impensis iterum servare sunt coactae. Advertere heic licet, Publici Cursus vehicula duobus fuisse rotis conflata, eaque dicta fuere *Birotae*, et *Bigae*, quo tabellarii expeditiores essent. Eiusmodi carpenta duobus vecta equis essedis hodiernis similia quasi erant.

Ad rem aliquid de *Mutationibus*, deque *Mansionibus* heic dicere debemus. Sciendum est apud veteres usuvenisse in publicis viis viatorum commodo cauponas, ac diversoria passim erecta: huiusmodi diversoria diurna, ac nocturna etiam erant; ea quae diei commodo inserviebant, a Romanis Mansiones denominabantur, ubi viatores aliquod temporis spatium immorobantur, et hinc rursus viae se committebant, obsonii aliquid accipientes. Nocturnae vero cauponae Mansiones audiebant, ubi viatores in ipsis noctu morabantur, ne in latronum inciderent manus, neve longo itinere defatigati forent. Hinc ad rem in Hierosolymitano Itinerario legitur: CIVITAS BENEVENTI. CIVITAS ET MANSIO CAUDII. MUTATIO AD NOVAS. CIVITAS CAPUÆ. Quoad vero spectat ad vocem Mansionem, qua significabatur apud publicas vias aliquod temporis immorari: ea vox a verbo *manere* derivavit. Hinc nullo alio modo intelligendus est Tullius Attico ita scribens lib. XI. ep. 14: *Servius pridie Nonas Maii Minturnis mansisse dicitur: hodie in Liternino mansurus apud C. Marcellum* Hoc hospitium cuius meminit idem Cicero, esse debebat super ante descriptam viam Domitia-

Quid sibi velint Mutationes, et Mansiones.

nam, prope quam adsurgebat urbs Liternum. Hisce in cauponis milites etiam reperiebant id quod ipsis erat necesse: hinc iisdem frumentum, et ligna praesertim suppeditabantur.

Quid vox Parochus.

Pertinuere etiam ad publicas vias illi homines, qui *Parochi* dicti fuere a voce Παρέχω, *praebeo*, quippe qui legatis, magistratibus, aliisque summis viris, qui ob reipublicae negotia iter instituebant, ligna, salem, equos, et quidquid erat necessarium, suppeditare debebant: id omne latum fuit lege Iulia. Venusinus poeta Satyr. V. lib. I. iter ad Brundusium super viam Appiam describens, ut ante diximus, statim ac in eam pervenit villulam haud longe a ponte Campano, ibi hominem reperit, qui ligna, salemque praebuit:

Proxima Campano ponti, quae villula, tectum
Praebuit, et Parochi qui debent ligna, salemque.

Maecenas, Cocceius, sociique iuxta Romanorum leges, salem, et ligna quaerere poterant, cum ob maximi momenti negotia iter facerent.

Columnae milliariae.

Columnae vero milliariae erigebantur secus vias publicas, ita ut ad quodque milliarium albo marmore unaquaeque adesset columna VI. vel VII. palmis altitudine supra stylobaten. Eae vero columnae dicebantur milliariae, aut lapides milliarii; hinc vox frequentissima V. VI. VII. X. XX cet. *ab urbe lapide.* Iidem levamini erant viatoribus, praesertim illis, qui pedestri incedebant itinere, quo scirent quot millia passuum ab urbe, vel vico, a quo profecti erant, confecissent. Rutilius hinc canit apud Lipsium de Magnit. Rom. lib. III. c. 10.

Intervalla viae fessis praestare videtur,
Qui notat inscriptus millia multa lapis.

Quintilianus etiam scribit fuisse magnae utilitati hunc usum lapides milliarios viatorum commodo iuxta vias publicas erigendi. Milliaria isthaec constabant mille passibus,

seu quinque millibus pedum Romanorum. Ab Romae urbis pomoerio, vel portis numerabantur. Horum lapidum auctorem circa annum DCXXV. V. C. fuisse Caium Cracchum sentit Plutarchus in ejus vita. Auctor hic de eodem Graccho sic scribit: Κίονας λιθίνους σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν. Idem Cracchus aliam viis utilitatem adiunxit, secus nempe easdem passim nonnullos lapides elatiores pratereuntium commodo, qui iisdem adiumento essent, quo super equos ascenderent; eo enim tempore nondum stapiarum usus introductus: iidem etiam lapides ad sedendum inserviebant. Deinde Augustus optimi cuiusque instituti aemulator, novam in reficiendis, dirigendisque viis operam posuit, et anno V. C. DCCXXXIV: milliarium aureum fecit, τὸ χρυσοῦ μιλιον κεκλημένον ἔστησε ut scribit Dio lib. LIV. Aureis literis ei inscripta fuisse praecipuarum urbium intervalla existimat Eschinardus Agr. Rom. c. 3. Alii aureum totum fuisse credunt.

Publicae viae insuper variis nominibus indicatae fuerunt, tum reipublicae, tum Caesarum aevo. Illae eaedem, quas *Regias* nunc appellamus, a Graecis Βασίλικαι et a Romanis viae *Consulares*, *Praetoriae*, et *Militares* vocatae fuerunt. Varias iverunt in sententias eruditi quoad harum viarum *Militarium* nomen. Quidam ita dictas esse opinantur, quod essent aliis ampliores, commodioresque: et hinc fiebat, ut per eas militares exercitus transirent, ipsaeque cauponis praetereuntium militum, aliorumque commodo abundarent.

Viarum Curatores, et Magistratus.

Adhaec earum viarum magnificentia eo devenit, ut Romani quosdam constituerint magistratus dictos *Viarum Curatores*, quibus curae esset easdem sicilibus munire, illasque eversas restaurare. Extat antiqua lex apud Tullium lib. III. de Leg: ex qua colligitur, Censores habuisse viarum, et locorum publicorum curam: CENSORES VRBIS VIAS, AQVAS, VECTIGALIA TVENTOR. Quoniam vero Ædiles a Censoribus creabantur, haud viarum curam habere poterant; hinc ex S. C. quidam magistratus electi fuere appellati QVATVORVIRI VIARVM CVRANDARVM: iisdem

curae erat vias restaurare. Pomponius lib. 1. c. 2. de ipsis sic loquitur: *Eodem tempore et constituti sunt Quatuorviri, qui curam viarum gererent.* Varro L. L. lib. IV. c. 1. eosdem *Viocuros* appellat, quia illarum curam habebant. At hi magistratus cum urbi Romae, suburbiis, aliisque vicinis locis haud sufficerent, alii duo adiecti fuere, ita ut iidem VIVIRI fuerint dicti. Horum duobus curae erat extra pomoerium vias silicibus sternere, ut colligitur ex Dione lib. LIV. Alii quatuor magistratus iuxta Graecum auctorem curam habebant Campaniae vias reficiendi. Huiusmodi munus exercebant viri de republica bene meriti. Ex quodam antiquo marmore compertum habemus, senatum Imperatoris Traiani iussu triumphi ornamenta cuidam statuisse Quatuorviro, quod munus recte exercuisset. Hi autem magistratus erant incerti, neque sui muneris tempus habebant certum; at Augusto imperitante tempus iisdem fuit adsignatum. Huius rei meminit Tranquillus in eius Vita c. 37. hoc modo: *Nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, cet.* Hi quidem magni habiti in republica fuere, eorumque auctoritas non solum Romae, verum etiam in toto Romano Imperio extendebatur. Plinius lib. V. epist. 15 quendam memorat Tertullum, cum quo laetatur, quod novum hoc munus ipsi datum esset: *Recesseram in municipium, cum mihi nuntiatum est, Cornutum Tertullum accepisse viae Æmiliae curam. Exprimere non possum, quanto sim gaudio affectus, et ipsius, et meo nomine.* Hi magistratus populo maxime pergrati fuere, si vias illas, quarum cura iisdem erat, suis impensis silice stravissent. Hinc mirum haud esse debet, si vetustis in marmoribus saepe memoratum reperimus, DE SVA PECVNIA FECIT, DE SVA PECVNIA FACIENDVM CVRAVIT.

De usu silicibus sternendi vias apud antiquos.

Antequam manum de tabula, iuvat heic aliquid appingere quod antiquas muniendi vias usum spectat. Isidorus Orig. lib. XV. c. 16. Carthaginienses autumat,

auctores fuisse vias dilapidandi ex temporibus remotissimis: *Primum Poeni dicuntur lapidibus vias stravisse, postea Romani per omnem pene orbem disposuerunt propter rectitudinem itinerum, et ne plebs esset otiosa.* Iisdem mos fuit terram recte glarea consistere. Quid autem haec sibi velit, definit Accursius lib. 1. de Via publ. *Glarea est sabulum cum parvis lapillis.* Media viae pars erat parum sublata, quae postea dicta fuit *Viae Agger*, quo aquae ex utroque latere, si pluviae ingruerent, percolationem habuissent faciliorem. Haec elatio in media viae parte hodiedum etiam apud nos in more est posita: hanc dicimus *a Schiena di pesce, o d' asino.* Cl. Ancora, Econom. Fisica, pag. 197 arbitratur apud veteres non usuvenisse vias arboribus ex utroque latere claudere, ut apud nos, idque fecisse non aliam ob causam, nisi ut viatores aeris, et viarum gauderent adspectu. Idem asserit, introducto apud Romanos usu vias silicibus sternendi, easdem, quae terra tantum consistebant, ut rurales habitas fuisse, easque bestiis onustis inservisse. Huiusmodi viae dictae fuere *Agrestes*, *Lignariae*, et *Pastorales.*

Apud ipsos antiquos duae viarum species communiores fuere: primae erant illae, quae glarea erant constratae, ut etiam nunc mos est in Neapolitano Regno viis eiusmodi, illaeque minus aliis valebant, cum glarea tantum sterneretur. Alterae erant silicibus stratae, ubi lapides praegrandes adhibebantur. Huiusmodi viae magnis vel reipublicae, vel Virorum Consularium fiebant sumptibus.

ΔΙΑΤΡΙΒΗ VIII.

De Spectaculorum origine, progressu, deque variis illorum generibus apud veteres.

Spectaculorum origo.

Spectaculorum origo est antiquissima in orbe terrarum: gentes a rerum principio Spectacula isthaec in maximo habuisse pretio comperta res est. Laetitia quae ingenita hominibus est, praesertim illis, qui nati fuerunt in regionibus, ubi aeris temperies, et terra frugibus scatet, eosdem impulit iam a mundi primordio, ut ludis animum accomodarent. Chaldaei, Ægyptii, Phoenices, aliaeque antiquae gentes praeter alias eosdem adamarunt. Graeci deinde, posteaque Romani ad perfectionis apicem, atque maiestatem ipsos eo reduxerunt modo, ut tandem ad impudicitiae, atque dedecoris excessum pervenerint.

Huiusmodi Spéctacula originem habuerunt aut ob festa, quae in deorum celebrabantur honorem, aut ob aliquam victoriam ab hostibus partam. Hinc eo tempore ne populus otio hisce diebus marceret, aliquod novum spectaculum inveniebat, quo diem ageret laetum. En paucis ludorum origo: at ea hominum pars, quae in agris vivebat sub aperto coelo, ipsa magis huiusmodi festis gaudebat. Sicut igitur scenicorum ludorum origo ab laetis rusticis enata est, ita de Spectaculis in genere indicandum.

Haud quemvis fallit, quantum corporis assidui labores apud veteres fuerint existimati, nempe ut quisque fortior firmiorque fieret. Idem hanc veritatem recte intellexerunt eo modo, ut fortes evaderent. Apud Grae-

cos, et praesertim apud Lacedaemonas corporis exercitatio erat praecipua pars: hinc cautum id fuit per sapientissimas Lycurgi leges; et hinc celebres athletae, strenuique homines ob vires iure merito post tot saecula ab antiquis laudantur scriptoribus. Quid de Milone Crotoniate, quid de Thysicrate, quid de Ægone, quid de Hercule ipso, totque aliis praedicabo, quorum virtutes, viresque adhuc ab omnibus commendantur?

Ludorum vero inventores fuerunt Lydii, ut ediscimus ex Tertulliano de Spectac. c. 5. *Ludorum origo sic traditur, Lydos ex Asia transvenas in Etruria consedisse, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat in regni contentione. Igitur in Etruria inter ceteros ritu superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine instituunt. Inde Romani arcessitos artifices mutuantur tempus enuntiationum, ut a Lydis vocarentur.*

Per Spectaculorum nomen nihil aliud intelligimus, quam omne ludorum publicorum genus, qui in Amphitheatro, Theatro, atque Circo celebantur. De hisce Spectaculis fieri solitis hisce locis, peculialiter nunc agemus: hinc de aedificiis publicis, deque impudicitiis, quae in ipsis fiebant.

Quamnam ob causam Spectacula instituta.

Eadem populo dabantur a Senatu, ab Imperatoribus, et aliquando a Viris ditissimis: enuntiabantur antea, ut populus hisce gauderet: hinc apud Latinos usuvenit illud tritum dictum: *Edicere Spectacula, et celebrare Spectacula.* Variae inde fuerunt causae, ob quas ea celebrabantur, primum ut religionis actibus satisfacerent, deinde ut eorum voluptate afficerentur, tandem ut fortitudinem servarent. Valerius Maximus lib. II. c 4 de Spect. alloquens sic scribit: *Theatra . . . . excogitataque cultus deorum, et hominum delectationis causa.* Arnobius in Apol. ad Gentes lib. VII. ait: *Vos aeris tinnitibus, et tibiarum sonis, vos equorum curriculis, et theatralibus ludis persuasum habetis deos delectari, et affici, irasque aliquando conceptas eorum satisfactione molliri.* Iidem ethnici auctores persuasum habebant, eiusmo-

di ludos institutos fuisse ad deos placandos aliquandiu ob eorum scelera iratos. Hinc Valerius Maximus lib. cit. hoc modo testatum reliquit: *Itaque placandi coelestis numinis gratia, compositis carminibus vacuas aures praebuit, usque ad id tempus Circensi Spectaculo contenta.*

Idem auctor refert ibid. Spectacula primum edita fuisse in foro Boario Appio Claudio, et Marco Fulvio Coss. *Gladiatorium munus primum Romae datum est in foro Boario Appio Claudio, M. Fulvio Coss. dederunt Marcus, et Decius Brutus funebri memoria patris cineres honorificando.* Svetonius in Iul. c. 39 narrat eosdem ludos editos primum in foro, sed temporis progressu in Amphitheatro a Vespasiano incoepto, et a Tito eius filio absoluto, sacratoque aliquot post annos.

Impudicitiarum excessus.

Posteriori tempore ad maximum impudicitiarum culmen est perventum in Amphitheatro, et Circo. Tertullianus c. 21 de Spect. ita declamat: *Sic evenit, ut qui in publico vix necessitate vesicae tunicam levet, idem in Circo aliter non exultet, nisi totum pudorem in faciem omnium intentet.* Ex hoc citato textu satis elucet, ad quem impudicitiae statum, et morum corruptionem pervenerint veteres. Hinc honesti viri, et praesertim sapientes Imperatores haud unquam Spectaculis aderant: re sane vera Iulius Caesar si quando adveniebat, haud oculos ad ipsa coniectabat, sed aut cum aliquo honesto viro societatem inibat, aut epistolas legebat. Iulianus Imperator Misopog. narrat, ipsum adeo Circenses ludos odio habuisse, ut perraro ad eos visendos veniret.

Theatri vero licentia ad extremum etiam fuit redacta. Tertullianus de Spect. c. 10 hunc locum ita definit: *Theatrum proprie sacrarium Veneris est*: Et Valerius Maximus lib. II. c. 4 sic etiam ipsum describit: *Colitur autem Minerva in Gymnasiis, Venus in Theatris.* Idem Tertullianus loco cit. c. 17: *Spurcitiam Atellanus gesticulator, quam mimus etiam per mulieres repraesentat, sexum pudoris exterminans, ut facilius*

domi, quam in scena erubescat. Quam demum pantomimus a pueritia patitur in corpore, ut artifex esse possit. Ipsa etiam prostibula, publicae libidinis hostiae in scena proferuntur..... Locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, praedicatur.... Ipsae illae pudoris sui interemptrices, de gestibus suis ad lucem, et populum expavescentes, semel anno erubescunt. Quid autem de Mimis, et Pantomimis dicemus, quorum mores adeo corrupti fuere, ut eorum gestus impudentissimi existimarentur? iidem maximo in usu semper fuere, atque etiam usque ad Romani Imperii lapsum. S. Cvprianus epist. XXXVII. scribit ipsos suo tempore adhuc viguisse, et ex fidelium coetu fuisse expulsos: *Histrio qui in artis suae dedecore perseveraret, et magister perdendorum puerorum, id quod male didicit, ceteris insinuat, non debere cum ceteris communicare, cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, docent quemadmodum masculus frangatur in foeminam.*

Sunt qui scribunt, hóc hominum génus ita vocatum, quod Romam ab Histria advenerit, scenicae nempe artis exercendae causa, quamvis alii ab Etruria eosdem venisse arbitrantur. Valerius Maximus lib. II. c. 4. postquam de Circensium ludorum origine verba fecit, ob Sabinarum mulierum scilicet raptum, ait Romanam iuventutem temporis progressu festa Consualia in honorem dei Consi celebrantem, tunc incultos versus cantasse. Hanc ob causam acciti ab Etruria Ludiones, ad tibicinis modus saltantes: huiusmodi homines apud Etruscos Histriones vocabantur. *Et quia Ludius apud eos Histrio appellabatur, scenico nomen histrionis inditum est.* Postea Livius Andronicus auditorum animum ad fabulam vertit: hic quia populo placebat, iuvenem ad cantandum adhibuit, aliumque ad citharae sonum, dum ipse fabulam repraesentaret. Hi Ludii, sive Ludiones iuvenes erant impuberes, elegantibus induti vestibus galea insu-

Histrionum origo.

per, ense, et parma armati, qui in Circo, et Theatro maxima adveniebant pompa.

Mimi. Duo autem Mimorum genera fuerunt: primi erant honestioris ordinis, qui aliquid imitabantur ἀπὸ τοῦ μιμεῖσθαι et res licitas repraesentabant: alii vero homines erant obsceni, ut ait Minutius Felix in Dialogo, cui nomen Octavius c. 37. Istorum munia erant corruptissima: nihil enim aliud ab iisdem fiebat, quam scurrilitates, et ludicras res ostendere. Ab origine Mimi res graves repraesentabant, quae scriptoribus exarabantur: at postea corruptis moribus, eorum ars ad summum impudicitiae gradum devenit: primis temporibus homines personati agebant, postea etiam foeminae fuerunt introductae: scurrilitas, et obscenitas inde currupit mores. In Graiorum Theatro haud foeminae personatae agebant, aeque ut in Romano. Histrio Rutilius Romae Antiopae partes exhibebat, alarumque foeminarum.

Pantomimi. Celebrantur etiam Pantomimi apud Romanos Histrionum genus, qui in Theatro haud voce, et cantu, sed gestu saltantes repraesentabant. Huiusmodi homines infames procul dubio fuerunt, quoniam non solum in scena exprimebant gestu infames actiones, sed etiam digito monstrabant homines in Theatro sedentes. Suetonius narrat Augustum Italia expulisse celebrem Pyladem Pantomimum, qui in Theatro digito monstravit spectatorem conspicuum: *Pyladem urbe, atque Italia submoverit, quod spectatorem, a quo exsibilabatur, demonstrasset digito*: in Aug. c. 45. Ibidem narrat idem auctor, eundem Imperatorem in Pantomimum Hylam, et Histrionem Stephanionem animadvertisse, quod indecenter in theatro egissent: *Postremo Caesar de immodestia Histrionum retulit, multa ab iis in publicum seditiose, foeda per domos tentari: Oscum quondam ludicrum levissime apud vulgus oblectationis, eo flagitiorum, et virium venisse, ut auctoritate patrum coercendum sit. Pulsi tum histriones Italia.* Et Plinius in Paneg. ad Traian.

c. 46. laudat hunc Imperatorem, quod Histriones etiam suo tempore Italia expulisset, uti homines infames.

Amphitheatrum, Theatrum, et Circus fuerunt loca praeter alia, ubi impudicitia ad excessum pervenit: in hisce enim conveniebant omnes, sed praeter ceteros illi, qui deorum cultui addicti erant. Vestales quae deae Vestae sacratae erant, principem obtinebant locum.

Ludus Gladiatorius.

Quod si ex Spectaculorum impudicitiis, ad crudelitatem gradum faciamus, et ad delactationem simul, quam Romani percipiebant in Circo, et Amphitheatro (ubi tot millia hominum ad bestias, et ad gladios damnati saepe fuerunt) haud negandum erit, quin Romani fuerint crudelissimi. Nonne scelus saevissimum fuit illud, quum tot humanae victimae saepissime fuerint mactatae? et eo res venit, ut in tot Italiae urbibus fuerint instituti ludi gladiatorii. Praedicatur praeter ceteros ludus gladiatorius, qui Capuae extabat, ubi ad XX. et amplius millia hominum aderant, qui in saginam dabantur, quo quoties opus foret, ad civium Romanorum delectationem in Amphitheatro spectacula ederent. Mitto Spartaci gladiatoris historiam, utpote cunctis cognitam. Hi homines infelicissimi omnium quidem erant, quique ad hoc vilissimum officium erant damnati, qui statim ac ludorum albo inscribebantur, adeo lanistae erant subiecti, ut ad quaeque munia, eaque vliissima essent addicti. Extat adhuc apud Petronium Satyric. c. 117 iurisiurandi formula a gladiatoribus adhibita, et lanistae data: *In verbo Eumolpi sacramentum iuravimus, uri, vinciri, verberari, ferroque necari, et quidquid aliud Eumolpus iussisset, tamquam legitimi gladiatores domino corpora, animasque religiosissimae addicimus.* Hinc haud permissum erat hisce infelicissimae sortis hominibus signum aliquod vel timoris, vel imbecillitatis significare: quin imo si gladiator aliquis in Amphitheatro foret sauciatus, ipse ne questus quidem signum ostendere poterat: hinc populus hoc casu exclamabat: *Occide, ure, verbera: quare tam timide incurrit in ferrum? Quare parum*

audacter occidit, quare parum libenter moritur? Ita Seneca de Ira lib. 1. c. 2. Hanc ob rem gladiatores maximum animum ostendere debebant: quod si quis in Amphitheatro animo desponderet, tunc vilissimi hominis nota inurebatur. Illi qui vero viriliter pugnabant, populus a morte eosdem absolvebat; hinc manus clausa pollice extenso signum erat mortis, ut canit Iuvenalis Satyra III. v. 36.

Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

Gladiatores ad mensam adhibiti.

Gladiatorum numerus adeo excrevit tum Romae, tum aliis Italiae urbibus, ut illarum quisque populus maximam perciperet delectationem: iidem et in ludis publicis, et etiam in mensis adhibebantur. Mos hic nonnisi a luxuriosis Campanis derivavit, uti narrat Strabo lib. V. Geogr. quod confirmat Silius Italicus de bello Pun. lib. XI. v. 51. Vsus hic perduravit usque ad extremum Romani Imperii lapsum, ita ut Lampridius hosce gladiatores ad mensam adhibitos *Cubicularios* appellet in Heliogab. c. 21.

Haud parum contenti veteres Romani hisce inhumanis Spectaculis, gladiatores etiam adhibuerunt, cum vir aliquis vel bene de Republica meritus, vel nobilis moriebatur. Hinc mirum haud est, si Patavinus auctor lib. XVI. narrat, M. Decium Brutum anno ab V. C. CCCCLXXXVIII. fuisse primum, qui hunc morem in urbem introduxit, cum eius parens morte fuit ablatus. Huiusmodi gladiatores appellati fuere *Bustuarii*, utpote ad rogum, vel bustum adhibiti.

Frequentia spectaculorum, et pugnantium numerus.

De publicorum aedificiorum magnificentia nihil est quod dicam: Romani enim immensos expendebant thesauros in hisce extruendis, et spectacula magnificentissima saepe edebant in Amphitheatro, et Circo, quo in loco cuiuscunque generis fiebant ludi. Ad eos visendos frequentissimus adveniebat populus; at inter alios ludos,

illi qui a gladiatoribus in Amphitheatro fiebant, maxima omnium Romanorum delectatione conspiciebantur, quippe cum ii humano sanguine valde gauderent. Hinc Cicero pro Sext. num. 58. et 59 sic scribit *Id spectaculi genus erat, quod omni frequentia, atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maxime delectatur . . . . . equidem existimo, nullum tempus esse frequentioris populi quam illud gladiatorium, neque concionis ullius, neque vero ullorum comitiorum.*

Ea igitur Spectacula edebantur quam frequentissime. Gordianum III. suae aedilitatis tempore singulis mensibus magnificentissima Spectacula dedisse populo Romano narrat Capitolinus c. 33 in eius Vita, praesertim in Circo, ubi animalia cuiuscumque generis, eaque rarissima immensis sumptibus exhibita fuerunt. Incredibile prope dictu est, quod narrat Dio lib. XXXV. de Traiano, qui CXXIII. dierum spatio decem millia gladiatores in Amphitheatro, et Circo ad pugnandum exhibuit, et Caesar ipse etiam in sua aedilitate CCCXX. paria gladiatorum edidit. En igitur ad quem furoris gradum, et ad quantam humani sanguinis delectationem est perventum! Horrent adhuc aures in audiendo, quosdam Romanos Imperatores tot hominum millia odio, ac vindictae sacrificasse, sed magis horret animus meminisse, quot alia centena millia gladiatorum ad Romani populi delectationem fuerint primum bene saginata, indeque morti destinata. Iosephus Hebraeus Antiqq. Iudaic. lib. XIX. c. 1. hanc rem confirmat, ubi narrat, Romanos maxima Spectaculorum iucunditatate fuisse affectos; en ut scribit: Ἐν τούτῳ δὲ ἱπποδρομίαι ἦσαν, καὶ σπουδάζεται γὰρ Ῥωμαίοις ἥδε ἡ θεωρία δεινὸς συνίασι δὲ προθυμαὶ εἰς τὸν ἱπποδρόμον. *Interea autem ludi agebantur Circenses: cui spectaculo mirifice dediti sunt Romani: quin et magno studio in Circum concurrunt.*

Magnus numerus bestiarum ad Spectacula adhibitus.

De bestiis ad gladiatoria spectacula adhibitis nunc verba faciemus. Incredibile prope dictu est, quot ferae

in Vivario alerentur. Romae, Puteolis, Capuae, aliisque Italiae, Campaniaeque urbibus (in quibus Amphitheatri moles adsurgebat) maximus omnium ferarum numerus nutriebatur. Suetonius in Tito c. 7 narrat, hunc una die quinque millia ferarum omne genus Spectacula edidisse: *Dedit, et navale praelium in veteri Naumachia: ibidem et gladiatores, atque uno die quinque millia omne genus ferarum.* Eutropius eamdem rem confirmat in eius vita. Ferae praesertim, quae in Vivario alebantur, adeo mansuetae fiebant, ut gladiatores in Amphitheatro, et Circo easdem adhibuerint maximo spectaculo. Martialis lib. I. Epigr. 105 canit, leopardos, tigres, aliasque bestias in Amphitheatro veluti agnos currus saepissime vectassse:

Picto quod iuga delicata collo
Pardus sustinet, improbaeque tigres
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea lupata cervi,
Quod fraena Lybici domantur ursi.

Idem poeta ibid. epigr. 15 Domitianum Caesarem emphatice alloquens, quod leones veluti agni in ludis Spectaculo forent Romanis, sic canit:

Delicias, Caesar, lususque, iocosque leonum
Vidimus, hoc etiam praestat arena tibi.

Leges latae ad Spectacula reprimenda.

Ad reprimendam interim tantam civium oblectationem statuta, atque edicta ab ipsis Imperatoribus lata fuere, ut gladiatorum praesertim frequentia minueretur. Caesar (prout scribit Suetonius in eius Vita c. 10) in ludis gladiatoriis harum victimarum numerum minuit; et Augustus legem tulit, qua constitutum est, bis in anno LX. tantum paria gladiatorum edenda, prout describit Dio lib. XXXVI. Imperator vero Caligula iussit edi spectacula gladiatoria prout quisque vellet: hinc tunc

temporis eo est ventum, ut Romani maximam illorum voluptatem perceperint: at postea principes optimi Imperium moderantes, legem tulerunt, ut iisdem Romani parcerent victimis, neve humano sanguine forent expleti, atque mos iste fuit moderatus eo modo, adeo ut Antoninus Philosophus praecipere fuerit coactus, ne tot homines morti destinarentur, uti narrat Capitolinus in eius vita c. 15. Nerva Princeps optimus iam ante hanc Romanorum voluptatem latis legibus prohibuerat.

Pace deinde Christianae Ecclesiae reddita, et Constantino Magno Romanorum moderante Imperium huiusmodi Spectacula omnino prohibita fuere, uti scribit Eusebius Hist. Eccles. lib. IV. c. 25, et Sozomenes lib. I. Ante Honorium, et Arcadium horum Spectaculorum supererant vestigia, cum ethnici adhuc extabant in pluribus Romani Imperii urbibus, iique secutis temporibus perdurarunt. Leges antea latae haud huiusmodi mores auferre potuerant. Honorius tandem sanxit, ne amplius gladiatoria spectacula apud quamvis urbem ederentur: idque evenisse non aliam ob causam constat, nisi ut monachus quidam nomine Thelemacus in Amphitheatrum Romanum ingrediens, nimioque zelo succensus, spectatores admonuerit, ne hisce spectaculis animum accomodarent: inde lapidibus obrutum fuisse narrat Theodoretus lib. V. c. 26. Τοῦτο μαθὼν ὁ θαυμαστὸς Βασιλεὺς τοὺ μὲν τοῖς νικηφόροις συνήριθμησῆ μάρτυρι, τὴν δὲ πονηρὰν ἐκείνην ἐπαυσε θεωρίαν: *Quo cognito admirandus Imperator, hunc quidem invictissimorum martyrum numero adscripsit: tetrum vero illud spectaculum abolevit.*

SS. Patrum contra Spectacula obiurgationes.

Illorum temporum Ecclesiae Christianae Patres merito Spectacula isthaec horrenda obiurgarunt. Lactantius Divin. Instit. Epist. c. 63 sic de iisdem scribit: *Superest de Spectaculis dicere, quae quoniam potentia sunt ad corrumpendos animos, vitanda sapientibus, et cavenda sunt totaliter: quod ad celebrandos deorum honores inventa memorantur. Nam munerum editio Saturno factae sunt. Scena Liberi patris est: ludi ve-*

ro Circenses Neptuno dicati putantur, ut iam qui Spectaculis interest, relicto Dei cultu, ad profanos ritus transisse videatur.... Quid tam horribile, quam tetrum, quam hominis trucidatio? et hinc subiungit idem auctor; si culpa est homicidio interesse, quanto magis ad Spectacula adesse, ubi hominum sanguis maxime versatur. Hinc illius temporis Christi fidelibus insinuat, ut loca isthaec fugiant haud Christiano homini convenientia; *Fugienda igitur omnia Spectacula, ut tranquillum mentis statum tenere possimus.* Et S. Cyprianus in quibusdam epistolis haec similia scribit. Plura etiam Concilia Christianos admonent, ne Spectaculis intersint, et anathemate animadvertunt illos homines, qui eo fungerentur officio. Concilium Arelatense c. 4 Laodicenum c. 54 et Carthaginiense III. c. 6. id etiam omnino vetuerunt. Praetereo S. Hieronymum ep. ad Marc. et Hilar. mitto etiam S. Augustinum ep. 119 ad Ianuar. qui etiam de Spectaculis tam male sunt opinati. Si omnes vellem Sanctorum Patrum auctoritates in medium afferre, mihi tempus deesset. Hoc unum satis dictu est, ipsos ethnicos auctores iam male opinatos fuisse de Theatro, deque ludis, ut nihil supra dici possit. En ut inter alios in Prologo Poenuli loquitur Plautus:

Scortum exoletum ne quis in proscenio
Sedeat.

Titus Livius lib. II. Tacitus Annal. lib. XIV. aliique nonnulli etiam de ludis hisce haud recte iudicarunt, eosque ut morum corruptionem putaverunt. Quin imo Plinius lib. IX c. 6 ludos Circenses ut res pueriles existimat, illosque nihil aliud esse ait, quam horrenda praelia: *Mitto tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla: nunc favent panno, pannum amant*; alludens variis aurigarum factionibus Circi.

Amphitheatrum, et Circum arena adspergi mos erat, quo gladiatores libere possent pugnare: hinc apud Latinos trita loquendi ratio: *Descendere in arenam*, quippe quod gladiatores in Amphitheatrum descendentes, certamen incipiebant. Temporis progressu eo magnificentiae est ventum, ut Caligula Imperator Circum chrysocolla, minioque adspergendum iuberet. Hinc Suetonius in eius Vita c. 18 sic scribit: *Edidit et Circenses* (nempe ludos) *plurimos a mane usque ad vesperam, interiecta modo Africanorum venatione, modo Troiae decursione: quosdam autem praecipuos, minio, et chrysocolla constrato Circo.*

Crocus, Sedilia, et Vela in Theatro, et Amphitheatro.

Sedilia tum in Amphitheatro, tum in Theatro, et Circo erant e marmore disposita, a Latinis Scalaria dicta, supra quae commode sedebant spectatores, quo ludis hisce gauderent. Omnes in marmore sedebant, praeter senatores, qui pulvinum ad sedendum adhibebant, iuxta Ciceronem ad Trebat. epist. lib. VII. et Ovidium de Arte lib. I. Sunt qui scribunt Vestalibus etiam hunc honorem tributum, cum eaedem primis sederent in gradibus. Iidem pulvini a Graecis dicuntur Προσκεφάλαια, ut scribit Theophrastus Charact. Κόλαξ τοῦ παιδος εν τῶ θέατρω αφέλομενος τὰ προσκεφάλαια, αὑτος ὑποστρῶσαι: *Adulator pueri in Theatro cervicalia tollens, revertitur.*

Amphitheatrum, et Theatrum fuisse detecta res cunctis est nota, ubi spectacula edebantur toto anni tempore. Saepe cum populus sederet, pluvia, vel aestus ingruebat: ut hisce obviam iretur, neve spectatores delectatione privarentur, Campani primum vela in hisce locis introduxerunt, ut scribit Valerius Maximus de Spect. lib. II. c. 4. In immensa Theatri, Amphitheatrique cavea mala ad vela sustentanda aderant. Lucretius lib. VI. v. 108 de hisce velis verba facit.

Cabasus ut quodam magnis intenta Theatris
Dat crepitum malos inter iactata, trabesque.

Suetonius in Calig. c. 24 de hisce etiam sic ait: *Gladiatores munere reductis interdum flagrantissimo sole velis, emitti quemquam vetabat.* Propertius lib. III. eleg. I. primis temporibus haud usuvenisse canit velis Theatrum cooperire. Et res eo rediit posteriori tempore, ut haud amplius Romani communia vela in Circo, aliisque locis adhiberi solita usurparint, sed ea vel purpura, vel alia nobilissima materia conflata fuerint. Ad rem Valerius Maximus lib. cit. narrat Cneium Pompeium in Theatro, et Circo terram irrigandi usum introduxisse: *Cn. Pompeius ante omnes aquae per semitas decursu, aestivum minuit fervorem.*

Ad eum tandem etiam luxum pervenerunt, ut haud contenti Spectacula isthaec magnis sumptibus edere, ex summa cavea curatum sit, saepe donaria populo mitti, eaque *Missilia* vocabantur, vel ex ebore, vel ligno conflata, quae etiam dicta fuere *Tesserae theatrales*, quibus postea exhibitis, sigillatim accipiebant cives farinam, pecunias, volucres, aliasque eiusmodi res. At fiebat, ut populus ad ea arripienda, saepe capitis, manuum, pedumque fractura discederet.

Imperatorum amor ad Spectacula.

Romanos publicorum ludorum magno amore captos fuisse constat a primis Reipublicae temporibus: sed amor hic posteriori tempore magis ac magis efferbuit eo modo, ut mutato Reipublicae gubernamine, et Imperatoribus ad solium evectis, ea Spectaculorum delectatio in omnes magis excreverit. Scenici, atque Circenses ludi tunc sumptuosissimi evasere. Caesar iuxta Suetonium in eius Vita c. 28 magnifica edidit gladiatoria spectacula tam Romanae iuventuti quaesita: tragoedias, et comoedias in omni urbis regione actas fuisse fama est; histriones etiam, qui suo tempore maxime excreverant, magno in pretio fuerunt. Circenses, et Athletici ludi tum etiam editi; et fama est, senatores etiam, Virosque nobiles in scena prodiisse, ut inter alios Laberius poeta nobilissimus, Furius Leptinus stirpe praetoria natus, et Q. Calpenus Senator

in Circo. Octavianus Augustus hinc Caesaris exemplum secutus Spectacula etiam edidit magnificentissima: inter alia ludum Troianum saepe agendum a nobilibus puellis curavit; inde suo tempore Quinquennalia, Gymnica, et Musica Spectacula a Romanis primum celebrata. Velleius Paterculus lib. II. c. 2 Neapolitanos horum ludorum inventores fuisse narrat.

Theatrales societates tum vel maxime excreverant, utpote ab Imperatoribus quaesitae: Tiberio enim imperitante mercedem maximam percipiebant, ita ut ipse fuerit coactus ad numerum minuendum; hinc Suetonius in eius vita c. 34 sic scribit: *mercedibus scenicorum rescissis, paribusque gladiatorum ad certum numerum redactis.* Fama est eo tempore saltatrices Romae ad tria millia pervenisse, et divites viros saepe sua omnia actoribus dedisse, quo magis populo placerent. Iulium Messalam suos exhaeredasse narrat historia, ut histriones testamento faceret haeredes: quin imo pretiosa omnia saltatoribus, mimis aliisque male perditis hominibus distribuit: et Caligulam in Theatro Mnesterem Pantomimum basiatum fuisse etiam ex historia liquet. Hinc saepe eveniebat, ut si quando quis in Theatro strepitum faceret, ipse propriis manibus illum flagellaret: *Mnesterem Pantomimum etiam inter Spectacula osculabatur, ac si quis saltante eo, vel leniter obstreperet, detrahi iussum manu sua flagellabat*; c. 55. Idem auctor in Nerone c. 38 sic ipsum pingit: *Trex, et auriga, idem cantor, atque saltator. Batuebat pugnatoriis armis, aurigabat exstructo plurifariam Circo. Canendi et saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem Spectaculis temperaret, quo minus et tragaedo pronuntianti concineret, et gestum histrionis quasi laudans, vel corrigens palam effingeret.* Hic etiam Imperator praeter Spectaculorum delectationem, maxima etiam musices voluptate efferebatur: ipse enim mediocriter canebat, citharaeque oblectamento capiebatur. Hinc ille delirio motus Romam urbem novam efficiendi, eam

flammis concremavit, dumque omnes rerum omnium amissionem deflerent, Troianae obsidionis incendium ipse canebat. Quin imo ausus fuit in Theatro, et praesertim in Neapolitano saepius cantasse, ut prodit Suetonius in eius vita c. 20: *Et prodiit Neapoli, ac ne concusso quidem repente motu terrae Theatro, ante cantare destitit, quam inchoatum persolveret* νομοὶ. *Ibidem saepius, et per complures cantavit dies.* Ipse etiam laudibus acceptis ab Alexandrinis, qui Neapoli erant, ex ipsis plures Romam proficisci iussit coronamque quaesivit, et mercedem.

Vitellius deinde Imperium gubernavit nonnisi histrionum consilio, quos maxime adamavit: Suetonius in eiusdem Vita c. 4 sic tradit: *Talibus principiis magnam Imperii partem nonnisi consilio, et arbitrio vilissimi cuiusque histrionum, et aurigarum administravit, et maxime Asiatici liberti.* Eliogabalum munera, et provinciarum gubernamina saltatoribus dedisse auctor est Herodianus lib. V. Praeter hactenus descriptos Imperatores, qui animum Spectaculis intenderunt, fuerunt alii, ut inter ceteros Lucius Verus, de quo refert Capitolinus in eius Vita, ludos Circenses, et gladiatorios ipsum valde adamasse: eorundem quoque mirum in modum voluptate affectos fuisse Commodum, et Caracallam narrat Herodianus lib. III. En igitur ad quem dementiae statum pervenerunt plures Imperatores, qui non solum Spectaculis animum adhibuerunt, verum etiam saltatoribus, comicisque munera dederunt!

Maxima Spectatorum frequentia, legesque ab Augusto latae ad hanc rem.

Cum autem immensa auri pondera ad Amphitheatrum, et Circum a Romanis adhibita fuerint, cumque tot gladiatorum millia, et omne genus ferarum ubique alerentur (ut ante diximus) hinc factum est, ut ad Spectacula isthaec maxima hominum frequentia advenerit, cum ludi edebantur. Ea hominum multitudo ex pluribus conveniebat urbibus: Amphitheatrum, et Circus ad XC. circiter hominum millia amplectebatur. Ad tantam igitur hominum frequentiam continendam, sicuti saepe fiebat,

ut iurgia eveniret, leges hinc editae ab Augusto fuerunt quo iisdem obviam iretur. Suetonius in eius Vita c. 44 memoriae prodidit, ipsum legem tulisse de sedendo ad Spectacula, quo mores corrigeret. Cum enim Puteolis senator quidam in Amphitheatro male esset acceptus, hinc Imperator fuit coactus novam promulgare legem: *Motus iniuria senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenter nemo receperat. Facto igitur decreto patrum, ut quoties quid spectandum usquam publico ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus: Romae legatos liberarum, sociarumque gentium vetuit in orchestra considere, quum etiam libertini generis mitti deprehendisset. Militem secrevit a populo.*

Magna urbium Campaniae Peleis delectatio ad Spectacula.

Haec Spectaculorum delectatio non solum Romae, sed etiam aliis urbibus divitibus Reipublicae subiectis extitit. Ante diximus, usum in Theatro Romanos vela inducendi, a Campanis accepisse, atque etiam gladiatores ad mensas adhibuisse. Ex quibus satis colligitur Campanos ipsos olim celebres fuisse in Spectaculis edendis. Ludus etiam gladiatorius, qui Capuae olim extitit, satis ostendit, hanc urbem celeberrimam fuisse, quae etiam Amphitheatrum magnificentissimum, et Theatrum habuit: praetereo alias urbes in solo Campano positas, quae aedificia isthaec possidebant, uti Minturnae, Aquinum, Atella, Pompeii, Herculaneum, Puteoli, aliaeque urbes nobilissimae. Et re sane vera urbes istae in tam beato terrarum orbis angulo, et in agris fertilissimis positae commercio tam divite gaudentes, ullis bellis externis turbatae, nihil aliud in animo habebant, quam delectationem, ludos, atque agrorum fruges ditissimas, ut beate viverent. Hinc inter omnes alias Romani Imperii regiones Italia una, et praesertim Campania ad recte feliciterque vivendum animum accomodabat. Hinc etiam est, ut auctores antiqui, et praecipue poetae tot encomia de Campania praesetulerint, et tot ludorum, et spectaculorum species usque scriptitarint. Tot urbes theatris, amphithea-

tris, aliisque publicis locis ad spectacula edenda abundabant. Non aliam ob causam id factum fuisse autumo, nisi quod longa pace, et fortunae indulgentia semper gauderent, et tot publica construxerint aedificia ad beate vivendum. Ex tot edictis ad Pompeiana spectacula edenda pertinentibus, quae super domorum parietes usque leguntur, quaeque in dies effodiuntur, satis colligitur, eam urbem quam maxime ad otium, et ludos agendos esse accomodatam. Si enim urbs tam parva inter alias Campanas, et haud nobilior prae ceteris, et assiduis spectaculis addicta, quid iudicandum de Puteolis, de Neapoli, tot aliis, et praecipue de Capua urbe nobilissima? Si enim fuissent nobis amandata, ut de Pompeiis, et Herculaneo ad nos sarta tecta pervenerunt, quot pretiosa monumenta non haberemus? Quae cum ita sint, concludendum hasce urbes Campanas fortunatissimas olim fuisse, dum spectaculis usque gauderent. Hae urbes quidem ad Romani Imperii lapsum adhuc hosce ludos edebant.

Everso deinde inanium deorum cultu, et Christianis Imperatoribus ad solium evectis, hinc paulatim leges latae fuerunt, ut huiusmodi Spectacula humanum sanguinem usque redolentia prohiberentur. Concilia deinde saepe etiam sanxerunt, ne amplius ludi fierent. At hisce haud obstantibus plures adhuc deinde urbes, sive quod deorum cultui adhuc addictae forent, sive quod antiquorum mores haud mutati, eandem delectationem de Spectaculis habuerunt. Hinc ex historia liquet, etiam cum Romanum Imperium undique erat per Barbarorum assidua bella, et incursiones dilaceratum, Spectacula edita fuisse. Sub Theodorico Gothorum optimo Rege, et deinde sub Alarico eadem adhuc fiebant, donec Langobardorum nova in Italia introducta gente, mutata omnia fuere, atque ita omnino eadem ablata fuerunt.

ΔΙΑΤΡΙΒΗ IX.

De causis quae Romanum perdidere Imperium.

Romam principio Reges habuere: iidem hanc urbem Imperii caput stabiliendam curarunt. Romulus collectis vicinorum agrorum pastorum agminibus, eosque assiduis instructos praeliis fortissimos effecit milites, qui temporis progressu propinquas subegere gentes. Reges successores alios fregere populos Romanorum agro adiungentes. Tarquiniis ex urbe exactis, Brutus Consules constituit. Libertatis amor fuit prima causa, ob quam Romani Rempublicam efformarunt. Hic idem amor Consulatus auctoritatem diminuit, et variis temporibus titulum abstulit. Ut inde populus Consules legibus subiectos haberet, plebeios elegit magistratus, quo illorum libertatem servaret. Hinc iidem plebeii, ut Consules, ducesque facerent officium, ipsis cura fuit mandata. Publica officia non aliter quam ad annum dabantur: Consules deinde, aliique magistratus inferiores duodecim etiam mensibus Rempublicam gubernabant, et Consules nullam inde habebant auctoritatem, quam illam ipsam, quae ex officio proveniebat. Hinc saepe evenit, ut ipsi qui exercituum fuerant duces, novis parerent Consulibus in castris, nec nisi decem post annos iterum Consulatum inire possent. Adeo igitur primis temporibus leges sancte religioseque servabantur!

At nulla priscorum Romanorum pars tam servata fuit ab illis (ut libertatem tuerentur) quam paupertatis contemptus qui tamdiu perduravit, quoad illorum mores viguere. Haec paupertas quae antea fuit necessaria, subsecutis temporibus fuit virtus, quam iidem uti liber-

tatis tutamen habuerunt, eaque iisdem fuit quasi vis, quo luxum averruncarent. Si ea tunc gloria erat ad libertatem tutandam, eodem tempore ipsi vitam exponebant, ut Rempublicam divitiis augerent. Quisque dives seipsum putabat Reipublicae fisum divitiis, et duces ipsi veluti milites gregarii non alio vivebant modo, quam ex paterna agrorum haereditate, quos manibus ipsi suis colebant. Hinc Plinius iure merito scribit Hist. Natur. lib. XVIII. c. 4. *Gaudebat tellus vomere laureato.* Et hinc mirandum haud est etiam ad quem paupertatis gradum pervenerint Camillus, Fabricius, Curius, aliique plures praeclarissimi viri, qui dum maximis honoribus erant cumulati, quique pro patria bene merentes, dum iam morti proximi erant, nihil divitiarum, haud domos, aut villas suos e testamento facerent haeredes, et patriae rem potius, quam suam mallent augere.

Veteres Romani erant omnes agrorum cultores, et milites simul: eorundem habitus erat incultus, cibus inde simplex, ac frugalis, atque labor assiduus. Hinc eorum filii in vita tam dura exercebantur, ut ipsos redderent fortes, et aptos ad belli labores sustinendos. Sub habitu rustico incomparabilis virtus reperiebatur. Hinc gloria erat solus amor: pro patria, pro libertate, pro aris inde, atque focis illis dimicare in more fuit positum. Horum mores a principio rustici profecto fuere, eaque vivendi ratio ab urbis incunabulis ad quintum et sextum usque saeculum adhuc vigebat, cum Roma iam Italia, Sicilia, Hispania, Gallia, Africaque dominaretur, quo tempore duces ex aratro adhuc vocabantur. Hinc scribit Valerius Maximus lib. IV. c. 4. *Attilii manus rustico opere attritae, salutem publicam stabilierunt.* Hic vivendi modus non solum per tot saecula viguit, verum etiam Romanis ipsis causa fuit ad alias res capessendas, ad leges sanctissime servandas publicas, et domesticas eo modo, ut vicinis dissitisque gentibus fuerint exemplo.

Quod si gradum faciamus ad leges sumptuarias,

quae iam a priscis temporibus apud Romanos viguere, profecto videbimus, ipsas fuisse adeo sapientes, ut cives ad recte vivendum aliis populis fuerint exemplo. Hae leges variae latae fuere, quo bene viverent, vitamque a luxu, mollitieque averterent. Lex Oppia de matronarum cultu, vel mundo muliebri versabatur. Ea lex lata est a C. Oppio Tribuno plebis Q. Fabio Maximo, et T. Sempronio Graccho Coss. anno V. C. DXL. exardescente secundo Punico bello. Mulieres haud amplius quam auri semiunciam possidere, neu vestimento versicolore uti, neve iuncto vehiculo in urbe, oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa vehi poterant. Ita tradunt Livius lib. XXXIV. et Tacitus Annal. lib. III.

Cum vero a veteri, et avita maiorum parsimonia posteri discederent, et nullum modum invenirent luxuria, legum animadversione fuit necesse. Eandem legem tulit C. Orchius Tribunus plebis de senatus sententia, anno tertio quam Cato Censor fuerat, eaque convivarum numerum perscribebat. Hinc C. Fannius Consul in ludis Romanis, aliisque diebus sollemnibus, in singulos dies centenos aeris insumi concessit decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos, ceteris autem diebus denos. Ante enim eo res redierat, ut gula illecti plerique ingenui pueri pudicitiam, et libertatem venderent: plerique ex plebe Romana vino ebrii ad Comitia venirent, et madidi de Reipublicae consulerent salute. Ea lex Cornelia, eaque etiam sumptuaria fuit, quam tulit L. Cornelius Silla Dictator, in qua non conviviorum magnificentia prohibita est, nec gulae modus factus, verum minora pretia in rebus imposita, uti tradit Aulus Gellius lib. II. c 24. Caecilia tandem lex (ne dicam ad ravim usque) quam C. Caecilius Metellus Tribunus plebis anno V. C. DXXXIII. Coss. L. Veturio Philone, et C. Lutatio Catulo, qua ratio poliendarum vestium fullonibus praescribebatur. Ita Plinius lib. XXXV. c. 17 Hist. Natur. Hae leges igitur latae variis temporibus satis in-

dicant, Romanos sapientissimos fuisse, eodemque tempore ipsos luxum immodicum prohibuisse, ne luxuriem, neve in urbe, aliisque urbibus Romanae Reipublicae subiectis introducerent.

Sub hoc igitur rigido regimine cives paupertatis, maximaeque virtutis amatores, et luxus contemptores evasere, qui nihil aliud amabant, quàm patriam, atque libertatem. Hinc mirandum haud est, si intra tercentorum annorum spatium Italiae fortissimos superarint populos: hinc Gallos, Cimbros, Tuetonos, et Carthaginensium Rempublicam Romano adiunxerunt Imperio. Inde viri tam celebres floruere, ut pleni sint omnes historiarum annales. Hinc mirum haud etiam est, si Quintus Cincinnatus, dum Consules ab hostibus premerentur, exercitus fuit liberatus, dum ipse ab aratro vocatus, et Dictator fuit renunciatus; inde fascibus depositis ad agrum rediit colendum. Caius Fabricius, et Caius Dentatus frugalitatis etiam exemplum fuere: alter Pyrrhum Italiae finibus expulit, alter Sabinos perdomuit, accepta quae viritim dividebantur captivi agri septem iugera non minus industrie coluit, quam fortiter armis quaesierat. Scipio ipse Africanus, qui Hannibalem devicit, voluntario exilio apud Linternum suam villam petivit, ubi corpus abluebat laboribus rusticis fessum, et se exercebat, terramque subigebat. Hic laboris, vitaeque campestris amor non solum ad Rempublicam quam maxime augendam, verum etiam per tot saecula ad hoc virtutis studium, et a rebus avocandum animum inserviit. Hinc apposite Columella de Re Rustica lib. II. scribit: *Res rustica sine dubitatione, proxima et quasi consanguinea sapientiae est.* Et Cicero Orat. pro Roscio Amer. num. 75 *Vita rustica parsimoniae, diligentiae, iustitiae magistra est.*

Numa Pompilius iam ante hos celebres viros floruerat: ipse eodem modo fuerat educatus. Ad solium evectus eandem duxit vitam quum private viveret, suisque subiectis Romanis eodem fuit exemplo non solum,

verum vicinis etiam urbibus, uti tradit Plutarchus in eiusdem vita. Hinc eo tempore agrorum fertilitas eo pervenit, ut ubique omnis rerum abundantia adesset, et Romani relictis bellicis moribus ad agros colendos animum intenderunt. Hinc pulchrum videre erat agros fertilissimos omnium fructuum, rerumque genere scatere, divitias, commercium cum vicinis, dissitisque populis in dies auctum. Sub tam sapienti Rege haud ullum fuit bellum, neque sanguinis effusio, et praesertim deorum cultus maxime viguit.

Ad tanti Regis exemplum Romani temporis progressu magis animum ad frugalitatem, et agrorum culturam applicuerunt. Hinc tot viri, qui bene de republica sentientes, quique post tot bella gesta, post tot triumphos, postque tot debellatas gentes magno honore a suis culti fuere, quique antiquorum hominum more viventes ad agros colendos sese applicuere. Hinc mirum haud esse debet, si Cato Censor etiam se agriculturae dederit, ob quam tot praecepta nobis reliquit. Cicero in orat. pro Roscio Amerino contra illius accusatores invehit, quod ipse antiquorum more ruri iugiter maneret. Inde ipse ait, maiores hoc tam recto vivendi usu ad tantam magnitudinem pervenisse, ut Imperii maiestas nonnisi hoc modo fuerit redacta, et utinam Romani idem vivendi genus forent secuti, dum haud mores essent deperditi. Sub hoc tanto viro nec bella, nec armorum fremitus Romani excitarunt, et ad eiusdem exemplum deorum cultui, et agrorum culturae tantum addicti fuere. Vicinae gentes eiusdem Regis exemplum imitandum sibi proposuerunt.

Hoc igitur vitae genus multos perduravit annos, et Romani subsecutis temporibus tam recte sapienterque gubernati fuere, ut eorundem leges latae fuerint per cunctam Italiam, aliasque Europae partes, eorumque duces virtutis, atque frugalitatis cunctis gentibus fuerint exemplo. Hoc idem vitae genus eo usque perduravit, donec aemula Carthagine potiti fuere, et Romani iidem fortis-

simi sub ipso eorum pondere, atque magnitudine depressi fuere, dum ipsa moles iisdem nocuit. Hinc eodem ex tempore luxus, et divitiae introductae fuerunt in urbem cum immensis thesauris ex devictis provinciis. Ea vero temperantia, quae magnos efformaverat duces haud amplius amabatur, atque fuit despecta. Romani deinde effusis habenis a tanta paupertate, et frugalitate vivendi statim ad luxum, et mollitiem animum applicuere. Hinc apposite Paterculus lib. II. c. 1. de iisdem scribit. *Sublata Imperii aemula* (Carthagine) *non gradu, sed praecipiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum.*

Vsque dum Roma Italia tantum fuit dominata, per seipsam subsistebat: quisque civis erat miles, atque patriam amabat; quisque Consul exercitui praeerat, atque cives ad bellum properabant sub iussu illius, qui succedebat, et Consules ipsi senatui parebant. Statim vero ac legiones Alpes, atque mare transierunt, milites sensim patriae amorem deseruere. Consules vim maiorem habuere, et milites in duces confidebant: ex eo tempore haud amplius reipublicae milites erant, sed Sillae, Mario, Pompeio, atque Caesari morem gerebant.

Cum Roma civitatis ius toti dedit Italiae, vim atque libertatis vigorem perdidit. Hinc nondum fuit illa urbs, cuius populus unum efficiebat spiritum. Italiae populi Romani cives effecti, unaquaeque urbs suos mores, atque usus iutulit. Lacerata eo modo urbe, haud ex eo tempore fuit una urbs, neque amplius senatui parebat: haec corruptionis universalis causa. Silla in suis expeditionibus in Asiam suos milites ad praedandum instituit, cum ipse suis primum exemplum dedisset, ac postea in Italiam reversus, ac triumphans in urbem ingressus, civium agros primum suis divisit, cum illos praedae avidos fecisset. Hinc per civile bellum rempublicam evertit: inde urbem infesto exercitu ingressus, quatuor millia civium, qui Marii partes fuerant secuti, interfici iussit praeter infinitos alios. Ex eo tempore septuaginta millium cives proscripsit. Pompeius postea Marii, et Sillae etiam

exemplum fuerat secutus: everso Mithridate, eiusque potentia, audacior factus: Lucullus qui eidem successit in bello, Rempublicam magis perdidit, et tandem Caesar, qui Gallias perdomuit, Rempublicam omnino destruxit.

Voluptas deinde temperantiae successerat, et otium labori. Ex eopte tempore videtur alios esse Romanos, et omnino differentes ab antiquis. Re sane vera sensim rerum ordo fuit mutatus: duces, et Consules populi suffragia emebant, et ad eam dignitatem haud perveniebant nisi per pecuniam, aut ad bellum ibant, quo nationum arriperent spolia, atque provincias popularentur. Ex eo hinc factum, ut plures duces Consulesque divitias acquirerent immensas.

Hi igitur magni, atque viri principes fuerunt illi iidem qui a maioribus degenerantes tam frugalitatis amatoribus, immensos thesauros depraedantes, atque omnes Asiaticarum gentium divitias introducentes, populatis regnis, novum vitae genus duxerunt, Persarumque Regum luxum superarunt. Mirum quidem est illud, quod narratur ab auctoribus de Lucio Lucullo ob mensas, atque villas, et quantum de illo iudicandum est de luxu. Subsequentes duces, Consulesque eiusdem exempla sunt secuti. Hinc ex eo facta est morum mutatio, et divites Romani sensim ad vitia maiora perrexerunt, atque ruinam. Pompeius, Caesar, aliique celebres viri haud amplius antiquo vitae genere gaudentes, Reipublicae fundamenta evertere sunt conati. Caesaris fatum a coniuratis in senatu effectum, et Octaviani Augusti ad solium evectio integrum rerum statum mutavit. Respublica ex eo aevo fuit omnino eversa, et Imperium firmatum. Negandum haud est, quin princeps ipse Romanorum fuerit maximus Imperatorum, eiusque gubernamen Regum omnium fuerit norma. Plurimorum Imperatorum successio, qui unus post alios dominati fuere, satis demonstrat quantum Roma iisdem fuerit subiecta, et Imperii magnitudo, et senectus ipsa hoc magnum Imperium ever-

tit. Nationes omnes quae tum usque Romanis paruerant, haud amplius ipsos duces timuerunt. Antoninorum saeculum, atque nonnulli sapientes ac fortes simul Imperatores Imperium, atque splendorem aliquandiu sustinuerunt, donec Barbari Imperii ipsius vim fregerunt, atque in Romanas irruperunt provincias.

Talis erat rerum status usque ad Constantinum Magnum, cum ipse ad solium evectus totius Imperii princeps fuit. Temporis progressu ipse moriens filiis Imperium divisit: hinc postea effoeminati et imbecilles principes causa maioris fuerunt ruinae, ut Barbari magis in Romanas irrupissent provincias. Quadi primum, Marcomanni, Vandali, aliaeque efferatissimae gentes provincias ultra Danubium occuparunt, quae primum Germaniam, Galliam, atque Hispaniam subegerunt. Hinc Gothi totam Italiam vastantur, atque populantur. Imperium primum Occidentale fuit penitus eversum. Quaenam tunc Italiae praesertim facies erat? norunt omnes qui illius aevi historiarum annales prae manibus iugiter habent. Italia hunc miserum in statum fuit conversa. Ea enim quae per tot saecula infinitis naturae, et artis monumentis floruerat, quantum mutata ab antiquo fuit statu! Monumenta ubique usta, atque cremata fuere. Tot gentes captivae aliae in exilium, aliae inter ferarum lustra errarunt, ne in victorum inciderent manus. Tot aliae praeliis assiduis, et quotidianis cum urbibus vicisque concrematae fuerunt. Mores antiqui mutati: literarum studia omnino obliterata, et Barbarorum mores ubique gentium introducti fuerunt. Qui tunc aliarum rerum erat status? Per auctores constat adeo priscos mores fuisse immutatos, ut nihil aliud nisi ubique barbaries regnaret. Hoc omne facillime videri potest per ipsos eiusdem aevi homines, quorum facta ad nos usque tradita fuere. Post quintum et sextum Christianae Ecclesiae saeculum Romani Imperii status nihil aliud supererat, quam tantum nomen: Occidentale praesertim Imperium a septentrionalibus gentibus, et efferatis Barbaris iam prope erat ca-

surum, dum ipsae gentes olim fortunatissimas regiones occupaverant, totque urbes everterant. Orientale vero Imperium pene ad ipsum pervenerat gradum. Senatus, factiones, Imperatores vitiis omnibus capti, mores deperditi, sensim etiam ad sui ruinam omnia trahebant. Principes ipsi causa fuerunt, ut omnia ad perniciem redigerentur. Hinc etiam nationes ex alia parte in orientales provincias irruperunt, easque statim abstulissent, nisi Imperatores nonnulli, ducesque fortissimi per ea tempora Barbaros e provinciis amovissent.

ΔΙΑΤΡΙΒΗ X.

In qua agitur de S. Ianuarii Martyris, et Episcopi Beneventani Cultu, Translationibus, et Cruoris liquescentis tempore.

S. Ianuarii memoria in Ecclesia Christiana adeo celebris evasit, ut iam ubique terrarum eiusdem Cultus fuerit diffusus. Id autem iure merito; cum enim S. Martyris Sanguis multis abhinc saeculis sartus ac tectus Neapoli servetur, quique quotannis statutis diebus mirandum in modum liquefieri cernatur, ex hoc clare eruitur, Deum O. M. per eiusdem Martyris merita Neapolim urbem saepe a Vesuvianis flammis, et terraemotibus liberasse. Eius vero Cultus Neapoli est antiquissimus: nemo adest ex vetustis, quin et nuperis auctoribus patriis, et exteris, qui de hoc invictissimo Christi Athleta emphatice haud scripserit. Nos interim pauca de eodem dicemus, et primum de eiusdem Cultu.

I. Nihil igitur Neapolitana in Ecclesia est antiquius, quam eiusdem Cultus. Haud quemvis fallit, S. Ianuarium statim post mortem fuisse cultum: quandoquidem maxima beneficia Deus ob eiusdem merita suis concivibus (1) est elargitus turmatim ad eius sepulchrum ad-

(1) Patrii scriptores diversas iverunt in sententias circa S. Martyris patriam: alii Beneventanum, alii Neapolitanum esse praedicarunt. Acta Vaticana haec sequentia habent verba: *Christiani autem diversarum urbium custodiebant corpora Sanctorum, ut ea noctu raptim tollerent, et in civitatibus suis*

venientibus: hinc eius Cultus est introductus, et inde propagatus. Hinc a quinto Christianae Ecclesiae saeculo in D. Ianuarii honorem templa erecta fuerunt. De hac re nos certiores facti sumus ab Vranio sacerdote, qui etiam quinto floruit saeculo, nempe anno CCCCXXXI. quique in quadam epistola de S. Paulini Nolani Episcopi agens morte, narrat huic iam morti proximo, S. Ianuarium per visum apparuisse. Hinc scribit: *E quibus Ianuarius Episcopus simul, et Martyr Neapolitanae urbis illustrat Ecclesiam.* Petrus Neapolitanae Ecclesiae Notarius, qui VI. vixit saeculo vergente, nempe circa annum DLXXXI. in quodam Codice MS. haec tradit: *Per Confessionem, meritaque S. Ianuarii.* Praeter haec adsunt Acta eiusdem Martyris apud Falconium pag. 132 in quibus legitur, Neapolitanos paulo post eiusdem mortem honore ipsum fuisse proesecutum: hinc legitur: *Iuxta Neapolim transtulerunt, et posuerunt in Basilica, ubi nunc requiescit. Qui praestante Domino Iesu Christo, meritorum suorum beneficia innumerabilia praestare non desinit usque in hodiernum diem.*

Attamen S. Agrippini Neapolitani Praesulis vitae au-

---

sepelienda portarent . . . . . noctu vero unaquaeque plebs sollicite suos sibi patronos rapere festinarent. Neapolitani B. Ianuarium sibi patronum tollentes a Domino meruerunt . . . . Sanctum vero Sosium Diaconum cives eius Misenates tulerunt. Puteolani quoque Sanctum Proculum Diaconum, et Sanctum Eutichetem, et Acutium cives sui tulere. Romanum Breviarium in Lect. VI. idem etiam continet. Falconius in Vita S. Ianuar. pag. 138 et 140 S. Ianuarii patriam fuisse Neapolim credit, et Caracciolus idem scribit c. 20 ad quod probandum vetustissima affert monumenta. Petrus Subdiaconus, qui IX. vixit saeculo de S. Agrippini Neapolitani Praesulis agens miraculis, evidenter probat, D. Ianuarium fuisse procul dubio Neapolitanum. Adhaec quidam alii auctores ad unum omnes idem confirmant.

ctor ni fallor, Ioannes Diaconus, S. Ianuarium ab antiquissimo tempore cultum fuisse memoriae prodidit. Fatendum hinc est, S. Martyrem ex eo tempore non solum in Campania Felici, verum etiam longinquas apud regiones, et praesertim in Africana Ecclesia fuisse cultum, ut legitur in vetusto quinti saeculi Kalendario a Cl. Mabillonio edito, ubi eiusdem festum ita signatur: *XIII. Kal. Octob. S. Ianuarii Martyris.* At silentio praeterimus (ne in longum progrediamur) S. Hieronymi Martyrologium, pluresque alios pervetustos Liturgiarum libros Ecclesiarum Latinarum occidentalium, ex quibus profecto eiusdem Cultus colligitur.

Ad hoc etiam confirmandum alia ad S. Ianuarii Cultum probandum adest auctoritas, eaque ex antiquis hauritur numismatibus in eiusdem B. Martyris honorem cusis: idque evenisse extra dubitationis aleam constat, cum Vesuvius primis Ecclesiae temporibus horrende flagravit. Hanc ob rem Neapolitani S. Ianuarii numini devoti, atque maiestati, Dei misericordiam per Martyris intercessionem impetrarunt, atque ita liberati fuere. Ea Vesuviana conflagratio accidit anno DCLXXXV. sub Theocrito Neapolitano Duce, eaque evenit (uti narrat Paulus Diaconus) mense Martio eiusdem anni. De Numismatibus videsis Cl. Muratorium Dissert. XVII.

Postquam breviter de periodo Cultus S. Ianuarii verba fecimus, gratum lectori erit, si dies adiungemus, qui eidem erant sacri. Ecclesia Christiana semper in SS. Martyrum honorem triumphi diem celebravit sub *Diei Natalis* nomine. Appellata autem fuit usque a primis Christianorum temporibus *Dies Natalis*, vel *Sanctorum Natalitium* illa dies, in qua ab hoc saeculo ad aliam vitam transibant illi, qui aut sancte, vel religiose vixissent, aut suo sanguine Christi fidem essent confessi; et quia coelorum regno nascebantur, hinc ille dies eorum mortis *Dies Natalis* fuit vocatus. De hac voce plures antiqui Ecclesiae Patres tum Graeci, tum Latini mentionem faciunt. Eusebius Hist. Eccles. lib. IV. c. 5. de S. Polycarpo sermo-

nem instituens hanc appellat diem γενέθλιον ἡμέραν, idest *diem Passionis*. S. Augustinus Serm. X. de Sanctis ita hanc explicat vocem: *Digne Natalem istorum colimus, quos beatius aeternae vitae mundus edidit, quam mundo maternorum viscerum partus effudit.* Eusebius Gallicanus Homil. L. de S. Genesio sic etiam explicat: *Natales vocamus dies, quando eos Martyrii vita, et gloriae fides, dum ingerit morti, genuit, et aeternitati, et perpetua gaudia brevi dolore parturiit.* At interim quidnam vox *Natalis*? per eam nihil aliud significatur, quam Sanctorum Martyrum mors, atque eo sensu eandem intellexerunt Patres omnes Graeci, Latinique, necnon omnes antiqui scriptores. Ad exprimendam autem Sanctorum Confessorum mortem adhibita est vox *Depositio*: attamen *Natalis Dies* indiscriminatim usurpata est ad exprimendam Sanctorum Confessorum mortem, et eorum laudes. Re sane vera perplura adsunt exempla ad hoc probandum, et vetusta praesertim Kalendaria passim scatent, ut prae ceteris Neapolitanum Kalendarium a Viris Clarissimis Mazochio, et Sabatinio inlustratum.

Neapolitana vero Ecclesia diversa celebravit festa in eiusdem S. Ianuarii honorem, praecipue sui Martyrii diem, Translationis festum a Marciano Neapolim, et sui Patrocinii memoriam XVII. Kal. Ianuarias ob Vesuvianam horrendam conflagrationem anni MDCXXXI. Nos interim incipiemus ab eiusdem Martyrii die, qui signatur XIII Kal. Octobres. De hoc festo praeter Neapolitanae Ecclesiae morem, nos certiores faciunt plura antiqua monumenta, praeter tabulas marmoreas saeculo XI. scalptas, vetustissimum Ecclesiae Carthaginiensis Kalendarium quinto saeculo exaratum. Cl. tamen Mazochius Kal. Neap. pag. 905 in hisce tabulis eiusdem festi diem hoc modo sculptum fuisse adnotat: *Die XX. SS. N. SCI Ianuarii* (1). Ea dierum differentia explicari diversimode

(1) Omnia S. Ianuarii, et sociorum Martyrum Εὐχολογια

potest, nempe aut Passionis, aut Sepulturae diem ut intelligamus. Laudatus Mazochius loco cit. fuse hanc disquirit rem. Dies autem isthaec Natalis, aut Passionis ab anno MCCLXVI a mense Septembri traslata fuit ad mensem Maium, ut legitur in antiquo Diplomate Summi Pontificis Clementis IV. in quo inter alia habetur, festum idem fuisse translatum ad mensem Maium, quo vindemiatoribus commodum daretur, qui autumnali tempore Sanctum Martyrem invisere haud poterant. At crediderim hoc festum XIII. Kal. Octob. Passionis ipsius translatum ad Maium mensem parum perdurasse, quandoquidem Neapolitana Ecclesia semper hoc festum mense Septembri coluit. Adveniente inde Maio Translationis festum celebrasse constat ob Sancti Martyris corpus translatum Marciano Neapolim in Ecclesiam eidem dicatam extramuranam, atque in vetusto Coemeterio aedificatam.

Iam diximus festum hoc a maioribus fuisse celebratum mense Maio: at sciendum idem temporibus antiquis mense Aprili, uti legitur in antiquo Neapolitanae Ecclesiae Kalendario hoc modo signatum: *XIII. Aprilis Translatio Beati Ianuarii.* In eo vero festo colligebatur populus cum Clero, Abbatibus, et Episcopis suffraganeis, qui floribus caput redimiti, sacro solemni adesse tunc debebant. Ritus hic inscriptus reperitur in Archipraesulis Orsinii Rituali iam ab anno MCCCXXXVII. hisce verbis: *Ad dictam Missam venire tenentur Archipresbyter Calviczani, Afragolae, et foris fluminis cum clericis suis, cum coronis roseis, et aliorum*

---

mortem XIII. Kal. Oct. referunt, praeter illud, quod D. Hieronymo tribuitur. Mazochius num. 39 mense Aprili hunc refert diem: *Diem Passionis S. Ianuarii, et Sociorum non in mensem Septembrem, sed Aprilem incidisse: proinde diei XIX festum Septembris alio pertinere.* Laudatus hinc auctor ex eo quod scriptum reperit *Natalis* in mense Aprili, et non *Passio*, hoc omne arguit.

florum, necnon et deferre arbores ornatas floribus, et avibus diversis. En igitur ex allatis verbis festi diei origo vulgo *Inghirlandata*, de qua adhuc nomen restat: Hoc idem nuncupatum a Graecis fuit Ροδισμον, *Rosalia*, sive rosarum solemnitas; hinc Sacerdotes floribus caput redimitum habebant, et supplicatum procedebant. Morem hunc caput ferendi redimitum in supplicationibus non solum Neapoli, verum etiam aliis in locis viguisse liquet, cum SS. Martyrum festum aliquod Translationis peragebatur, uti constat ex Ambrosio Leone Hist. Nol. lib. III. c. 11, Vghellio Ital. Sacr. tom. VI. aliisque qui eadem narrant. Hinc Caracciolus De Eccl. Neap. Monum. c. 20 de hoc festo ita scribit: *Erant autem clerici omnes in sacro illo comitatu, corollis capita redimiti: unde vox ad posteros manavit, Preti Inghirlandati. Non solum ad aestus propulsandos, sed ut signo illi redditam iam Ecclesiae pacem exprimerent.* Attamen Mazochius de Eccl. Cath. Vnic. pag. 54 hoc festum autumat originem sumpsisse a S. Timothei Martyris festo, quod olim Constantinopoli agebatur. Idem signatur in vetusto Neapolitano Kalendario hoc modo: *XIII. Febr. Rhodismon S. Timothei.* Citatus ante Ritualis liber Orsinianus supplicationem, quae iam ex eo tempore fiebat in S. Ianuarii honorem ita praescribit: *Dominus Archiepiscopus . . . . . processionaliter cum Capitulo suo toto, Episcopis, Abbatibus, Clero universo, cunctis de populo ibidem congregatis vadit ad Ecclesiam, in qua caput beatissimi Ianuarii reconditum fuerat, die Sabbati proxime praecedentis, de mane, ut superius exprimitur, et cum ibi fuerit universitas civitatis Neapolitanae, quae caput beatissimi Ianuarii associare tenetur . . . . . duo de praedicta universitate de platea Capuana, et Nidi, et inde duo de aliis plateis, et duo de populo portare tenentur supra caput beatissimi Ianuarii pallium cum hastis more solito. Quod caput in die praedicta deferre tenentur Praelati usque ad tertium spatium*

viae secundum beneplacitum Domini Archiepiscopi, et postea ubi fatigati essent, Capitulum Ecclesiae Neapolitanae deferre tenetur. Quod cum delatum fuerit ad dictam Ecclesiam, et in altare reverenter..... repositum, dominus Archiepiscopus vadit in sedem suam, et incipit Vesperas . . . . . Episcopis, et Abbatibus suffraganeis stantibus in stallis, seu locis consuetis.

Festum aliud, quod à Neapolitanis in S. Martyris honorem celebratur, est patrocinium quod incidit XVII. Kal. Ianuar. quodque originem habet a Vesuviana conflagratione memoranda anni MDCXXXI. Hinc Neapolitani in tanti beneficii accepti memoriam ob urbem a flammis servatam, quotannis festum diem in D. Ianuarii honorem instituendum curarunt. Ea igitur sunt festa in huiusce Martyris memoriàm per anni cursum a Neapolitanis celebrata.

II. D. Ianuarium, Sociosque capite plexos supra Vulcani Forum, eorumque corpora ibidem tumulata ex Actis fuisse constat. Id enim hauritur ex Actis (1) Bo-

---

(1) Sabatinius Kal. Neap. tom. IX. pag. 64 et seqq. Acta S. Ianuarii e Bibliotheca Bononiensi collecta erroribus scatere, et inde ipsis haud fidem esse dandam credit. In Actis vero Vaticanis sic legitur: *Quem primo* (cum sermo de S. Ianuario instituitur) *quidem in loco, qui appellatur Marciano, absconderunt.* Per verbum *absconderunt* idem auctor docte ostendit, haud significari Ecclesiam, quae in Sancti Martyris honorem fuit erecta in loco dicto Marciano, sed sepultum clam, et festinanter sine aliquo monumento, ne ab ethnicis foret detectus: tantum signa ab iisdem Christianis ibidem apposita fuisse fama est, ut temporis progressu, et pace Ecclesiae reddita, eadem detegerentur. Idem accidisse S. Saturnino Martyri, et Episcopo a Ruinarto narratur, uti liquet ex eius Actis ab hoc auctore allatis pag. 131. Sed Acta Bononiensia (ut ante diximus) memoriae produnt, Christianos post aliquod temporis eidem Basilicam erexisse in ipso loco Marciano; *Beati Martyris Ianuarii Basili-*

noniensibus a Cl. Mazochio num. 9 allatis: *Corpora autem Sanctorum, ubi postea dignam Beati Martyris Ianuarii Basilicam condiderunt*, scilicet Neapolitani, quoniam a sequentibus verbis colligimus, illorum Martyrum corpora a singulis compaganis, aeque ac illud S. Ianuarii utpote civis Neapolitani, decenter sepultum haud longe a Vulcani Foro apud villam nomine Marcianum inter Olibanum *Monte Spina*, et lacum Anianum. Villa isthaec Marciana extitit usque ad saeculum XVII. Engenius Neap. Sacr. pag. 8, Chioccarellius De Episc. Neap. fol. 25, Caracciolus De Sacr. Eccl. Neap. Monum. c. 20, aliique omnes affirmant, eum locum nullum alium fuisse, quam eundem a nobis indicatum.

Vnus interim inter omnes Sabatinius Kal. Neap. tom. IV. mens. April. pag. 41 et seqq. doctis argumentis probare nititur, locum hunc non fuisse prope Sulphurariam, sed apud Nuceriam, ubi locus extat eodem nomine dictus, et ubi Christiani (uti ipse scribit) S. Ianuarium tumularunt, cuique Ecclesiam, et Monasterium postea dicarunt. Is autem narrat, Christianos S. Ianuarii corpus clam per mare adsportasse, et prope Nuceriam condidisse. Hoc omne probat S. Gregorii lib. II. epist. 72 auctoritate. At idem S. Pontifex nullum locum assignat eidem Ecclesiae, et Monasterio, sed tantum Marcianum nominat. Locus autem hic Marcianus nomine a S. Gregorio indicatus, nullus alius esse potuit, quam ille ipse, quem omnes patrii scriptores semper crediderunt.

Haud procul a supradicto Marciano Neapolitani temporis progressu Ecclesiam cum Cappuccinorum Coenobio eidem Sancto Martyri sacrarunt supra Vulcani Forum. In eadem Ecclesia servatur adhuc antiquissima Sancti

---

cam condiderunt. Quinam eius fuerit auctor, utrum S. Severus, an alii, incertum est.

Martyris statua ex marmore: eadem est insculpta iuvenili vultu cum parva mitra, et naso obtrunco olim, sed postea restituto. Stiltingius Acta S. Ian. et Soc. MM. plura narrat quod ad hanc pertinet statuam, et nasum obtruncum. Eadem vero Cappuccinorum aedes a fundamentis fuit excitata a Neapolitanis anno MDLXXXIII. Extra Eeclesiae atrium hoc marmor legitur:

DIVO IANUARIO
DIOCLETIANI SCELERE OBTRUNCATO
NE QUOD SACRI CORPORIS
CRUORE MADUERAT
SOLUM SINE HONORE DIUTIUS MANERET
NEAPOLITANA CIVITAS
PP. AERE P. F. ANNO MDLXXXIII.

In ipsa Ecelesia servatur lapis, quem supra S. Martyr fuit obtruncatus, ubi nonnullae sacri cruoris stillae adhuc adspectantur, quae XIII. Kal. Octob. rubescunt, et per sequentes dies, aeque ac in festo Translationis.

Iam diximus eiusdem B. Martyris corpus fuisse tumulatum apud Marcianum: ibi enim fuit usque ad IV. vergens saeculum, nempe ad annum CCCLXXXI. Patrii scriptores diversas eunt in sententias circa primae Translationis S. Ianuarii tempus Marciano Neapolim. Capacius Hist. Neap. lib. II. c. 12 id evenisse autumat statim ac Diocletiani, et Maximiani persecutio cessavit, sedente S. Silvestro Pontifice Maximo, atque imperante Costantino Magno, eamque Translationem factam esse sub S. Severo Neapolitano Praesule. Mormilius, Antich. di Pozz. c. 8, Caracciolus, Napoli Sacra, c. 8, Summontius, Istor. di Napoli lib. II. c. 1 aliique Capacio etiam adstipulantur. Reipsa scriptores Neapolitani omnes in eandem descendunt sententiam, eandemque Translationem accidisse circa annum CCCLXXXI. credunt. Ea vero evenit cathedram Neapolitanam moderante S. Ioanne I. ut mox dicemus: Sanctum Severum nondum sacerdotio functum esse eo tempore certum est.

Sedente vero eodem Divo Ioanne I. (1) huiusce nominis Neapolitana in Ecclesia, facta est prima S. Ianuarii corporis Translatio Marciano Neapolim, et sepultum est corpus in Ecclesia extramurana in Coemeterio, ubi idem Episcopus decenter suis deposuit manibus, uti narrat Ioannes Diaconus in vita eiusdem Episc. En eius verba: *Hic scilicet Ioannes tantae sanctitatis plenus fuit ut . . . . . in eo oratorio, ubi manu sua dicitur condidisse beatissimum Martyrem Ianuarium a Marciano sublatum, et ipse parte dextera humatus quievit.* Nos interim in Actis Vaticanis a Cl. Mazochio allatis legimus, hunc unum ex Neapolitanis Episcopis fuisse, qui S. Martyrem Neapolim transtulit. Quinam vero fuerit hic Episcopus, ex Actis haud constat; en verba: *Postea vero quieto iam tempore venerabilis Episcopus una cum plebe Dei sancta cum hymnis, et laudibus tollentes iuxta Neapolim transtulerunt, et posuerunt in Basilica, ubi nunc requiescit.*

In Romano autem Breviario S. Severum fuisse legimus, qui S. Martyris lipsana Neapolim adsportavit: *Multas Neapoli construxit Basilicas, illumque praecipue extra moenia D. Ianuario sacram, in qua corpus ipsius beatissimi Praesulis, et Martyris ex Marciano traslatum propriis condidit manibus.* Adhaec in festo Translationis eiusdem Dominica prima mensis Maii, haec alia legimus quae sequuntur verba: *Postea vero pace Ecclesiae reddita S. Severus aedificata iam prope Neapolim S. Ianuarii Basilica, sacratissimum Martyris corpus cum magna Neapolitani Cleri, populique*

---

(1) Hieronymus a S. Anna lib. I c. 13, *Vita di S. Gennaro*, non fuisse hunc S. Ioannem I. ait, qui S. Ianuarii corpus transtulit, sed S. Severum. Quamvis vero ipse validis argumentis hoc probat, tamen nihil asserit, cum Ioannis Diaconi auctoritas sit satis clara.

frequentia, iis etiam qui de genere Beati Ianuarii erant comitantibus, Neapolim religiosissime transtulit. Ex his usque dictis patet, verum esse quod memoriae prodidit Ioannes Diaconus de S. Ioanne I. Episcopo, qui corpus S. Ianuarii Neapolim adsportavit, ibique tumulavit, quamvis Acta Vaticana, et Romani Breviarii lectionaria narrant S. Severum fuisse, qui D. Ianuarium tumularit. Nos interim ad concilianda haec discrepantia loca asserere possumus, hunc eidem Martyri Ecclesiam dicasse, haud vero apud Coemeterium ipsum corpus condidisse.

Certum vero est, S. Severum D. Ianuario Ecclesiam sacrasse apud Coemeterium, eamque in ipso monte excavatam, cuius adhuc vestigia supersunt. Ibi eius ossa condita decenter fuerunt, et appositus fuit lapis, cuius frustum paucis abhinc annis legebatur in novae Ecclesiae area, nunc incuria fortasse deperditum. Hoc extractum fuit ex eiusdem Martyris sepulchro a PP. Basilianis, qui heic quatuor abhinc saeculis Monasterium habuerunt. In eo lapide spargendi flores (1) supra sepulchrum occurrit mentio.

---

(1) Usus spargendi flores in sepulchris est antiquissimus tum apud Graecos, tum apud Romanos. Virgilius Æneid VI. v. 680.

> . . . . . *Manibus date lilia plenis,*
> *Purpureos spargam flores, animamque nepotis*
> *His saltem adcumulem donis.*

Suetonius in Aug. c. 18 eundem principem in Ægypto morantem refert, Alexandri Magni sepulchrum detegisse, cui venerabundus accedens flores sparsit: *Per idem tempus conditorium, et corpus Magni Alexandri, cum prolatum e penetrali subiecisset oculis, corona aurea imposita, ac floribus adspersis veneratus est.* Et Capitolinus in Antonini Philosophi Vita sic etiam scribit: *Tantum autem honoris magistris suis detulit, et imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulchra eorum ad-*

Eadem Ecclesia, et S. Ianuarii sepulchrum temporis progressu adeo celebre evasit, ut apud Neapolitanos per ipsum iurare (1) mos obtinuerit. Quin imo constat, Sacerdotes omnes iureiurando coactos fuisse coram Episcopo, ut quotannis Ecclesiam, et sepulchrum Martyris inviserent, ni aliquo canonico impedimento praepedirentur: en formula ab iisdem adhibita: *Limina Beati Ianuarii singulis annis personaliter visitabo, nisi praepeditus fuero canonica praepeditatione.*

---

ditis hostiis floribus semper honoraret. Hic usus ab ethnicis ad Christianos postea transivit, praecipue supra Martyrum tumulos. Hinc plura illorum monumenta in antiquis reperimus Coemeteriis, ubi iisdem honorem hunc tributum colligimus. S. Hieronymus epist. III. ad Heliodorum, et S. Augustinus de Civit. Dei lib. XXII. c. 5 huiusce usus mentionem faciunt, et S. Paulinus prae ceteris Natal. III. S. Felicis sic canit:

Spargite flore solum, praetexite limina sertis:
Purpureum ver spiret hiems, sit floreus annus,
Ante diem sancto cadet natura diei;
Martyris ad tumulum debet et terra coronas.

(1) Huiusce iurisiurandi profecto origo supra S. Ianuarii sepulchrum ab ethnicis etiam derivavit. Apud veteres iurare supra heroum tumulos in more fuit positum. Hinc apud scriptores Graecos, et Romanos frequentissime eadem occurrit consuetudo: hinc Virgilius de Augusto canit:

Praesenti maturos largimur honores,
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Drusillam hoc honore cultam narrat Dio lib. LIX idemque memoriae prodidit, Claudium Imperatorem mulieres iurare iussiss-Liviae nomine: Tertullianus Apolog. c. 28 ea iuraiuranda *sacrae tissima* appellat. Christianorum vero iuraiuranda fuisse omnino differentia supra Martyrum sepulchra liquet, eaque nonnisi sancta, ac iusta de causa facta; secus vero ea quae ab ethnicis fiebant gentibus.

Sanctus autem Agnellus Neapolitanus Episcopus circa saeculum VII. aliam condidit S. Martyri Ecclesiam intra urbem, eamque *Diaconiae* titulo, atque ita eius cultum intra urbem invexit, cum antea tantum apud Catacumbas Neapolitani Sanctum Ianuarium honore prosequerentur. Hoc autem colligitur ex Ioanne Diacono in Chron. cuius haec sunt verba: *Hic* (nempe S. Agnellus) *fecit Basilicam intus civitatem Neapolim ad nomen S. Ianuarii Martyris, in cuius honorem nominis Diaconiam instituit, et fratrum Christi cellulas collocavit.* Hic autem Iaonnes Diaconus fuit ille ipse, qui eandem Ecclesiam *Diaconiae* nomine ab eodem S. Agnello erectam administravit, eaque nostra tempestate Paroecialis Ecclesiae nomine S. Ianuarii vulgo *all' Olmo* salutatur. Praeter Basilicam aedificatam ab eodem Neapolitano Episcopo excitatum fuit Xenodochium S. Andreae titulo, quod anno MCCCCXL. coniunctum fuit illi, quod erat prope Ecclesiae Archiepiscopalis turrim Campanariam, atque hoc Xenodochium etiam fuit S. Athanasii nuncupatum. Videsis Mazochium De Cultu SS. Episc. Neapol. pag. 81 et seqq.

Alia Ecclesia D. Ianuario dicata est illa, quae est supra collem Antinianum, eaque vulgo appellatur *S. Gennaro al Vomero.* Plures patrii scriptores hanc Ecclesiam vetustissimam existimant; sunt vero qui scribunt, eam hoc loco conditam fuisse, quod S. Martyr cum Sociis Nola Puteolos fuerit ductus, et quod per viam transierit, quae tunc recta Puteolos viatorem per colles ducebat. Ob tanti momumenti memoriam templum hoc veteres excitarunt Christiani, posteaque recentiorem, atque elegantiorem in formam redegerunt. Quidam vero sentiunt, hanc Ecclesiam heic erectam, cum S. Ianuarii corpus Marciano Neapolim fuit translatum.

Alia Ecclesia eidem Martyri sacrata, est illa quae extat Nolae. Ea autem ab origine nihil aliud fuit, quam fornax, in quam SS. Martyres (ut ex Actis liquescit) iniecti fuere. Nolani ne tanti Martyris memoria foret ob-

literata, hanc in aediculam mutarunt, quae sequiori aevo ab horrendo Vesuviano igne anni MDCXXXI. fuit eversa. Nolanum postea Canonicorum Collegium ne hoc pessum iret monumentum, meliorem in formam restituit.

Iam quatuor circiter saecula erant elapsa, cum Martyris corpus Neapolitani honore prosequebantur, ipsumque repositum erat in Ecclesia extramurana; tunc temporis Beneventanorum princeps Sico, nescio quam ob causam, cum Neapolitanis bellum gessit, atque hoc saevissimum: hinc ad expugnandam urbem adpropinquavit, quae tunc etiam moenibus cingebatur fortissimis; haud eandem princeps occupare valuit, et desperatione motus ad Ecclesiam extramuranam ad Catacumbas perrexit, in qua Martyris corpus sine capite iacebat, atque Beneventum adsportavit. Hoc accidit anno DCCCLXXXIII. Leo Ostiensis lib. I. c. 20 sic narrat: *Iste Sico cum diu Neapolim obsedisset, et afflixisset, tandem S. Ianuarii corpus auferens, Beneventum detulit, et cum Sanctis Festo et Desiderio in ipso Episcopio honorabiliter recondidit.* Herchempertus lib. X. Hist Langob. etiam prodit, Neapolitanam Ecclesiam regente S. Vrso ipsum suppliciter Siconem rogasse, ut Neapolitanis parceret. At princeps Beneventum cum S. Martyris lipsanis est profectus. Legesis Muratorium Thesaur. Scriptor. Ital. tom. II. fol. 290 et Grimaldium, Annali del Regno, tom. V. etc. In Siconis tumulo adhuc legitur:

Abstulit inde etiam Beneventi in sede locatum
Ianuarium quondam fortis athleta deinc.
Cuius templa replens argento, auroque recocto
His dedit, ut iacet corpus inane locis.

Caput vero, sacrasque cum cruore ampullas Neapoli mansisse certum est iussu eiusdem Principis. Eo vero tempore accidit, ut caput ipsum, et sanguis fuerit adsportatus a S. Ioanne IV. huius nominis Neapolitano Episcopo in Stephaniam Cathedralem, idest S. Restitutae.

In hac autem Stephania Cathedrali fuit erectum *Cubiculum*, ut appellat Ioannes Diaconus, idque illorum commodo, qui oratum adveniebant. Locus iste ex eo tempore fuit nuncupatus *S. Ianuarii Ecclesia* ob sanguinis, et capitis reliquias, quae ibi servabantur. Ioannes Diaconus memoriae prodidit S. Athanasium Neapolitanum Episcopum hoc Oratorium, vel *Cubiculum* restituisse, et plura adiunxisse: *Ecclesiam S. Ianuarii in ipso Cubiculo positam renovavit, nobiliumque doctorum effigies in ea depinxit, faciens ibi marmoreum altare cum regiolis* (1) *argenteis. Supra quod velamen cooperuit, in quo martyrium S. Ianuarii, eiusque Sociorum acupictili* (2) *opere digessit. Eodem enim opere in Ecclesia Stephania tredecim pannos fecit.* Hoc vero *Cubiculum*, vel aedicula S. Ianuarii fuit in eadem Ecclesia S. Restitutae, quae nuncupata fuit quoque SS. Salvatoris. In eadem fuit turris, supra quam adscendendum erat per scalam cochlearem, ubi aderat S. Ianuarii Ecclesia, in qua sacrae servabantur reliquiae, eaque fuit ad sinistram portam novae Ecclesiae Cathedralis.

Ædicula isthaec temporis progressu ornata, et restituta fuit a Maria Toletana Ferdinandi Neapolitani Regni vicem gerentis uxore anno MDLVII. ut scribit Mazochius, de Cathedr. semper unica pag. 48, ut patet ex lapide, quem affert, narratque Sacerdotem quendam ex scala cecidisse, dum sacris cum Martyris reliquiis descenderet, nec detrimento ullo captum. Hinc pia mulier ob tantum miraculum Ecclesiam hanc restituit in S. Martyris honorem. Tutinius hoc etiam memoriae prodi-

---

(1) Mazochius de Cath. Neap. pag. 42 hanc vocem *Regiolas* appellat, quae S. Ianuarii lipsana claudebant.

(2) *Opus acupictile* iuxta eundem Mazochium ibid. opus intelligitur Phrygium-Ionicum, in quo descripta erat historia Evangelica.

dit Act. pag. 3 ut colligit ex Archiepiscopalis Curiae Archivo.

Ante diximus, Siconem Beneventi principem sacrum corpus in suam transtulisse urbem; hoc fuisse ibi constat usque ad annum MCXXIX. ut a Falconio Beneventano narratur. Circa hunc annum accidit bellum inter Emmanuelem Constantinopolitanum Imperatorem, et Gulielmum nomine *Malum* Neapolitanorum Regem, qui Apulia fuerat spoliatus: Rex Salernum cum copiis proficiscens, Beneventum adpropinquavit, et inde Nuscum, ubi plures illius urbis cives interfecti fuere a suis militibus, aliique in captivitatem ducti: iique S. Amatum rogarunt urbis Episcopum, S. Gulielmi Abbatis discipulum, ut Rex ipsos a captivitate redimeret. Idem S. Episcopus Regi praedixit, ipsum hostes debellaturum, indeque Benevento potiturum. Gulielmus interim capta urbe, plura SS. Martyrum corpora iisdem dono dedit, et praecipue illud S. Ianuarii, quod Sico quondam Beneventum adduxerat. Ita igitur Martyris corpus ad Montis Virginis Ecclesiam fuit translatum: eaque tertia Reliquiarum S. Ianuarii translatio fuit, quae per ea tempora sub eiusdem templi ara maxima repositae fuere.

Anno autem MCCCCLXXX Ioannes Cardinalis Aragonius Ferdinandi I. filius eiusdem Monasterii Commendatarius (restituto Montis Virginis templo, atque ara maxima) marmoream invenit tabulam, eamque abstulit: hinc plures urnae repertae fuere, in quarum una S. Ianuarii corpus cum lamina plumbea hisce characteribus erat: CORPUS . S . IANUARII. EPISCOPI. BENEVENTANI . ET . MARTYRIS . Paulo post nempe anno MCCCCXCVII. sedente Alexandro VI. et cathedram Neapolitanam moderante Archipraesule Alexandro Carafeo, S. Martyris corpus Neapolim fuit translatum in Ecclesiam Cathedralem, ubi Oliverius Cardinalis Carafens nobilissimam condidit aediculam in eadem Cathedrali Ecclesia nomine *Confessionis S. Ianuarii*, ibique repositum corpus sine capite sub ara maxima. Huiusce Tran-

slationis festum celebrabatur XVI. Kal. Februar. Neapoli, sed postea abrogatum.

Hodierna Thesauri nomine Ecclesia originem duxit ab horrendissima peste anni MDCLVIII. Neapolitani ob gratiam a Deo O. M. acceptam templum nobilissimum a fundamentis D. Ianuario pro voto excitarunt, ibique repositum fuit sacrum caput cum sanguine. Ubi autem nunc ea magnificentissima adsurgit Ecclesia, olim erat Xenodochium Athanasianum, fortasse ab hoc S. Episcopo Neapolitano erectum sub S. Andreae nomine, quodque Summae respondebat Plateae. Hoc ipsum fuit eversum, cum nova isthaec Ecclesia Thesauri fuit aedificata.

III. Heic tandem de Cruoris liquescentis S. Ianuarii periodo sermo est producendus. Acta antiquissima haud verbum unum de S. Martyris Cruore afferunt. Extat antiquum monumentum, idque Chronicum est MS. exaratum a Fr. Maraldo Chartusiano, et a Caracciolo allatum De Eccl. Neapol. Mon. c. 20. In eo enim narratur, Neapolitanum Archiepiscopum anno MCXL. obviam eúntem Rogerio I. Neapolitano Regi, secum portasse caput cum Sanguine; *Hoc anno MCXL. Rogerius post coronationem suam Neapolim se contulit, et cives obviam illi occurrerunt contra portam Capuanam, et Archiepiscopus urbis Neapolitanae processionaliter eum recepit una cum Sanctorum reliquiis, capite, et sanguine S. Ianuarii, quos reverenter adoravit, quae postmodum ad Ecclesiam rediere.* Caracciolus vero loco cit. haud liquescentis Sanguinis tempus statuere audet; hinc scribit: *Incertum apud me est, quo primum tempore ea liquescentia contigerit, vel fuerit observata. Omnino autem, si non statim ab eius caede contigit, sed multis post saeculis, id in occultam Numinis providentiam reiiciendum est.* Mazochius interim de Eccl. Neap. pag. 50 Cruorem D. Ianuarii autumat circa annum MCCCXXXVI. (1), nec ante saeculum XVI. ebul-

(1) Hieronymus a S. Anna, *Vita di S. Gennaro lib. II.*

lire coepisse. Hinc ait tempus certius stabiliendum esse sub Regina Ioanna I. Andegavensi, quae regnavit ab anno MCCCXLIV ad MCCCLXXXII. At Mazochius idem Tutinii in Vita S. Ian. affert auctoritatem, ex qua colligitur, quendam S. Peregrinium Malcholmi III. Scotorum Regis filium loca invisisse sacra, et hinc Neapolim pervenisse, ubi Cruori adfuit liquescenti. Hic S. Peregrinius, prout prodit Tutinius, Neapolim advenit circa saeculum XI. cum iuxta eundem auctorem iam incoeperat liquescentis Cruoris periodus. Mazochius Tutinii affert auctoritatem collectam ab opere MS. Lupi de Speckiis. Huiusce vero S. Peregrinii nomen incertum est: hoc unum scimus, ipsum per varias terrarum orbis partes peregrinatum fuisse circa saeculum XI. atque hinc eidem Peregrinii nomen inditum fuisse.

At interim laudandus haud est scriptor iste, qui S. Ianuarii liquescentis Cruoris tempus fuisse autumat anterius hoc, de quo loquimur, quod multo posterius est utique credendum: hinc concludendum huius S. Peregrinii historiam esse omnino apogrypham, et esse falsum Sanguinis tempus, uti habetur ex huiusce Sancti vita.

Cum igitur nulla alia nobis faveat scriptoris antiquioris auctoritas, nullum aliud restat certum monumentum, quam Æneas Silvius, qui floruit anno MCCCCL.

---

c. 5. primam ebullitionem evenisse credit anno MDXLVIII. idque P. Botii probat auctoritate in opere inscripto *de Signis Ecclesiae*. In hoc laudato opere cuiusdam Ioannis Baptistae Fregosi Ducis Genuensis adducitur auctoritas, qui Neapolim advenit, et S. Martyris historiam elucubravit. Is enim apud P. Botium narrat, hoc liquescentis Cruoris miraculum evenisse circa praedictum annum MDXLVIII. At nos potius Mazochii fidei adstipulamur, qui utpote diligentissimus, et patriarum antiquitatum accuratissimus auctor hoc haurit liquescentis Cruoris certum tempus evidentissimis ex monumentis.

quique postea Summus Pontifex fuit renunciatus sub nomine Pii II. Hic in suis Commentariis Antonii Panormitae, cui operi titulus *De Dictis, et Factis Alfonsi Regis Neapolitani*, mentionem facit Sanginis, et ebullitionis S. Ianuarii hoc modo: *Sacrum illum D. Ianuarii Cruorem, quem, modo concretum, modo liquatum ostendunt, quamvis ante annos MCC. pro Christi nomine sit effusus.* Carolus VIII. Galliarum Rex cum Regnum occupasset Neapolitanum, atque huc advenisset, stupendissimo adfuit miraculo die Translationis. Hoc factum memoratur in quodam opere typis edito Parisiis anno MDCXVI.

Eundem vero Æneam Silvium ex communi sententia secuti fuere Tutinius, Caracciolus, Chioccarellius, aliique. Eodem saeculo floruit Angelus Cato philosophus, et medicus: is enim anno MCCCCLXXXIV. librum in lucem edidit de Medicinae Pandectis Matthaei Silvatici, et hunc Ferdinando Aragonio Regi dicavit. Ipse in epistola quadam de rebus Neapolitanis agens, et praecipue de S. Ianuarii Cruore iuxta Chioccarellium fol. 91. ita loquitur: *Quid dixero de S. Ianuarii sanguine, qui Neapoli summa cum religione servatur? quae miracula nostro tempore Christi cultoribus ostenduntur, quae sint hoc vel magis speciosa, vel magis evidentia? durescit absente capite, quod et idem servatur in aede Metropolitana Neapolis. Quoties tamen capiti ostenditur, liquescit proinde, atque eo die fuerit corpore effusus.*

Haud obstantibus interim rationibus omnibus, atque auctoritatibus huc usque allatis de S. Ianuarii liquescentis Cruoris tempore, unus inter omnes patrios auctores adsurgit Rossius, Dissert. V. *intorno all' epoca del Sangue di S. Gennaro*, qui solidis argumentationibus probare nititur liquescentis Sanguinis tempus esse longe anterius illo, quod statuit Mazochius, aliique. Ipse igitur esse multo ante annum MCCCC. autumat,

quoniam ait, haud esse necessarium antiquis scriptoribus (qui de S. Ianuario verba fecerunt) memorare miraculum, aliaque id genus, cum res esset per se cunctis nota. At nos Cl. credimus Mazochio, qui id omne evidenter probavit.

FINIS.

SYLLABUS
SECUNDAE PARTIS.
LIBER QUARTUS.

In Agrum Puteolanum Anteloquium pag. 3

CAPUT I. *Puteolanae urbis origo : de eiusdem etymo, et variis nominibus eidem inditis. Colonia et Municipium : Moenia fortissima describuntur.* 5

CAPUT II. *D. Pauli Apostoli Puteolos adventus : de antiquis urbis templis. De Petri Toletani villa, de hortis Cluvii, et Lentuli.* 10

CAPUT III. *De portu Puteolano, deque eius Pharo, describitur Amphitheatrum, uti extat : de S. Ianuario, et Sociis ad bestias damnatis. De lege lata ab Augusto de sedendo in Amphitheatro : de Theatro, de Circo, deque Ciceronis Puteolano. Sepulchreta tandem, et viae veteres describuntur.* 17

CAPUT IV. *Puteoli Barbarorum, necnon coeli, aerisque ludibrium. Hodiernus urbis describitur status, Vulcani Forum, S. Ianuarii Ecclesia, colles, et fontes Leucogaei, mons Olibanus, Astruni colles, Thermae Puteolanae, lacus Anianus, Scrobs Charonea et S. Germani Sudatoria.* 31

CAPUT V. *De montibus Gauro, et Cinereo, de lacu Lucrino, Portu Iulio, de Ciceronis Cumano, de lacu Averno, de Sibyllae Cumaeae antro, de Tritulae Sudatoriis, deque via Aragonia.* 41

CAPUT VI. *Baiarum amoenitas, et vitiorum diversorium describitur: de Romanorum villis,*

*

Marii, Hortensii, aliorumque. De Thermis Baianis, deque statu Baiarum recenti. 54

CAPUT VII. *Bauli quid, et ubi vicus hic fuerit: de via Herculea: de Agrippinae Neronis parentis infelici fato, et sepulchro. Vetera aedeficia describuntur cum sepulchretis. De portu Misenensi: de antiquo aedificio vulgo* Cento-Camerelle, *et de Piscina Mirabili.* 66

CAPUT VIII. *De Miseno, eiusque portu, de villa* Luculli, *de Militum Schola, de Piscina Dragonaria, de lacu Acherusio, deque Vaciae villa.* 75

CAPUT IX. *De Cumarum origine, maiestate, deque eiusdem ultima urbis ruina, atque fato.* 82

CAPUT X. *Fossa Neronis, Silvae Gallinaria, lacus Liternus, urbs Liternum, Scipionis nobile sepulchrum, vicus Feniculensis, via Vicana, campus Leborius, pagus Maranus, et Iulianus describuntur.* 90

CARUT XI. *De Inarimi insula: de variis eiusdem nominibus, de diversis gentibus, quae ea fuere dominatae, de monte Epomaeo, de variis Balneis, atque Hypocaustis.* 99

CAPUT XII. *De insulis Prochyta, Neside, et Capreis.* 107

ΔΙΑΤΡΙΒΗ I. *De Etruscorum Origine, Potentia, eorumque Decremento.* 121

ΔΙΑΤΡΙΒΗ II. *Physico-historica de locis circa lacum Anianum.* 135

ΔΙΑΤΡΙΒΗ III. *De vero Castri Lucullani situ.* 145

ΔΙΑΤΡΙΒΗ IV. *De Lucii Luculli Villis.* 152

ΔΙΑΤΡΙΒΗ V. *Quantum Italia, et praecipue Campania quondam ingenuas didicerit artes, et studia: quaenam urbes tandem in his praeclariores evaserint.* 161

ΔΙΑΤΡΙΒΗ VI. *Tabula Historica, et Chronologica omnium Vicissitudinum, quae in Italia acciderunt a Romanorum ortu, usque ad illorum Imperii lapsum. et praesertim Medii Ævi historia degustatur.* 169

ΔΙΑΤΡΙΒΗ VII. *De Campaniae Felicis antiquis Viis.* 191

ΔΙΑΤΡΙΒΗ VIII. *De Spectaculorum Origine, Progressu, deque variis illorum generibus apud veteres.* 244

ΔΙΑΤΡΙΒΗ IX. *De Causis quae Romanum perdiderunt Imperium.* 261

ΔΙΑΤΡΙΒΗ X. *In qua agitur de S. Ianuarii Martyris, et Episcopi Beneventani Cultu, Translationibus, et Cruoris liquescentis tempore.* 270

SYLLABUS SECUNDAE PARTIS

OMNIUM MATERIARUM, QUAE OCCURRUNT.

A

Academia Puteolana *pag.* 26
Achernsius lacus 80
Aer temperatus est causa, ob quam optimi pueri indole informentur. 167
Adaloaldus Rex Langobardorum 182
Agilulfus Rex Langobardorum 182
Agrestes viae quaenam 243
Agrippa mare mortuum meliorem redigit in formam 71
Agrippinae fatum, et sepulchrum 69, et seqq.
Alaricus Rex Gothorum in Italiam advenit, et Romam populatur 173
Italiam universam excurrit ib. Africam traiicere cupiens, immaturo occubuit fato ib. Graeciam invadit ib. Hispaniam, et Galliam ab Honorio habitandam accipit ibid.
Alboinus Langobardorum Rex quo anno in Italiam penetrat 181 primus Rex Langobardorum ib. quot annos regnavit ib. quomodo moritur ib.
Alczecus Saracenorum Dux 184
Alica quid, et quomodo fiebat 36 quo in loco effodiebatur ibid.
Aligernus Teiae frater thesauros Cumae abscondit 89
Alphonsus Rex 190 Alphonsus II. ib.
Alumen quo in loco effodiebatur 386
Ambubaiae quaenam mulieres 55 et seq. huius vocis etymon ib.
Amalasuntha filia Theodorici 179
Amphitheatrum Cumanum 88
Amphitheatrum Puteolanum 21 eiusdem descriptio ib. quot millia hominum continere poterat ib.
Ænaria eadem ac Inarime, et quare sic dicta 99
Anastasius Imperator in Italiam classem mittit, quo Theodorico ulciscatur 175
Anacapri pagus 119
S. Anastasiae balneum 39
Anglanus idem ac Anianus lacus: eius etymon 39 et seq. 135 et seq.
Anglanum urbs utrum extiterit 138 et seqq.
Aniani lacus ignivomae materiae passim circa lacum ib. quando emersit 137 Aniani Sudatoria 140
Aniani pons in via Puteolana 217
Anicetus praefectus classi Misenensi. Agrippinae infensissimus 70
Antoninus Pius viam Campanam restituit 223
Antonius Iulianus Rhetor in theatro Puteolano legit Ennii annales libros 25
Apollinis templum Cumis 85
Apollofar Saracenorum Dux, et Beneventani a Siniculfo fugati 188
Appiae cursus a Roma ad Brundusium quot milliaria extendebatur 199. Via nobilissima 200 et seqq. Appiae ramus qui a Minturnis ad Sinuessam

Auruncam perveniebat 201
Appiae viae ramus Formias inter, et Caietam ib.
Appiae duo rami, maritimus unus, mediterraneus alter ad Brundusium ferentes 197 et seqq.
Appius quando viam Appiam post exactos Roma reges aperuit 191
Appius auctor viae Appiae quo anno eam aperuit ib.
Appius viam ad Capuam usque producit ib.
Ἀπραγοπολις quid significat 114 et seqq.
Aquae minerales agri Puteolani 142 38
Aragonia via a quonam aperta 53
Architectura apud Etruscos ad perfectionem redacta 128
Arcus Felix Cumis 87
Arcus triumphalis in Domitiani honorem excitatus prope viam Domitianam 207
Arechis Beneventanus dux cum Carolo Magno bellum gerit 186
Aretini populi 125
Aribertus Rex Langobardorum 183
Aricia quantum Roma distabat 192
Arioaldus Rex Langobardorum 182
Aristodemus Cumarum tyrannus quomodo ad imperium pervenit 85
Armaturae, vel Armaturarum schola eadem ac militum schola 79 et seqq.
Ἀρχαιολογος quid significat 63
Astruni colles 37 etymon ib. mons ignivomus ibid.
Atabali venti 198
Ataulfus Alarico succedit 173
Atella urbs Campaniae: eius amphitheatrum 259
Atenulfus princeps Campanus 189
Athalaricus filius Amalasunthae Italiae Rex 176
S. Athanasii corpus per viam Atellanam a monasterio Patrum Casinatium Neapolim transfertur 236
Attila Hunnorum Rex Italiam caedibus complet 173 quo anno Italiam occupat ibid. e iusdem character ib.
Avernus lacus 48
Aversae aedificatio 189
Aufidius Luscus ab Horatio Fundis deridetur 194
Augustus Capreas cum Neapolitanis permutat, Inarimi insula accepta 114. Capreis ephebeum instituit ib. ad Capreas secedit ibid.
Augusti templum Puteolis 10
Augustus legem fert sedendo in amphitheatro Puteolano 23
Augustulus Romanorum extremus Imperator in Lucullanum Castrum includitur 174
Aurelianus Barbaros ex Italia eiicit, et praelio fundit 172
Autaris Rex Langobardorum 182
Aystulfus Rex Langobardorum in venatione moritur 186

B

Bacchi templum Puteolis 16
Baiae 54 et seq. eius etymon 412 utrum fuerit urbs ibid.
Baiarum amoenitas 55 et seqq. Baianae thermae 61
Baiae utrum semper aere salubri fuerint usae 64 recens status ibid.
Baianus lacus idem ac Lucrinus 68
Baianus circus ibid.
Balnea Pithecusana 106
Balneum Citharae ibid.
Balneum Ferri 106
Balneum Parvi Gurgitis ibid.
Balneum S. Restitutae ibid.
Balneum S. Montani ibid.
Balneum Castilionis ibid.
Balneum Plagae Romanae ibid.
Barani hypocaustum 107
Barbari in Italiam, et in Romanas irrumpunt provincias, amoenitate, et ubertate illecti 197
Barbarus mons idem ac Gaurus 165
Bauli 66 eiusdem loci situs 67
Belisarius quo anno ex Sicilia in Italiam penetrat 176 et seq. Italiam occupat, et Ravennam capit ibid.

Benenatus Episcopus Misenensis 78
Beneventani cum Saracenis pugnant 188
Bertaridus dux Mediolanensis 183
Bigae, et Birotae quaenam erant 239
Bithynicus Duumvir Nolanus viam a Nola in Apuliam restaurat 233
Borbonii Reges Neapolitani 190
Bulgari quo anno in Italiam veniunt 184. Samnii partem ad habitandum occupant ibid.
Buricus quid significat apud Medii Ævi scriptores
Buthysiae certamen quid sit 28
Butilinus a Narsete ad Casilinum ad interneciouem redactus 109

C

Caeretani Etruriae populi 125
Caligula imperator Xerxem imitatur, mare Baianum contabulans 20
Campana via eadem ac Consularis 29 212 et seqq.
Campi Phlaegrei 34
Canis Crypta 139
Cantarelli Balneum 39
Capreae insula 112 et seqq. unita olim terrae fuit ibid. vulcanicae materiae ibid.
Capraria eadem ae Capreae 113 hanc insulam Tiberius eligit sedem impudicitiarum 118 villas, hortos, balnea, et aedificia construit 117. Pharus ibid. duae urbes in hac insula 119
Carcer S. Ianuarii in Puteolano amphitheatro in aediculam conversus 23
Carolus Magnus quo anno Italiam invadit 186
Carolus V. imperator 190
Carolus I. et II. Reges Andegavenses Neapolitani 190
Carolus Hispanus Rex Neapolitanus 190
Carthaginienses auctores viarum silicibus sternendarum 242
Castri Lucullani situs 145 et seqq.
Catabolum utrum fuerit Puteolis 21
Caecina Albius doctissimus auctor Etruscus 133
C. Caesaris dictatoris villa 59
Cento Camerelle 73
Cervisia eadem, atque alica 36
Chalcidenses Inarimi insula dominantur 101
Charonea Scrobs 40
Childebertus Francorum Rex 181
Christiani apud vias publicas suos condebant mortuos 217
Ciceronis Cumanum 47
Ciceronis Puteolanum 26 et seqq.
Cinereus mons quo anno adsurrexit 42 et seqq.
Circitores, vel Circuitores quinam 63
Circus Baianus 63
Circus Puteolanus 27 et seq.
Clania palus 92
Clanius fluvius, et eiusdem cursus 92
Claudius imperator Neapoli diu otiatur, et in Neapolitano theatro Graecam repraesentat comoediam 163
Clefus Rex Langobardorum 181
Clusini 125
Cluvii et Lentuli horti 15
Cocceius architectus templi Augusti Puteolis 11
Colatorium idem ac lacus Anianus 39
Columbaria in via Campana 30 216
Columnae milliariae 240
Constantinus Magnus filiis imperium dividit 171
Conradus Rex 190
Coritani populi 125
Cortonenses populi ibid.
Cossa Etruscorum urbs ibid.
Cracchus fortasse Appiam Viam producit 199
Cumae 82 et seqq. eiusdem aedificatio ibid. diversae coloniae urbem aedificant 83 portus 91
Cumani Puteolos condunt 5
Cumanorum amor in Romanos 86
Cumanus ager fertilissimus 89
Cumaea Sibylla differt a Cumana 50

Cumana vasa 89
Cumani a quibus fide Christiana imbuti 90
Cumae a Narsete occupantur 89
Cunibertus Rex Langobardorum 185
Curatores viarum 241
Cursus Publicus quinam apud Romanos 238
Cursus Publicus idem ac vehicularis, vel veredarius: quinam auctor ibid.

D

Dauferius princeps Salernitanus 187
Delos Minor quaenam urbs 7
Demarchus quid significat 9
Demetrii Ephesini argentarii facinus in S. Paulum 26
Desiderius Histriae dux, et Italiae Rex 180 a Carolo Magno victus regno privatur ibid. monasticum habitum accipit ibid. ipse postremus Langobardorum Rex ibid.
Dianae templum Baiis 61
Dianae templum Puteolis 16
Diaphares idem ac Dusares 13
Dicaearchia Puteoli dicti 5
Diversae gentes Puteolis dominantur 31
Domitiana via 203 et seqq. eiusdem descriptio ibid.
Domitiani pons supra Vulturnum 205
Domus Cumanae Sudatorium 106
Dragonaria Piscina 80
Ducatus Beneventanus 184 et seqq.
Ducatus Spoletinus ibid.
Ducatus Surrentinus 184
Ducatus Formianus 184
Ducatus Caietanus 184
Ducatus Capuanus, vel Campanus ibid.
Dusari sacrum 13

E

Egnatia via 197
Ἐιρεναστικα, vel Ἐυτιβεια quaenam fuerint 28
Elius Seianus a Tiberio ad Capreas vocatur 16
Elysia 70
Emporium Puteolanum 18
Epomaeus mons ignivomus quo tempore conflagravit ibid.
Eraricus Rex Gothorum 177
Erithreenses Inarimi dominantur 101
Etrusci a Phoenibibus omnia mutuarunt 123
Etruscorum regnum in Italia vetustissimum 123 satis amplum ibid.
Etrusci XII. urbes habuere, vel in XII. populos distincti fuere 124
Etrusci tubarum, et militarium cornuum inventores 127
Etruscorum vasa, et statuae 129
Etruscorum divitiae ibid.
Etrusci cum Romanis usque praeliantur 132
Etrusci Campania dominantur ibid.
Etrusci haruspicinae, et auguriorum inventores 133
Etruscorum Religio ibid.
Etruscorum opera Graecorum, et Romanorum causa deperdita 134
Euboici Prochytam occupant 108
Eutychius postremus in Italia Graecorum Exarchus 186

F

Falisci populi 125
Federicus II. imperator 190
Feniculensis vicus 97
Ferdinandus I. Aragonius Rex Neapolit. 190
Ferdinandus Aragoniae Rex ibid.
Feroniae deae templum, et fons parum ab Anxure dissitus 194
Flavia quae urbs dicta 3
Fontes Leucogaei 36
Fons Nitroli 106
Fons Retis 106
Forum Appii a quo conditum, et quantum a Roma aberat 192
Fossa Neronis eadem ac Dragonaria piscina 91
Fossa navigabilis iutxa viam Appiam 193
Fumi Turris 181
Frequentia spectaculorum, et puguantium numerus 250

Frequentia bestiarum ad Spectacula adhibita 251 et seqq.

G

Galla Placidia Ataulfi uxor 173
Galli quo anno Romam adoriuntur 169
Galli Cisalpini, et Transalpini quo anno Romanorum agros populantur ibid.
Gallinaria Silva haud procul a Silva Hama 91
Garibertus filius Grimoaldi Rex Langobardorum 181
Gaudebertus Rex Langobardorum 183
Gaurus mons 42 tres eiusdem nominis montes iuxta Capacium in Campania numerantur ibid.
Gaurana ostrea 45
Gauranum vinum 42
Gensericus Vandalorum Rex in Italiam venit 174. S. Leonis hortatu tantum Romae populationem militibus permittit ibid.
S. Germani Sudatorium 40 et seq.
S. Germanus Episcopus Campanus 41
Gigantis templum Cumis 88
Gigantum ossa reperta apud Capreas 116
Gisulfus Alboini frater Iulii Fori dux 180
Glarea quaenam 243
Gladiatorius ludus 249
Gladiatores ad mensam adhibiti 250
Gothi primum in Italiam veniunt sub Rege Radagaiso 173 a Stilichone effringuntur ibid. Sub Alarico duce Puteolos occupant ibid.
Gothorum praelium apud Lactarium montem 178
Gothorum pugna apud Eugubium 172
Graecorum artes ad perfectionis apicem perveniunt 161 et seq.
Graecia mater omnium scientiarum ibid.
Grimoaldus dux Beneventanus Neapolitanis bellum infert 184
Grimoaldus a Radelchisio occiditur 187
Guadebertus Dux Papiensis 183
Guaimarius III. Salerni dux cum Normannis contra Graecos, et Langobardos pugnat 189
Gulielmus I. Malus nomine 190
Gulielmus II. Bonus nomiue ibid.
Gulielmus III. ibid.

H

Hadrianus imperator Baiis moritur, et in Ciceronis villa Puteolis sepelitur. 29
Hama Silva 86
Hannibal Puteolos occupare haud potest 8
Hannibal quot annos in Italia moratur 170
Hannibalis calliditas, quo Puteolos expugnaret 8
Henricus IV. Imperator 190
Herculanea via apud Baias 208 et seq.
Herculaea via apud Caietam 210
Herculanea via a Neapoli ad Pompeios 230
Herculanea via, et descripsio 208 et seqq.
Herculis templum Puteolis 16
Herodes Atticus Romanus consul villam, et templum iuxta Appiam aedificat 190
Hippocles, et Megasthenes duces Cumas aedificant 83
Histrionum origo 247
Honorio regnante Barbari Italiam excurrunt 172
Horti Cluvii Puteolis 15
Hortensii villa Baiis 60
Hypatus ab Augusto dilectus 114
Hypocausta, seu Sudatoria Pithecusana 106 et seq.

I

S. Ianuarius, et Socii ad bestias damnati 22
S. Ianuarii Ecclesia supra Sulphurariam 278
S. Ianuarii cultus antiquissimus 272 et seqq. quo anno eius

cruor primum mirabiliter liquefactus 286 et seqq.
S. Ianuarii Ecclesia ad Vomerem 273
Ildebrandus Rex 182
Ildelbaldus Gothorum Rex occisus ob uxoris pulchritudinem 184
Ildericus dux 185
Inarime insula 99 continenti unita olim ibid. Iscla quare dicta 101. Siracusani, Neapolitani, et Romani insula dominantur 102
Insula Maior, et Minor 155
Insula S. Leonardi 155
Insula Prochyte 107 et seqq.
Insula Capreae 112 et seqq.
Insula Nesis 110 et seqq.
Insula S. Vincentii 155
Ioanna I. Neapolitanorum Regina 190
Ioanna II. Neapolitanorum Regina 290
Iovis villa apud Capreas 117
S. Iulianae translatio a Cumis in Castrum Lucullianum 148
Iuncarae balneum 39
Iuramentum gladiaturum 249

K

ΚΟΛΟΝΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, seu Colonia Augusti 6

L

Lacus Lucrinus idem ac Baianus quare Lucrinus dictus, et Ostreosus 45
Lacus Acherusius 80 et seq.
Lacus Avernus 48
Lacus Baianus 68
Lacus Linternus 92
Lacus Anianus 39 quando emersit 40
Langobardi quo anno Cumis potiuntur 90 sub Alboino Rege Italiam occupant 181 Italiae faciem vertunt ibid,
Lapides ad Campaniae vias sternendas undenam veteres collegerint 219
Latinae viae cursus, et descriptio 202
Leborius campus 97
Leges latae ad spectacula reprimenda 252
S. Leonardi insula 155
Leucogaei colles 35
Leutharis Alemannorum dux Italiam occupat 179 a Narsete ad internecionem redactus ibid.
Lignariae viae quaenam 243
Liternum urbs 92 a quibus aedificata ibid.
Longinus Italiae Exarchus 181
Lucullus in Neside insula villam possedit 111
Luculli villa Pausilypana 152 et seqq.
Luculli villa Misenensis 157 et seqq.
Luculli piscinae 153
Lucumones quinam 124
Ludiones iidem ac Histriones 247
Ludovicus Rex et Imperator 187
Ludus gladiatorius 249
Luitbertus quo anno regnat 180
Luitprandus princeps optimus bellum gerit cum Beneventanis 185
Lydii spectaculorum inventores 245

M

Manfredus Rex 190
Mansio quid sibi vult apud Romanos 239
Mantua Etruscorum urbs princeps 125
Maranus pagus 97
Marcellianus dux opida munit contra Valentiniani iussum 172
Marii villa 59
S. Martini insula 107
Masgabes adolescens ab Augusto dilectus 114
Medici Salernitani Puteolanas evertunt thermas 38 et seqq.
Megaria insula falso credita a quibusdam Castrum Lucullanum 146 utrum fuerit urbs in hac insula ibid. utrum haec insula coangustata ibid.
Mercatores Alexandrini, Asiati-

ci, aliique cum Puteolanis commercium exercent 17
Messii, et Sarmentae scurrarum rixa quo loco evenit 196
Militares viae quaenam 241
Militum Schola 79 et seqq.
Mimas gigas sub Prochyta inclusus 108
Mimi quinam 248
Misenense promontorium 76
Misenum urbs 76 eius situs ibid. a quo nomen accepit ibid. Colonia ibid. quando eversa fuit 78
Moles Puteolanae 18 et seqq.
Moenia Puteolana fortissima 8
Mons Gaurus 42
Montes Leucogaei 35
Mons Novus idem ac Cinereus 42 et seqq.
Monumentum quid significat 216
Mutatio quid apud Romanos
Mytili lithophagi quinam 12

N

Narses eunuchus 177 eiusdem character ibid. cum Totila Gothorum Rege pugnat ibid. Teiae exercitum ad Vesuvii radices ad internecionem redigit 178 Cumas occupat ibid.
Neptuni templum Puteolis 14
Neronis facinus in matrem Agrippinam 68 et seqq.
Neronis fossa 91
Nesis insula 110 et seqq.
Nitroli balneum 106
Normanni quo anno in Italiam veniunt 189. Eorum primi Reges ibid.
Neapolitani, et Siculi ibid.

O

Odovacer Erulorum Rex Augustulum extremum Romanorum imperatorem in Castrum includit Lucullanum 174
Odovacer Romam igne, et caedibus vastat ibid. quo anno in Italiam advenit ibid. eiusdem character ibid. Orestem occidit ibid.
Oenobardus Solimanae classis praefectus a Petro Toletano expulsus 32
Οἰνάρια eadem ac Ænaria 100
Olibanus mons 36 vulcanicae materiae 37
Olympius Exarchus a Saracenis fusus 183
Ostrea Lucrini lacus 45

P

Pagus Villanella prope Liternum 96
Pagus Maranus 97
Pagus Casamicciola unde dictus 102
Pagus Baccus unde originem trahit 102
Pagus Forio 102
Palus Acherusia 89
Palus Clania 92
Πάνχθονιαι quaenam erant 68
Pantomimi quinam 248
Parochi vox quid apud Romanos 240 quaenam eorum munia ibid.
Paschasius ad Anianas thermas damnatus 141
Patroni, et Tutelares quinam apud Christianos 78
Περιηγηταὶ iidem ac Cicerones 63
Pastorales viae quaenam 243
D. Patroba unus ex LXXII discipulis Puteolorum Episcopus a D. Paulo constituitur 10
D. Pauli adventus Puteolos ibid.
D. Paulus qua via Romam venit 214
Peridaeus Alboini interfector 181
Perusini Etruriae populi 125
Petri Toletani villa 14
Pharus Misenensis 72
Pharus apud Capreas 118
Pharus Puteolana 19
Philippus II. III. et IV. Reges 190
Phlegraei campi quinam sint 34
Phlegraeus campus idem ac Leborius 34
Pholades quinam 12
Phridigernus Rex Gothorum 178
Pialia festa 28
Pictura apud Etruscos ad perfectionem redacta 127 et seqq.
Pipinus Italiae Rex 154
Piscina Mirabilis 74 eius stru-

ctura ibid. utrum Claudius imperator eam construxerit ibid.
Piscina Dragonaria 80
Piscatoris cuiusdam audacia apud Capreas 117
Pithecuse eadem ac Inarime, et Ænaria 99 et seqq.
Pithecusani quare sic dicti 100
Planura vicus 137
Pompeii villa 59
Pondera Puteolana 30
Pons supra Clanium dictus ad Silicem 206
Pons Curvus super viam Puteolanam 226
Portus Misenensis et seqq.
Portus Puteolanus celebrer 18
Portus Iulius 46
Portus Cumanus idem ac lacus Liternus 91
Praetoriae viae 241
Prochyta 107 et seqq. eiusdem descriptio ibid.
Puteoli urbs 5 et seqq. eius origo ibid. eius etymon 6 emporium celebre ib. — urbs Graecae originis ib. Colonia, et municipium 6 urbs ditissima 18 Romanis fidissima 8 Puteolani in Tiberii honorem opus anaglypticum in foro dedicant 16 Puteolanae Pilae 18 et seqq. eaedem ab Antonino Pio restitutae ibid. Puteolanae thermae 38 theatrum 29 et seqq. amphitheatrum 21 templa varia 16 et seqq. moenia fortissima 8
Puteolana via 217 et seqq.
Pyrrhus Rex cum Romanis pugnat 170

Q

Quatuorviri viarum curandarum 241
Quaenam causa: ob quam Romani a Barbaris evertuntur 174
Quid de Ἄρειμοι Homeriana iudicandum 101
Quinam auctores viarum sternendarum 243
Quinquatria festa quaenam 68
Quiuam Bustuarii 250
Quo anno Aversa fuit aedificata 189

R

Rachis quo anno Langobardorum Rex salutatur 185 monachus factus ibid.
Radagaisus Gothorum Rex Italiam excurrit 172
Radelchisius Grimoaldum occidit 184
Ragumbertus Rex 185
D. Restitutae corpus quando in insulam Inarimen pervenit 105
D. Restitutae balneum 106
Ribera via 219
Ripa, vel ad Ripas quid significat 106
Robertus Guiscardus dux Normannorum 189
Robertus Andegavensis 190
Rodoaldus Dux Beneventi 184
Rodoaldus Rex Langobardorum 183
Rogerius frater Roberti, quo anno Siciliae dux salutatur 189
Roma ab Aureliano quando muro ducta 171
Romanae Plagae balneum 106
Romani mortuos in urbe haud sepeliebant 214
Romani sub optimis principibus ad maiestatis culmen perveniunt 215
Romani a L. Lucullo exemplum in villis aedificandis sequuntur 168
Romani elephantorum praesentia territi fugiunt 170
Romani post Hannibalem debellatum regna occupant 170
Rosmunda Alboini uxor mortem viro parat 181
Rotharis, seu Vrotarius Rex Langobardorum 182 eiusdem edictum ibid.
Rufinus summam imperii expetit et ab Arcadio imperatore capite plectitur 182
Ruselliani populi 125

S

Salvatoris insula eadem ac Maior 155
Saraceni Inarimen vastant 103 quo anno in Italiam adveniunt 184
Saxa famosa 29
Scipionis sepulchrum 93 et seqq.
Scipio quam ob causam in exilium pulsus 93
Schola Militum 79 et seqq.
Schrobs Charonea 40
SemproniusCracchusHannibalem, et Campanos frustratur 86
Senator in amphitheatro Puteolano male exceptus 23
Senaria insula eadem ac Capraria, vel Capreae 113
Seneca describit cryptam Puteolanam 218
Sepulchrum Agrippinae 69 et seqq.
Sepulchreta super viam Campanam 29 et seqq.
Serapidis templum 11 et seqq. eiusdem descriptio ibid. quo anno effossum ibid.
Sergius Orata 45
S. Severini Episcopi Norici corpus in castro Lucullano tumulatum 147 et seqq.
SibyllaeCumaeae antrum 49 eiusdem etymon ibid Sibyllae decem 50 Sibyllae cineres a S. Iustino Martyre descripti 51 Sibyllae cultus ad V. usque saeculum extans 51 Sibyllae sepulchrum ibid.
Sicardus dux Beneventanus cum Neapolitanis bellum gerit 187
Sico dux Beneventanus 187
Silva Gallinaria 91
Siniculfus princeps Salernitanus 188
Spectaculorum origo 244 quinam spectaculorum inventores 245
Spectacula quamnam ob causam instituta 245
Spectacula primum edita in foro Boario 246
Spectacula impudicitiarum excessus 4 Sanctorum Patrum contra spectacula obiurgationes 253 imperatorum amor ad spectacula 256 maxima spectatorum frequentia et leges ab Augusto latae ad hanc rem 258
Stilicho Barbaros apud montes Fesulanos ad interneciionem redigit 172 et seqq.
Suessulana via 232eiusdem cursus ibid.
Sulphuraria eadem ac Vulcani Forum 33 et seqq.
Sylla thermis Baianis utitur 82
Syracusani Inarimen perveniunt sub duce Hierone 102

T

Tabellarii quomodo incederent 238
Tangredius Rex Normannorum 190
Tarentini Pyrrhum Regem in Italiam vocant 169 et seqq.
Tarquinius Superbus Roma eiectus Cumis vitam agit privatam 85
Taurubulae fortasse eaedem ac Æqua 115
Teias Gothorum Rex apud Lactarium montem in praelio occiditur 178
Theatrum Puteolanum 24 et seqq.
Theatra apud antiquos adhibita ad plures usus 25
Theodatus Rex Italiae 176 eiusdem character ibid. Amalasuntham occidit ibid.
Theodoricus post Odovacrem regnat 175 quo in loco Odovacrem vincit ibid. mutat Italiae faciem ibid. quo anno moritur ibid.
Theodobertus Rex Francorum Italiam invadit 177
Theodelinda Langobardorum Regina 182
Thermae S. Germani 141
Thermae Baianae 61
Thermae Puteolanae 38
Tiberius moritur in villa Luculli 157 Capreas eligit sedem impudicitiarum ib. XII. villas aedificat 116 et seqq.
Timotheus Campaniae Consularis 223
Tiphoeus gigas 108 eiusdem fabula ibid.

Tiridatis Armeniae Regis in Puteolano amphitheatro egregium facinus 23
Θολος Baianus 62
Totilas Rex Gothorum 177 Cumas occupat 89 ad Eugubium occiditur 178
Traiana via eadem ac Puteolana 222 et seqq.
Trasimundus dux 185
Tripergularum eversio quando accidit 43
Tripergulae Sudatorium 48
Tripergulae lacus idem ac Avernus 48
Tritulae Sudatorium 52
Turris Fumi 107
Τρουλλος quid significat 62
Turris Gavita 181

V

Vaciae Villa 81
Valentinianus imperator Barbaros fugat 172
Vehicularis, vel Veredarius cursus idem ac Publicus
Veientes 125
Vela in Amphitheatro
Vetulonienses Etruriae populi 125
Via Appia 191 et seqq. eiusdem cursus ibid.
Via Aragonia 53
Via Campana 212 et seqq. et eiusdem cursus ibid.
Via Domitiana, et eius cursus 203 et seqq. quare sic appellata ibid.
Via Herculanea prope Baias 68 208
Via Herculanea a Neapoli ad Pompeios 230 et seqq.
Via Herculanea prope Caietam 208
Via Atellana 225 et seqq.
Via Latina, eiusque cursus 202 et seqq.
Via Nolana 227
Via a Nola in Abellinum, et inde in Apuliam 233
Via a S. Paulino aperta 229
Via Puteolana 217 et seqq.
Via Ribera eadem ac Puteolana nova 219
Via Suessulana 223 et seqq.
Via Vicana 97, eiusque cursus 211
Viae Agrestes, Lignariae, et Pastorales 243
Viae Praetoriae, et Militares ibid.
Vicus Feniculensis 97
Vicus Maranus 97
Vicus Iulianus 98
Vicus Planura 137
Vicus Soccavo ibid.
Vicus Tripergulae 43
Villa Baiana C. Caesaris Dictatoris 59
Villa Baiana Cn. Pompeii. 59
Villa Baiana C. Marii 59
Villa Hortensii Baiana 60
Villa Iovis ad Capreas 117
Villa C. Hirtii 60
Villa Catonis Vticensis ad Baias 60
Villa C. Marii 59
Villa Pompeii 59
Villa C. Caesaris Dictatoris 59
Vilia Domitiana Baiis 60
Villa L. Crassi 60
Villa Luculli Misenensis 79
Villa Cornelii Syllae 59
Villa Sergii Oratae 45
Villa Pisonis 60
Villa Vaciae 81
Villa Petri Toletani 14
Villula prope pontem Campanum ab Horatio memorata 196
Viocuri quinam 242
Visigothi quando ab Attila victi 174
Vitiges Rex Gothorum 177 a Belisario captus ibid.
Vivaria insula, vel scopulus prope Prochytam 156
Volaterrani populi Etruriae 126
Volumnius Tirrhenicarum tragaediarum auctor 133
Vulcani Forum 33 et seqq. 141 quando ignem evomuit ibid.
Vulsinii populi 125
Vtrum in Aniano lacu olim fabricae fuerint 138

Z

Zea quaenam apud antiquos 36
Zotho I. Dux Beneventanus 181

Fossa
Necrolis
Sepulchret
Cuman
Via Domitiana
Cumae
Arcus Fel
Imphit
Ora Euboica
Cumanum
Ciceronis
Averni
L.
Acherusius
Lacus
Thermae
Baianae
Villa
Baiae
Baiae
Misenum
Promont. Miseni
Bauli
Port.

Via Domitiana
Via Vicana
Mons Gaurus
Sepulcreta Via Campana
Astruni
Colles Leucogaei
Fontes Leucogaei
Sepulcreta Via Cumana
Cuma
Sepulchret Cuman
Arcus Felix
Amphit
Avernus L.
M. Novus
Cumanum Cicernus
Nympharum Temp.
T. Veptani
Lucrinus
Tentatae Sudatorria
Portus Iulii
Eadem Caverna
Amphit
Forum Vulcani
Sepulchreta
Puteoli
Pilae Moles
M. Albanus
L. Amianus
Thermae S. Germani
Antrum Cuman
Via Antiniana
Crypta Puteolana
Acherusius Lacus
Thermae Baianae
Smus Baianus
Via Nova ad Mare
Baiae
Misenum
Promont. Miseni
Bauli
Port. Miseni
Crypta Traconiana
SINVS
PVTEOLANVS
Nesis Ins.
Pausilypi Prom.
Crypta Neapol.
Limon
Villa Pollionis
Temp. Fortunae
Villa Neap. Lucullii
L. Euplrea

1356-435